BIBLIOTHÈQUE DE LA REVUE D'HISTOIRE ECCLÉSIASTIQUE
FASC. II

Statuta Capitulorum Generalium Ordinis Cisterciensis

AB ANNO 1116 AD ANNUM 1786

Quae ex libris praesertim manu scriptis collegit, recognovit, annotatione critica enodationibusque instruxit et

EDIDIT

D. Josephus-M[ia] CANIVEZ
ORD. CIST. REF.

TOMUS III

AB ANNO 1262 AD ANNUM 1400

LOUVAIN
BUREAUX DE LA REVUE
40, RUE DE NAMUR, 40
1935

INTRODUCTIO

Textus *Statutorum* in hoc tertio volumine (1262-1400) traditi, maxima ex parte, nunc primum sunt editi. Eorum momentum et utilitas minime latebunt historiae scriptores qui sponte memoriam eventuum politico-religiosorum istius periodi repetiverint. In primis, septima cruciata a sancto rege Ludovico IX incepta observatur cum regis ipsius morte (1270), a Cisterciensibus maxime defleta [1].

Paulo post (1274), Gregorius X convocat apud Lugdunum XIVm concilium œcumenicum [2]. Circa finem eiusdem saeculi agitatur celeberrima illa controversia inter Bonifacium VIII et Philippum Pulchrum († 1314) qui, ad bellum gerendum sumptusque suppeditandos, cisterciensi ordini maximas contributiones imponebat [3]; quo facto ad nimiam paupertatem redactae sunt multae abbatiae, inter quas Claraevallensis quae, necessitate cogente, collegium suum Sancti Bernardi Parisiense alienavit [4].

Interim Viennense concilium [5] (1311-1312) animorum commotionem in religiosis ordinibus excitaverat, cum de privilegio exemptionis tollendo deliberaret. Iacobi de Therinis, tunc Chalisiensis abbatis, eloquentia simul et sapientia hac in parte vicerunt [6]. Paulo post (c. 1318) idem abbas, a Ioanne XXII interrogatus an cisterciensis « ordo posset aliquod praestare subsidium

---

1) Cf. p. 60, 61, 70, 91, 92, 103, 143, 167, 247.

2) Cf. p. 129.

3) Cf. Kervyn de Lettenhove, *Recherches sur la part que l'ordre de Cîteaux et le comte de Flandre prirent à la lutte de Boniface VIII et de Philippe le Bel*, dans *Mémoires de l'Académie*, Bruxelles, t. XXVII, 1853. — Pitra, *L'ordre de Cîteaux dans la lutte entre Boniface VIII et Philippe le Bel*, Poitiers, 1896. Cf. infra p. 237, 260, 274, 281, 283, 295, 302, 309.

4) Cf. p. 353 ; in archivo publico Trecensi servatur sub nº 3 H 216 contractus venditionis collegii Sancti Bernardi Parisiensis.

5) Cf. p. 332, 333, 334, 343, 346, 351, 356, 363.

6) *Tractatus domini Iacobi de Therinis, abbatis Caroliloci, cister. ord., contra impugnatores exemptionum et privilegiorum.* Editus Viennae tempore concilii generalis ; ita etiam apud Tissier, *Bibliotheca patrum cisterciensium*, t. IV, Bonofonte, 1666, p. 261-315.

temporale pro particulari passagio Terrae sanctae »[1], ostendit responsionis loco descriptum quoad temporalia ordinis statum, qui quasi desperatus videbatur. Legentibus autem *Statuta capitulorum* in hac periodo edita luce clarius apparet praefatum abbatem nihil nisi nudam veritatem Summo Pontifici de abbatiis cisterciensibus exposuisse : monasteriorum pauperiem imo et eversionem, religiosorum dispersionem, debitorum et usurarum voragines ; aliunde vero nullos redditus, infructuosis manentibus terris. Lamentabilem hunc statum, bellum centum annorum (1337-1453) mox aggravabit. Tunc incipiet « *La désolation des églises, monastères et hôpitaux en France pendant la guerre de cent ans* », ut ait P. H. Denifle (Paris, 1897-1899), ad cuius historiam contexendam multa conferunt documenta nostri textus [2].

Benedictus XII, in sua bulla *Fulgens sicut stella* de reformatione ordinis cisterciensis, magna cum sollicitudine studiorum ordinationem elaboraverat, quam fideliter admisit capitulum generale, severis sanctionibus eam complendo. Attamen parum profecit tota haec legislatio, quia praelatorum primae curae tunc versabantur circa res oeconomicas, quae apud omnes deficiebant [3].

Eodem tempore Summi Pontifices Avenione residebant (1309-1377); quomodo autem ista romanae curiae conditio pro religiosis omnibus via lubrica fuerit ad damnabilem relaxationem, nostri textus clare ostendunt [4]. Contra illam relaxationem quasi inevitabilem militant tamen in capitulo generali cistercienses praelati, quorum conatus laudabiles semper, licet non semper efficaces, ad hoc diriguntur ut in ordine intactae permaneant illae observantiae apud antiquos patres tam excultae : paupertas [5]

1) Haec erat secunda quaestio a Pontifice proposita. Cf. N. VALOIS, *Un plaidoyer du XIVe siècle en faveur des cisterciens*, dans *Bibliothèque de l'École des chartes*, t. LXIX, 1908, p. 352-368 (ms. 450 bibliothecae publicae civitatis Insulensis).

2) Cf. p. 455, 470, 473, 499, 505, 512, 558 ; Anno 1365, capitulum celebratum fuit apud Divionem « propter guerrarum tubines » (p. 542), teste etiam registro vaticano Urbani V, nº 253, fol. 89.

3) Cf. p. 429, 440, 449, 456, 457, 462, 465, 466, 471, 472, 474, 475, 505, 513, 516, 520, 538, 540, 555, 557, 558.

4) Cf. p. 454, 518, 538.

5) Cf. p. 3, 68, 69, 221, 232, 241, 253, 269, 310, 327, 335, 337, 370, 377, 379, 383, 395, 398, 400, 406, 521, 539, 541, 544.

obedientia [1], clausura [2], ieiunium et abstinentia [3], abbatum praesentia in capitulo generali [4], et ceterae huiusmodi.

* * *

Quoad editionem textuum quos e codicibus manuscriptis eruimus, eamdem methodum ac in duobus praecedentibus tomis, etiam in hoc tertio secuti sumus, nempe fidelissimam fontium transcriptionem lectoribus offerre voluimus, ut unusquisque inter diversas nominum praesertim propriorum interpretationes suam proponat ac praeferre possit. Ne dicas ergo in nostro textu multa irrepsisse menda typographica quando vides, v. g. idem nomen sub dissimili forma in eodem decreto vel in nota citatum [5].

Statutorum collectiones *plenissimae*, de quibus disseruimus tomo I, p. XVI, desinunt anno 1282, et pro insequenti saeculo non inveniuntur nisi collectiones *breves* et *brevissimae*; imo aliquando transcriptores codicum facti sunt abbreviatores; testes sint codex cenomanensis *(E)* et codex parisinus secundus *(P^2)*. Datur tamen exceptio pro annis 1344 et 1352, quorum statuta capitularia in foliis membranaceis apud Claramvallem transcripta fuerunt, quae hodie in archivo publico Trecensi servantur, anni 1352 quibusdam foliis deperditis.

Nostrorum fontium, scilicet manuscriptorum codicum, numero decrescente, editori licuit notas restringere ut ampliores darentur textus in paginis; imo historicae notae fere omnino deficiunt, et pro nominum locorum et personarum interpretatione remittitur lector ad *Indices* qui, Deo favente, simul cum ultimo volumine prodibunt.

---

1) Cf. p. 50, 58, 64, 72, 74, 80, 89, 98, 104, 105, 106, 166, 186, 189, 220, 225, 254, 294, 307, 348, 401, 402, 441, 444, 476.

2) Cf. p. 10, 37, 47, 59, 128, 140, 177, 198, 268, 293, 304, 343, 445, 454, 473, 514, 517.

3) Cf. p. 230, 268, 269, 299, 315, 317, 323, 324, 337, 348, 365, 372, 380, 391, 394, 399, 518, 533, 550, 554.

4) Cf. p. 2, 64, 80, 128, 139, 279, 293, 306, 317, 396, 399, 405, 445, 503, 539,

5) Cf. v. g. p. 121, 122, 123, 132, 138.

SERIES FONTIUM MSS CUM SUIS SIGLIS

Hic illos tantum recensemus codices qui ad praesentem tomum contexendum aliquid contulerunt ; cf. t. I, p. XVII-XXIII ubi uberior habetur enumeratio et annotatio.

CODEX ABBATISVILLAE.

A1 Ms. 28 (XVIII° s.) inter alia continet statuta annorum 1285 ad annum 1298.

CODEX BRUXELLENSIS.

B1 Ms. 3896 (5038-39) bibliothecae regiae apud Bruxellas, fol. 79ᵛ-91ᵛ praebet quaedam statuta ann. 1350 ad 1361 in linguam gallicam translata XIV° s. ad usum monialium.

CODEX BEROLINENSIS.

B2 Ms. 146 coll. Hamilton bibli. Universitatis Berolinensis ; codex membranaceus XVIⁱ s. continens diffinitiones ann. 1290 ad 1300 inclusive.

CODEX BYLOCENSIS.

By Ms. 3406 bibliothecae abbatiae cist. de Stamedio ; iste codex membranaceus, exaratus apud moniales de Byloca in Belgio, continet ad calcem diffinitionem cap. gen. anni 1355 quae transcripta fuit saeculo XV°.

CODEX DIVIONENSIS.

D1 Ms. 615 (363), XVIII° saeculo confectum ad monialium usum, titulum habet : *Les statuts de l'ordre de Cîteaux pour le gouvernement des religieuses qui en suivent l'institut.* Pauca tantum excerpta continet ab anno 1203 usque ad annum 1738 et in gallicam linguam translata.

CODEX CENOMANENSIS.

Ms. 357 biblioth. publicae civit. Cenomanen.; codex membranaceus (XIV° s.) continens diffinitiones annales 1290-1309. **E**

CODEX INSULENSIS.

Saeculo XV° exaratus in abbatia cist. de Laude prope Insulas, nunc in publico istius civitatis Archivo signatus 27 H n° 70. Plenissimam refert collectionem ab anno 1190 ad annum 1220; deinde ab anno 1389 ad annum 1405. **J**

CODEX LUCERNENSIS.

Tomus I tantum citatur ex octo qui hodie in Archivo Status Lucernae asservantur sub n° 544. In hoc tomo leguntur

p. 1 ad 290: « Definitiones ab anno 1157 ad annum 1282. » **L1**

p. 291 ad 465: « Extractum ex registro capitulorum generalium sacri ordinis cisterciensis ex anno 1190 ad 1266 inclusive.» **L2**

Post p. 465, paginatio nova: « Capitula generalia ordinis cisterciensis ab anno 1387 ad annum 1405. » **L1**

FRAGMENTUM SUCCURMONTENSE.

Unicum folium membranaceum exaratum XIV° s. referens decem diffinitiones anni 1320. **N**

CODICES PARISINI.

Ms. 296 (27 H. L.) bibliothecae dictae de l'Arsenal. Titulum habet: « Registrum capitulorum generalium ordinis cisterciensis, ab anno 1190 usque ad annum 1282. » **P1**

Ms. 782 eiusdem bibliothecae; titulum habet: « Excerptum ex 2°, 3°, 4°, 5°, 6°, 7°, 8°, 9°, 10°, 11°, 12° et 13° registris capitulorum generalium cisterciensium, ab anno 1387 usque ad annum 1557 ». **P2**

Ms. 1402 (n. a. l.) eiusdem bibliothecae. Iste codex ab ipsomet L. Delisle descriptus fuit in libello: *Catalogue des manuscrits du fonds de la Trémoïlle*, Paris, 1889, p. 38; fol. 123ʳ ad 129ᵛ continet statuta anni 1317 ad annum 1321. **P8**

P9 Ms. 10894 eiusdem bibliothecae, membranaceum exaratum sub fine XIVi saeculi in abbatia cist. de Grandisylva, praeseferens statuta anni 1317 ad annum 1343.

P10 Ms. 1758 (2421) bibliothecae Mazarinae ; titulum habet : « Excerptum ex primo registro capitulorum generalium Cisterciensium ab anno 1190 usque ad annum 1282 ».

CODICES LONDINENSES.

Q Ms. 11294 Musaei Britannici saeculo XIIIo exaratum, statuta anni 1257 ad annum 1288 refert ; edita fuerunt a. J. T. Fowler, London, 1890.

Q2 Ms. 3708 Harleian coll. eiusdem bibliothecae, membranaceum exaratum saeculo XIVo, statuta anni 1290 ad 1299 refert ; quaedam tamen desunt folia pro annis 1291, 1292, 1293.

CODEX MONACENSIS.

R1 Apud bibliopolam L. Rosenthal, *Catal.* CVI, ms. 5316 statuta annorum 1350 ad 1437 refert.

CODEX PICTAVIENSIS.

R2 Ms. 128 (302) Pictaviensis bibliothecae, ax antiqua abbatia cisterc. de Stella. saeculo XIIIo confectum, fol. 54 statuta annorum 1260 ad 1264 refert.

CODICES TRECENSES.

T1 In archivo Trecensi, sub no 3 H 145 (iuxta novam ordinationem) servantur folia membranacea quae statuta annorum 1344 et 1352 referunt.

T5 Ms. 1796 bibliothecae publicae civitatis Trecensis saeculo XVIIo confectum, et cui titulus : « *Variae ordinationes seu decreta capitulorum generalium cister. ord. extracta ex antiquioribus manuscriptis in archivis asservatis* ». Incipit cum anno 1221 et pergit ad annum 1699, multis tamen intermediis annis deficientibus.

CODEX DUSSELDORFIENSIS.

Mss C 32 et 34 bibliothecae publicae dictae civitatis statuta annorum 1292 ad 1313 praebet. U

CODEX VINDOBONENSIS.

Ms. 2234 (304) bibliothecae imperialis Vindobonae, statuta annorum 1258 ad 1350 refert. V

COLLECTIONES EDITAE.

J. Loserth publici iuris fecit in *Neues Archiv*, t. XLI, p. 619-632, ms. 1610 (39/54) bibliothecae Universitatis Graciae (Graz) referens statuta anni 1290 ad annum 1330. G

Thesaurus Anecdotorum a Domno Edm. Martène et D. Urs. Durand, Parisiis, 1715, tomus IV, col. 1243 ad 1646 continet : « Statuta selecta capitulorum generalium ordinis Cisterciensis ex variis codicibus manuscriptis ». M

J. T. Fowler edidit ms. 11294 Musaei Britannici : *Cistercian statutes* (1257-1288), London, 1890. (Reprinted from *The Yorkshire Archeological Journal.)* Q

Phil. Panhölzl, ord. cist. edidit in *Studien und Mittheilungen...* t. VI, 1885, II, p. 244-264, ms. 96 bibliothecae abbatiae de Altovado, statuta referens anni 1322 ad annum 1342 omissis tamen statutis iam apud Martène citatis. S

Franz Winter in libro suo : *Die Cistercienser des nordöstlichen Deutschlands*, Gotha, 1868-1871, sub fine tertii tomi, p. 100-354, publici iuris fecit paucas quasdam definitiones capituli generalis cisterciensis ab anno 1182 ad annum 1531 quae, ut plurimum, ad abbatias Germaniae partium spectant. W

BENE
dict9
epvs
seru9
seruo
rum
dei.

Ad perpetuam rei me-
moriam. Fulgens sicut
stella matutina in me-
dio nebule sacer ~~est ex~~
cisterciꝫ ordo in ecclia
militante strenue mi-
litat opibꝫ et exemplis
feruidusqꝫ satagit per
sce conuisationis applau-
sum et inocentis uite
meritum montana
scandere cū maria. seqꝫ
p exerciciū laudabilium
actionū ac pensium pior
opū curiosum marthe
satagentis officio cōfor-
mare. Hic nempe or

BENEDICTI XII BULLA "FULGENS,,
ex ms. 600 biblioth. public. Divionensis,
olim apud Cistercium exarato

Ex ms. 11294 addit.
Musaei Britannici. *(Q)*

1262

Ex statutis huius anni, Martène (*Thesaurus anecdotorum*, t. IV, 1397-1399) tredecim erronee notavit sub anno 1252 ; sub hoc anno 1262 edit iterum decem ex illis, nempe statuta 1, 2, 3, 4, 5, 8, 10, 11, 12, 13 ; cf. supra t. II, p. 375.

Anno [a] Domini millesimo ducentesimo sexagesimo secundo statuta sunt haec apud Cistercium [b] tempore Capituli generalis.

1. Statuit et ordinat Capitulum generale quod cum collectae fuerint in Ordine, patres abbates inter domos quae ratione filiationis spectant ad eos, summam impositam seu imponendam secundum vires facultatum, sive reddituum, teste conscientia, aequaliter dividant, nihil superaddentes, nihil ad usus proprios retinentes praeter moderatas expensas seu usuras, si aliquas propter hoc [a] solvere oportuerit, aliquibus filiis abbatibus ad distributionem huiusmodi convocatis, ita tamen quod ipsi [b] patres abbates ad solvendum pro rata sua secundum legem superius impositam eorum filiis sunt adstricti, et possunt et debent dicti patres filios suos ad solvendum compellere auctoritate Capituli generalis ; qui vero fraudulenter contra formam venerint suprascriptam, auctoritate eiusdem Capituli generalis noverint se suspensos.

2. Nullus [a] pro culpa sua emissus, ad petitionem saecularium ad reversionis [b] gratiam admittatur [c].

3. Item, quaestionem propositam in Capitulo quis deberet vestire [a] hospites in alienis domibus existentes, interpretatur [b] idem Capitulum generale, quod si domus, in qua fuerit hospes, vestimenta generaliter non habuerit, illo anno abbas proprius eisdem providere in vestibus teneatur.

4. Auctoritate Capituli generalis inhibetur [a] abbatibus Ordi-

---

1262. [a] *Titulus apud P^1 V tantum.* [b] in Capitulo generali : P^1.
1 : $L^2MP^1P^{10}QR^2$. [a] hoc : *deest* P^1. [b] ipsis : $L^2P^1P^{10}$. **2** : $L^1MP^1QR^2T^5V$. [a] Statuit et ordinat Capitulum generale quod... : $L^1P^1R^2$. [b] recepcionis : *V*. [c] revertatur : L^1P^1. **3** : $L^1L^2MP^1P^{10}QR^2V$. [a] monachum emissum : *V*. [b] statuit : *V*. **4** : $L^1MP^1QR^2V$. [a] *hic incipit* L^1.

nis [b] universi [c], ne per litteras se obligent [d] de aliquo recipiendo in monachum vel conversum. Litteras autem iam super hoc datas [e] nullius esse roboris denuntiat Capitulum generale.

5. Item, ordinat Capitulum generale quod ad denuntiationem unius inquisitio nullatenus committatur, nisi denuntiator ad talionem se duxerit obligandum.

6. Item, statuit et ordinat Capitulum generale quod abbas Vallis magnae in domo scolarium Ordinis in Montepessulano studentium eamdem iurisdictionem et auctoritatem in providendo seu absolvendo habeat, quam habet abbas Claraevallis in domo scolarium Parisiensium [1], maxime cum dicta domus sit membrum proprium Vallis magnae, et insuper eisdem privilegiis, consuetudinibus et indulgentiis omnibus gaudeat, quibus dicti scolares Parisienses gaudent, et hactenus sunt gavisi, salva semper [a] hospitalitatis gratia, quae in dicta domo de Montepessulano debet [b] hospitibus exhiberi.

7. Item, concedit [a] et indulget Capitulum generale quod conversi [b] monialium [c], cum per abbatias Ordinis eos transire contigerit, recipiantur in refectoriis conversorum, dummodo conversis Ordinis [d] conformati [e] sunt in habitu et tonsura.

8. Ad venerationem Corporis Iesu [a] Christi, et ad securitatem maiorem ordinat Capitulum generale quod abbates, qui voluerint et potuerint, aliquod vas idoneum sibi studeant comparare, in quo corpus dominicum [b], ad communicandum infirmos securius quam in calice deferatur.

9. Cum quidam abbates de non veniendo ad Capitulum generale, ratione paupertatis se excusent, decernit idem Capitulum generale excusationem huiusmodi nullam esse, et addit quod qui huiusmodi praetextu ad generale Capitulum eo anno non venerint quo tenentur, poenam sustineant [a] in Usibus constitutam [b].

---

[b] Ordinis universi : *deest V.* [c] universis : P^1. [d] alicui ad recipiendum aliquem : *V.* [e] cassat : *sic desin. V.* **5** : $L^1L^2MP^1P^{10}R^2$. **6** : $L^1L^2MP^1P^{10}QR^2$. [a] semper : *deest* L^1. [b] debetur : L^1. **7** : $L^1MP^1QR^2VW$. [a] concedit et : *deest V.* [b] *hic incip.* L^1. [c] Ordinis admitti possunt in : L^1. [d] in vestitu conformentur et tonsura : *V.* [e] sint illis conformes : L^1. **8** : $L^1L^2MP^1P^{10}QR^2$. [a] Iesu : *deest* L^1. [b] Domini, tam : L^1 ; Domini, cum : L^2 ; Domini ad : *M.* **9** : $L^1MP^1QR^2$. [a] peragant : P^1. [b] *Brevius*

---

[1]) Collegium sancti Bernardi.

10. Item, statuit et ordinat Capitulum generale quod cum aliquis abbas alicui [a] monacho vel converso suo aliquam grangiam suam ad firmam concedit, soluto [b] censu in quo tenetur monachus vel conversus abbatiae, residuum bonorum [c] sibi commissae grangiae non appropriet, nec praeter ordinationem abbatis aliquid [d] inde facere audeat vel praesumat.

11. Item, super ingressum mulierum in abbatiis [a] Ordinis auctoritate papalium litterarum, ordinat Capitulum generale quod diffinitio olim super hoc edita ab omnibus observetur.

18. Cum praeter [a] communem Ordinis habitum quidam abbates Ordinis mantellos habeant, et pelliciis [b] utantur, interdicit Capitulum generale ne [c] diversitas huiusmodi habitus ulterius praesumatur ; qui [d] vero contravenire praesumpserit, et ad usum suum portari fecerit, a vino penitus abstineat, et gradus altaris pariter non ascendat.

13. Oratio [a] *Deus venerunt gentes*, quae ad missam dici [b] consuevit, et responsorium *Aspice Domine*, penitus revocantur.

14. Item, ob reverentiam sanctarum XI millium virginum statuit et ordinat Capitulum generale quod festum earum cum duabus missis fiat per Ordinem universum. Historiam autem cum lectionibus in Capitulo praesentatam abbas Vallis Sancti Lamberti deferat ad sequens Capitulum generale, et conversi laborabunt.

15. In favorem venerabilis patris nostri domini Cistercii conceditur parochianis de Eschardeborc [a] una missa pro defunctis a singulis sacerdotibus Ordinis universi.

16. Item, ad petitionem reginae Angliae pro sorore sua regina Romanorum dicatur una missa pro defunctis in singulis domibus Ordinis universi, et fiat anniversarium suum in domo de Eleemosyna in crastinum Quatuor Coronatorum.

17. Petitio comitissae Britanniae de faciendo anniversario suo post obitum suum per universum Ordinem, exauditur.

---

apud L^1 : Cap. gen. declarat abbates qui causam paupertatis praetendunt ne veniant ad Cap. gen. non esse sufficienter excusatos ; et de cetero huiusmodi excusationem non valituram. **10** : $L^1L^2MP^1P^{10}QR^2V$. [a] alicui : *deest* V. [b] statuto : L^1. [c] bonorum : *deest* L^1. [d] aliud : P^1V. **11** : $L^2MP^1P^{10}QR^2$. [a] nostris : L^2. **12** : $L^1L^2MP^1P^{10}R^2V$. [a] propter : L^2P^{10}. [b] pellibus : V. [c] ne diversitas... praesumatur : *deest* V. [d] qui contravenerit : V ; *brevius apud* L^1 : contraveniens a vino abstineat nec ascendat ad gradum altaris. **13** : $L^2MP^1P^{10}R^2$. [a] Psalmus : M. [c] fieri : P^1P^{10}. **14** : $L^2MP^1P^{10}QR^2W$. **15** : $L^2MP^1P^{10}$. [a] Ischardeborc : M. **16-27** P^1.

18. Petitio nobilis mulieris ducissae Brabantiae de faciendo anniversario ducis mariti sui iam defuncti pridie kalendas martii per universum Ordinem, exauditur.

19. Petitio nobilis viri Ioannis de Castellione comitis Blesensis de associando patre suo et matre anniversario comitissae Blesensis, exauditur.

20. Petitio abbatis de Fullentio [1] qui petit fieri anniversarium comitis Convenarum in domo propria, exauditur.

21. Petitio abbatis de Curia Dei qui petit fieri anniversarium domini Ioannis quondam archidiaconi de Ilbessia in conventu solemniter, exauditur.

22. Petitio abbatis Loci regii qui petit fieri anniversarium pro fundatoribus suis solemniter in conventu, exauditur.

23. Petitio domini archiepiscopi Sebillensis [2] de uno monacho de Sacramoenia eidem pro confessore assignando, exauditur.

24. Petitio abbatis Caraevallis in Lombardia de faciendo festo beati Ambrosii quandocumque Mediolanenses dictum festum faciunt, exauditur.

25. Petitio filiorum Sancti Galgani [3] de faciendo festo sancti Galgani in domibus eorum cum una missa et XII lectionibus, exauditur.

26. Petitio comitis de Fusi [4] de duobus monachis et duobus conversis eidem assignandis de domo de Borbona ad divinum officium et alia spiritualia et honesta officia exequenda, exauditur.

27. Petitio abbatis de Colle victoriae de habendo infirmitorio in quo fundare intendit abbatiam monachorum misericorditer exauditur ita quod domus idonea ad hoc specialiter deputetur.

28. Petitio ducis Bavariae qui petit sibi in eleemosynarium unum conversum de Sconaugia [a], exauditur.

29. Petitio abbatis de Bethania qui petit anniversarium fundatorum suorum fieri in domo sua in conventu solemniter, exauditur.

30. Petitio abbatis Bonae vallis de dispergendo conventu Stamedii si expedire viderit, exauditur.

---

28 : *MP¹W*. [a] Sconaugiae : *MW*. **29-43** : *P¹*.

---

1) Fulium. 2) Sevilla seu Hispalis cuius episc. erat Raimundus de Losaña, ord. Praed. 1259-1286 (88 ?), *SE*, 72 ; *HC*, I, 277. 3) i. e. monachi abbatiae Sancti Galgani et abbatiarum filiarum. 4) Fuxi, Foix.

31. Petitio abbatis de Castellione de non suscipiendis hospitibus si conventum suum retinere potuerit per quinquennium, exauditur.

32. In provincia Remensi fiat festum beati Nichasii et sociorum eius sicut sancti Dionisii et sociorum eius.

33. Petitio abbatis de Evra [1] qui petit fieri in domo propria festum sancti Cosmae cum XII lectionibus committitur abbati Morimundi, qui in dicta domo fieri faciat si viderit expedire.

34. Petitio abbatis Sancti Andreae de Sexto qui petit absolvi a susceptione hospitum per triennium, exauditur.

35. Petitio abbatis de Laude qui petit absolvi a susceptione hospitum per biennium, exauditur.

36. Petitio abbatis de Ripalta qui petit absolvi a susceptione hospitum per triennium, exauditur.

37. Petitio abbatis de Coeli porta quae petit pro se et pro filiabus suis absolvi a susceptione hospitum per quadriennium, exauditur.

38. Petitio abbatis de Lanix [2] qui petit absolvi a susceptione hospitum per triennium, exauditur.

39. Petitio abbatis de Triragio [3] qui petit absolvi a susceptione hospitum per quadriennium, exauditur.

40. Petitio abbatis de Regniaco qui petit absolvi a susceptione hospitum per quinquennium si conventum suum retinere potuerit, exauditur.

41. Petitio abbatis Altaecumbae qui petit absolvi a susceptione hospitum per triennium exauditur, dummodo duarum abbatiarum de linea sua destructarum monachos quantos in domo sua retinere potuerit retineat et sustentet; reliquos autem ad alias domos ei remittere liceat auctoritate Capituli generalis.

42. Petitio abbatis Caraevallis qui petit absolvi a susceptione hospitum exauditur per quadriennium, dummodo duodecim personas de Cereto filia sua quasi destructa in domo sua habeat et sustentet.

43. Cum super enormi facto quorumdam monachorum et conversorum de Borbona qui in abbatem suum manus temerarie iniecerunt clamor devenerit ad Capitulum generale, de Bono-

---

[1]) Ebracum. [2]) Labaciae. [3]) Trisagium.

fonte et de Fullantio [1] abbatibus committitur auctoritate Capituli generalis quod ad locum personaliter accedentes, convocatis aliis abbatibus diligenter inquisitione facta super excessibus eorumdem ipsos puniant secundum Ordinis instituta, et quoniam longe plus quam conspiratores Ordinis excesserunt, poenae conspiratorum eisdem infligendae adiiciant quod superaddendum iudicaverint, ut posteris a temeritate consimili caveatur. Abbas de Fullantio hoc collegae suo denuntiet.

44. Sententia suspensionis in fratrem Iacobum quondam abbatem Pontigniacensem [a] auctoritate Capituli generalis lata, a proximo Pascha usque ad tres annos futuros penitus revocatur ; ita tamen quod si domus Pontigniaci illo termino non fuerit indemnis reddita ab illo contractu pariter et usuris, pro quo dicta suspensio a generali Capitulo eidem est inflicta, in quocumque statu vel gradu, aut [b] termino fuerit idem Iacobus praenotatus [c], in praedictam sententiam auctoritate Capituli generalis retrudetur. Abbas Prulliaci hoc ei denuntiet.

45. Abbates de regno Portugaliae et de regno Legionensi qui ad generale Capitulum non venerunt, ut tenentur, poenam peragant in Usibus constitutam. Patres abbates hoc eis denuntient.

46. Abbas Villae longae et omnes alii abbates et maxime de Hispania qui non venerunt ad generale Capitulum ut tenentur nec se excusaverunt, poenam peragant in Usibus constitutam. Patres abbates hoc eis denuntient.

47. Querela abbatis de Vuaureleya [2] contra quosdam abbates de Anglia committitur abbati Belli loci regis qui convocatis partibus diligenter inquirat et, si de debito sibi constiterit, ipsos ad satisfactionem compellat auctoritate Capituli generalis.

48. Querela abbatis de Villario iuxta Metum [3] contra abbatem Clariloci, de Castillione et de Bello prato abbatibus committitur in plenaria Ordinis potestate pac[ificanda], etc., et quid inde, etc.

49. Querela abbatis de Melone contra abbatem de Visaria [4] et contra abbatem de Armentaria, de Foenalibus et de Monte Ramorum abbatibus committitur, etc., ut supra.

50. Querela abbatis de Villario in Brabantia contra abbatis-

---

44 : $L^2MP^1P^{10}$. [a] Pontigniaci : *M*. [b] aut : *deest* P^1P^{10}. [c] praenotato : P^1P^{10}. **45-68** : P^1.

---

1) Fulium. 2) Waverleya. 3) Villarium in Betnach. 4) Ursaria.

sam de Aquiria, de Valle Sancti Lamberti et de Valle Dei abbatibus committitur, etc.

51. Querela abbatis Loci regii contra abbatem de Callovio, de Domo Dei et Fontemorum [1] et de Ruppibus abbatibus committitur, etc.

52. Soror Lisa, monialis Vallis ducis, quia multoties inobediens fuit Ordini, a domo propria emittatur non reversura nisi de licentia Capituli generalis.

53. Querela abbatissae de Hoch contra abbatissam de Errode [2], de Balanciis [3] et de Alba [4] abbatibus committitur, etc.

54. Querela abbatis de Obezina contra abbatem de Flagris [5], de Bellapertica et de Montepetroso abbatibus committitur, etc.

55. Querela Fratrum Praedicatorum contra quosdam abbates de Britannia, abbati de Eleemosyna committitur.

56. Querela abbatis Scalae Dei contra abbatissam de Pulchro visu, de Berdonis et de Sancto Benedicto abbatibus committitur, etc.

57. Querela abbatis Altae sylvae contra abbatem Clariloci, de Bello prato et de Sancto Benedicto abbatibus committitur, etc.

58. Inspectio loci in quo petit transferri abbatiam de Velpa [6], filiam suam, abbas de Salem, de Porta Coeli abbati committitur in plenaria Ordinis potestate, etc.

59. Inspectio loci in quo intendit fundare abbatiam monachorum nobilis vir Milo, de Plauz [7] et de Zara [8] abbatibus committitur, etc. Abbas de Vilegade [9] hoc eis denuntiet.

60. Inspectio loci in quo transferre intendit domum suam abbas Silvae regalis, de Bona valle et Vallis magnae abbatibus committitur, etc.

61. Inspectio abbatiae monialium de Campo solis quam petit incorporari Ordini dominus episcopus Herbibelens[is][10] et episcopus Babergen[sis][11], de Hebraco[12] et de Beledense[13] abbatibus committitur, et sit filia Cistercii, etc.

62. Inspectio loci in quo fundare intendit abbatiam in fundo

---

1) Fons Morigniaci. 2) Herkenroda. 3) Valloriae. 4) Alna. 5) Frenada, Obazinae filia. 6) Wettingen, seu Maris Stella. 7) Plassium. 8) Fons Sanctae Mariae in Saar. 9) Welehradum. 10) Iringus de Reinstein, Herbipolen. episc. 1254-1265, *SE*, 324 ; *HC*, I, 273. 11) Bertholdus de Leiningen, Bambergen. episc. 1259-1285, *SE*, 259 ; *HC*, I, 126. 12) Ebracum. 13) Bildhusa.

proprio abbas de Colle victoriae, de Buelio et de Petra fertili abbatibus committitur, etc.

63. Item committitur eisdem in plenaria Ordinis potestate quod ad abbatiam Sancti Patricii Ordinis sancti Augustini quae Ordini nostro petit incorporari, personaliter accedentes pensatis omnibus quae secundum Ordinem sunt pensanda, illam incorporent si viderint expedire, et quid inde, etc.

64. Inspectio loci in quo nobilis domina regina Navarrae transferri petit abbatiam de Barrelia [1], de Fonte bono [2] et de Sacramoenia abbatibus committitur, etc.

65. Inspectio loci de Campo Sanctae Mariae quem petit incorporari Ordini episcopus [3] et capitulum Basileense, de Bethania et de Porta Coeli abbatibus committitur, et sit filia de Lucelan [4], etc.

66. Inspectio loci in quo intendit fundare abbatiam dux Bavariae, de Sconaugia et de Scileriis [5] abbatibus committitur, etc.

67. Translatio abbatiae Francarum vallium, Aquae bellae et Vallis magnae abbatibus propter aeris corruptionem intolerabilem iterato committitur in plenaria Ordinis potestate, qui incontinenti post generale Capitulum ad locum personaliter accedentes, pensatis omnibus quae secundum Deum et Ordinem sunt pensanda, domum transferant, si viderint expedire, et quid inde, etc.

68. Abbatibus de Anglia inhibetur auctoritate Capituli generalis ut fines diffinitionum, de convocandis abbatibus pro defendendis libertatibus Ordinis, non excedant.

69. Proclamationem factam contra abbatem de Firmitate super iniusto, ut dicebatur, processu in electione de Maceriis nuper facta, sic determinat Capitulum generale quod, inquisita veritate plenius et diligentius intellecta, ipsum abbatem in nullo reperit penitus erravisse.

70. Iudicibus a Capitulo datis super querela abbatis Grandisylvae contra abbatem Gerimundi [6], abbas Bellaeperticae tertius iudex additur auctoritate Capituli generalis.

---

69 : *L²MP¹P¹⁰*. **70-75** : *P¹*.

---

[1]) Marcilla, quam fundavit Sanctia, Sanctii VI uxor. [2]) Bonus Fons. [3]) Bertholdus de Pfirt, Basileen. episc. 1250-1262, *SE*, 261 ; *HC*, I, 129. [4]) Lucella. [5]) Speciosa vallis. [6]) Gimundus.

71. Cum venerabiles patres domini cardinales Ordinis nostri super revocatione sex marcharum in domo de Valle salutis fratri Michaeli Exoclanto facta per Capitulum generale, eidem Capitulo direxerint scripta sua, de Voto in Hybernia et de Dublinia [1] abbatibus committitur auctoritate Capituli generalis quod ad locum personaliter accedentes et causam dictae provisionis inquirant et si viderint expedire, dictam provisionem revocent, non expectata ulteriori voluntate Capituli generalis, et quid inde, etc.

72. Abbati Belli loci regis concedit Capitulum generale quod de monachis in filia sua de Noham [2] existentibus de consilio abbatum de Carreria [3] et de Vuaureleia [4] quos voluerit possit ad domum propriam revocare et alios mittere de consilio eorumdem prout utilitati dictae filiae suae visum fuerit expedire.

73. Super negotio abbatum de Anglia et de regno Franciae qui possessiones habent et redditus in anglicanis partibus committitur abbati de Vallyres [5]; quod si praepositi de Vicent et de Bolonia dictos abbates super pedagio solvendo inquietaverint, agat contra dictos praepositos abbatum in expensis communibus eorumdem.

74. Concedit Capitulum generale abbati de Benedictione Dei pro relevanda paupertate domus suae quod si recuperare potuerit aliquid de legato a comite Forensi cum generali Capitulo facto, illud de gratia eiusdem Capituli habeat et convertat in usus proprios domus suae.

75. De fratre Galnodo quondam abbate Campensi [6] et aliis de dicta domo occasione eius emissis, abbati Morimundi duxit committendum Capitulum generale quod quando eidem visum fuerit expedire eos faciat revocari.

1263

Huiusce anni tredecim priora statuta iam citantur apud Martène sub anno 1253, sed erronee, ut videtur; et sub hoc anno 1263 iterum citantur quatuor ex illis, nempe N° 3, 5, 6, 8.

---

1) Sancta Maria iuxta Dublinum. 2) Newhamium. 3) Quarraria. 4) Waverleia. 5) Valloriae. 6) Vetus Campus.

Anno [a] Domini millesimo ducentesimo sexagesimo tertio statuta sunt haec apud Cistercium [b] in Capitulo generali.

1. Statuit et ordinat Capitulum generale quod principium diffinitionum ab omnibus uniformiter conscribatur in hunc modum : Anno Domini etc. statuta sunt haec apud Cistercium in Capitulo generali.

2. Quaestionem propositam in Capitulo generali videlicet [a] : quis debeat absolvere illos in quos sententiae feruntur ex delegatione ipsius Capituli, vel praecepto ? Sic determinat [b] idem Capitulum generale, quod abbates suos absolvant subditos, et ipsi a patribus abbatibus beneficium absolutionis obtineant, si ipsos in huiusmodi sententias contigerit incidisse.

3. Cum contra omnes Ordinis fugitivos generale Capitulum olim poenas ediderit competentes, ad restringendum [a] etiam nunc eorum excessus multiplices poenis duxit addere memoratis, quod cum ad Ordinem redierint vestimentis novis usque ad tres annos careant, et administrationem aliquam spiritualium sive temporalium nullatenus assequantur. Et quoniam quidam ex illis, suae salutis prodigi, in confusionem Ordinis et in scandalum plurimorum in regulari habitu non verentur per saeculum evagari, ipsos deterioris conditionis esse non immerito iudicans Capitulum generale poenas praedictas eis statuit infligendas, et quod non [b] equitent in futurum nisi de licentia Capituli generalis.

4. Statuit et ordinat Capitulum generale quod cum super aliquo alicuius excessu inquisitio committitur a Capitulo generali, inquisitione pendente pater abbas, illo articulo excepto, super quo commissio facta est, iurisdictionem paternam potest in filium non [a] aliis exercere, ita tamen quod si medio tempore ipsius filii non ex causa dictae commissionis suam receperit cessionem, causam ipsam exponat in sequenti Capitulo generali.

5. Diffinitioni olim editae de esu sive ministratione carnium, addit Capituli generale quod si personae Ordinis eundo ad Curiam sive redeundo, contra diffinitionem [a] venerint memora-

---

1263. [a] *Titulus apud P^1R^2V tantum.* [b] tempore Capit. gen. : R^2V.
1 : $L^2P^1P^{10}QR^2$. **2** : $L^1L^2MP^1$ $P^{10}QR^2V$. [a] v. g. : L^1. [b] decretat : V.
3 : $L^1L^2MP^1P^{10}QR^2V$. [a] restringendos : P^1 ; *V. incip.* : Item ad restringendum. [b] nunquam : L^1. **4** : $L^2MP^1P^{10}QR^2T^5$. [a] in alios : T^5.
5 : $L^1L^2MP^1P^{10}QR^2V$. [a] diffinitiones memoratas : *V*.

tam, quacumque impetrata licentia seu etiam gratis oblata, sint in pane et aqua pro singulis vicibus una die.

6. Inhibetur districte auctoritate [a] Capituli generalis ne abbates vel monachi aliquod genus pellium secum [b] deferant ad utendum [c]; quod si forte propter eminens aegritudinis periculum aliquis transgressus fuerit, monachi tempore visitationis se in capitulo recognoscant ad visitatoris arbitrium puniendi; abbates vero super hoc veniam petant in Capitulo generali. Quod si facere neglexerint gradum altaris, quousque se taliter recognoverint, non ascendant [d]. Diffinitio vero super hoc lata anno praeterito revocatur.

7. Diffinitioni olim editae de pueris Ordinis apud Divionem vel in via Capituli rixantibus et ducentibus choreas [a] seu aliquid tale facientibus, unde scandalum Ordini oriatur, addit Capitulum generale quod, quamdiu abbates tales secum retinuerint, a vino abstineant omni die, et abbates ante ingressum Divionis in via Capituli non negligant suis servientibus hanc poenam renuntiare [b].

8. Cum per domini Papae privilegium sit inhibitum, ne de confessionibus seu absolutionibus monialium se aliqui intromittere audeant, nisi de patris abbatis licentia speciali, auctoritate Capituli generalis inhibetur abbatibus Ordinis universis, ne licentiam huiusmodi alicui personae, quae non sit de Ordine nostro concedere audeant vel praesumant.

9. Item, abbati Regalis montis praecipitur auctoritate Capituli generalis, quod picturas, imagines [a] et sculpturas, cortinas, columnas [b] cum angelis circa maius altare de novo factas, ad humilitatem et simplicitatem antiquam Ordinis redigat, ita tamen quos sepulchris regalibus vel eorum qui de regali genere prodierunt, nullum praeiudicium per praeceptum huiusmodi generatur; quod si adimpletum non fuerit infra mensem, idem abbas cum priore suo a vino abstineat donec praeceptum Capituli effectum debitum sortiatur [c].

10. Statuit et ordinat Capitulum generale ut monachi in

---

6 : $L^1L^2MP^1P^{10}QR^2V$. [a] auctoritate Cap. gen. : *deest* V. [b] secum : *deest* P^1. [c] nisi propter infirmitatem, et tunc monachi... : V. [d] *hic desin.* V. **7** : MP^1QR^2VW. [a] coreas : R^2. [b] intimare : V. **8** : $L^2MP^1P^{10}QR^2$. **9** : $L^1L^2MP^1P^{10}R^2T^5$. [a] ymagines : R^2. [b] columnas : *deest* L^2P^{10}. [c] *apud* T^5 *habetur redactio brevior.* **10** : $L^2MP^1P^{10}QR^2W$.

abbatiis monialium existentes ibidem de cetero carnes manducare non praesumant.

11. Praecipitur abbatibus Ordinis universi [a] ut monachos et conversos a facie Tartarorum fugientes non obstante vestium insufficientia recipiant, et eisdem in vestibus providere teneantur.

12. Item, conceditur abbati et conventui Athanacensi [a] quod cum ad domos nostri Ordinis diverterint, in nostri refectoriis admittentur ; idem conceditur abbati et conventui Sancti Germani Parisiensis.

13. Statuit [a] et ordinat Capitulum generale ut garciones abbatum ad Capitulum generale venientium, si tempore Capituli domum Cistercii ingressi fuerint, nihil eis ministretur, nisi de quatuor primorum abbatum licentia speciali.

14. Item, de illis qui vadunt ad Curiam vel mittantur, statuit et ordinat Capitulum generale quod diffinitio olim edita super hoc observetur, hoc addito quod causis itineris expositis parti abbati, si infra sex dietas inveniri, idem pater causas praedictas domino Cistercii per litteras suas significet, nec possit pater abbas a via praedicta filium prohibere quin vadat ad Curiam, secundum quod in diffinitione continetur [a].

15. Statuit et ordinat Capitulum generale quod sententia lata auctoritate Capituli generalis in moniales de Burgis [1] in suo robore perseveret.

16. Item, petitio venerabilis patris domini Guidonis tituli Sancti Laurentii in Lucina presbyteri cardinalis, de reddendo eidem [a] plenario officio post eius obitum, exauditur.

17. Item, petitio abbatis Boni montis qui petit absolvi a susceptione hospitum dummodo conventum suum non dispergat, exauditur per triennium ; et hoc idem conceditur abbati de Luc[ell]a auctoritate Capituli generalis ; hoc idem conceditur abbati de Theoloco et abbati de Castellariis conceditur per quinquennium.

18. Item, abbati de Dalphino [a], qui in deportando de Graecia ad domum Cistercii gloriosissimas reliquias, videlicet brachium sancti Ioannis Baptistae, non modicum laboravit, volens generale

---

11 : $L^2MP^1P^{10}R^2W$. [a] universis : P^1. **12** : $L^2MP^1P^{10}QR^2$. [a] Athanaten. : MP^1. **13** : $L^1MP^1R^2$. [a] *cancellatum apud* R^2. **14** : MP^1Q^2R. [a] conscribetur : *M*. **15** : MP^1. **16** : $L^2MP^1P^{10}$. [a] eiusdem : L^2MP^{10}. **17** : P^1. **18** : $L^1L^2MP^1P^{10}$. [a] Delphino : L^1.

---

[1]) Sancta Maria Regalis de las Huelgas prope Burgos.

Capitulum facere gratiam specialem, concedit eidem quod quamdiu in dicta domo abbatizaverit, eo tantum venire termino teneatur quo abbates Syriae [b] venire solent ad Capitulum generale.

19. Petitio archiepiscopi Dublensis [1] qui petit sibi assignari de sua provincia duos monachos vel conversos, dummodo honestis deputentur officiis, exauditur.

20. Petitio episcopi Cisterensis [2] qui petit unum monachum de aliqua domo suae dioecesis sibi assignari dummodo honestis deputetur officiis, exauditur.

21. Item, petitio abbatis Campensis [3] qui petit fieri in domo propria festum sancti Victoris et sociorum eius cum una missa et XII lectionibus, exauditur. Hoc idem conceditur abbati de Insula Pontiana [4] de festo sancti Erasmi. Hoc idem conceditur abbati Francarum vallium de festo beati Egidii et eidem conceditur quod in dicta domo fiat anniversarium fundatorum suorum solemniter in conventu.

22. Item, petitio abbatis Accubatiae [5] qui petit in domo sua fieri festum beati Iacobi cum sua historia et festum Sanctae Coronae, exauditur.

23. Item, petitio episcopi Tirasonensis [6] qui petit sibi associari unum monachum de aliqua domo suae dioecesis, dummodo honestis deputetur officiis, exauditur.

24. Item, petitio episcopi Cerniensis [7] qui petit sibi unum monachum associari de domo de Brondolo, dummodo nil imponatur ei quod dedeceat Ordinem, exauditur.

25. Item, petitio ducissae Saxoniae quae petit duos conversos de Luco [8] sibi assignari, dummodo honestis deputentur officiis, exauditur.

26. Item, petitio abbatis de Vacellis [9] qui petit in domo propria fieri anniversarium bonae memoriae domini archiepiscopi Remensis et aliorum dioecesanorum suorum solemniter in conventu, exauditur.

27. Petitio abbatis de Varenis qui petit in domo propria fieri

---

[b] Scythiae : *M* ; Siryae : *P*[1] ; Sytie : *P*[10]. **19-36** : *P*[1].

---

1) Fulco de Saundford, archiep. Dublinen. 1256-1271, *SE*, 218 ; *HC*, I, 228. 2) Stephanus Berksted, Cicestren. episc. 1262-1287, *SE*, 185 ; *HC*, I, 187. 3) Vetus Campus. 4) S. M. de Pontio. 5) Alcobatia. 6) Alfonsus, c. 1263, *SE*, 78 ; *HC*, I, 486. 7) Ubaldus, Cervien. episc. 1257-1266, *SE*, 680 ; *HC*, I, 163. 8) Loccum. 9) Valcellae.

anniversarium domini de Clodis et uxoris eius, et Bernardi clerici ipsorum per quos dicta domus extitit relevata, in conventu solemniter, exauditur.

28. Item, petitio abbatis Regalis Montis qui petit in domo sua fieri anniversarium domini Theobaldi comitis Belli montis et uxoris suae solemniter in conventu, exauditur.

29. Petitio abbatis de Fiterio qui petit in domo sua fieri anniversarium episcopi Arrogonitani [1] in conventu solemniter exauditur. Idem conceditur abbati de Cassania pro fundatoribus suis.

30. Item, petitio nobilis dominae ducissae Brabantiae quae petit fieri anniversarium bonae memoriae domini ducis Brabantiae viri sui defuncti in domibus terrae suae, exauditur.

31. Item, petitio venerabilis domini Athanacensis [2] abbatis qui petit post obitum suum missam pro defunctis a singulis sacerdotibus Ordinis universi, exauditur.

32. Item, petitio abbatis Vallis lucentis qui petit missam quotidianam pro domino Anselmo constabulario regis Navarrae in propria domo celebrandum, exauditur. Idem conceditur abbati de Bethania pro fundatoribus suis.

33. Item, petitio abbatis de Sar [3] de non veniendo ad Capitulum usque ad tertium annum, exauditur.

34. Abbas de Precibus qui ad Capitulum generale non venit nec se, prout debuit, excusavit, poenam peragat in Usibus constitutam. Abbas de Buzen [4] hoc ei denuntiet.

35. Item, abbas de Iuda [5] qui tempore debito non venit ad Capitulum generale poenam peragat in Usibus constitutam.

36. Item, de Palatiolis, de Cherr[e]to [6], de Strata de Fabali, de Sancto Severo abbates, qui ut debuerant ad Capitulum non venerunt, poenam peragant in Usibus constitutam. Abbas de Fonte vivo hoc eis denuntiet.

37. Item, abbas de Longovado [a] qui quindecim [b] solidos dedit ut suspenderetur comdemnatus ad suspendium, cum alias non

---

37 : *L¹L²MP¹P¹⁰T⁵*. [a] Lonuas : *L²* ; Louvas : *M* ; Lonvas : *P¹* ; Louuas : *P¹⁰*. [b] quinque : *L¹P¹⁰T⁵*.

---

1) An agitur de Tarragona ? 2) Ayglerius, Athanaci abbas, O. S. B., 1253-1265, dein Neapolitan. arciep. † 1281. 3) Fons S. Mariae in Saar. 4) Buzaium. 5) Lysa. 6) Ceretum.

inveniretur qui eumdem suspenderet condemnatum, deponitur in instanti.

38. Abbati Accubatiae [1] committitur auctoritate Capituli generalis quod ad locum iam inspectum ab ipso ad petitionem cancellarii regis Portugaliae, qui dicitur Locus Dei, mittat conventum cum per ipsum innotuerit eidem Capitulo generali dictum locum aedificiis et bonis sufficientibus abundare, et sit filia Accubatiae.

39. Super revocatione fratris Pauli conversi Sancti Sebastiani de Urbe, pro quo scripserunt domini cardinales, abbati de Falera committitur a Capitulo generali ut inde faciat quod sibi secundum Deum et Ordinem videbitur expedire.

40. Cum super electione in domo de Lubes [2] et de Pomoch [3] non recte facta, ut dicitur, clamor devenerit ad Capitulum generale, abbati Morimundi committitur ab ipso Capitulo generali quod processus dictae electionis per se vel per alium faciat diligenter inquiri et quod invenerit anno sequenti renuntiet Capitulo generali.

41. Pervenit ad aures Capituli generalis quod monachi de Langonio in electione monasterii sui graviter excesserunt, de capitulo contumaciter exeundo; hinc est quod abbati de Eleemosyna duxit committendum Capitulum generale quod dictos monachos secundum discretionem sibi a Deo datam puniat prout ipsorum exigunt merita monachorum, illos vero qui in posterum excessum huiusmodi attentare praesumpserint magis culpabiles poenae conspiratorum decernit Capitulum generale subiacere.

42. Abbati de Fontanis [4] committitur a Capitulo generali quod ad abbatiam de Valle Salutis accedens per se vel per alium, causas et rationes diligenter inquirat quare sex marchae fratri Michaeli quondam abbati dictae domus annuatim extiterint assignatae, et quid invenerit anno sequenti renuntiet Capitulo generali. Abbas de Portu Sanctae Mariae hoc ei denuntiet.

43. Cum duo monasteria nigrorum monachorum videlicet de Sancto Iacobo et de Sancto Laurentio Leodiensis dioecesis Ordini incorporari proponant, prout intellexerit Capitulum generale, de Camberone et de Alna abbatibus committitur a Capitulo

---

38-59 : *P*[1].

---

[1]) Alcobatia. [2]) Luba. [3]) Nepomucum. [4]) Fontes in Anglia.

generali quod ad dicta loca personaliter accedentes, diligenter inspectis et pensatis quae secundum Ordinem sunt pensanda, ea incorporent si viderint expedire, et quid inde, etc., et sint filiae Vallis Sancti Lamberti.

44. Inspectio abbatiae monialium Sancti Clementis et filiarum suarum quas petit incorporari illustris rex Hispaniae, de Bardonis et Vallis Ecclesiarum abbatibus committitur in plenaria Ordinis potestate qui ad locum, et quid inde etc.

45. Inspectio abbatiae Sancti Damiani nigrorum [monachorum] quam intendit incorporare Ordini dominus archiepiscopus Landrensis [1], de Columba et de Caravalle abbatibus committitur, etc., ut supra.

46. Inspectio abbatiae de Cames quam petit incorporari nobilis vir Bernardus dominus Cames, de Oseo [2] et de Gradis [3] committitur, etc., et sit filia de Cella [4].

47. Inspectio abbatiae de Goto quam petit incorporari nobilis vir marchio Senensis, de Porta et de Beldehuse [5] abbatibus committitur, etc., et sit filia Vallis Sancti Georgii.

48. Item, inspectio loci in quo fundare intendit abbatiam monachorum nobilis vir comes de Quiburc [6], de Lucela et de Aurora abbatibus committitur, etc.

49. Inspectio loci ad quem petit transferri abbatiam suam abbatissa Vallisdumsellae, Populeti et Sanctarum Crucum abbatibus committitur, etc.

50. Item, inspectio loci in quo fundare intendit abbatiam monachorum nobiles viri dominus Renaldus et dominus Conradus de Strael, de Vuolbendrode [7] et de Scinna [8] abbatibus committitur, etc. Abbas de Cella hoc eis denuntiet.

51. Item, inspectio abbatiae Solduenda [9] quam petit incorporari Ordini dominus episcopus Constantiensis [10] et nobilis vir comes de Alsburc, de Salem et de Aurora abbatibus committitur, etc.; vires facultatum et redditum anno sequenti renuntient Capitulo generali.

52. Item, inspectio loci in quo fundare intendit abbatiam monialium nobilis domina Teresia Aegidii, de Benefassano [11] et de

---

1) Bonusioannes Fissiraga, Laudensis episc. 1252-1289, *SE*, 793; *HC*, I, 295. 2) Ossecum. 3) Gradicium. 4) Vetus cella. 5) Bildhusa. 6) Friburgum. 7) Volkeroda. 8) Coena S. Mariae. 9) Seldenau. 10) Eberhardus de Waldburg, 1248-1274, *SE*, 272; *HC*, I, 204. 11) Benifazanum.

Dilectis filiis .. Mon. Cisterciensis Cabilonensis dioc. et ceteris Abbatibus
et diffinitoribus necnon aliis fratribus ordinis Cisterciensis in generali
eorum capitulo nuperrime celebrando convenientibus salutem etc. Cum
sicut audivimus ex more vestro laudabili delectatis de proximo vestrum
generale capitulum celebrare de reformatione et conservatione status vestri
ordinis tractaturi universitatem vestram monemus et hortamur attente per
apostolica scripta vobis mandantes quatenus sicut viri devoti et pii divini zelum
fervidum habentes ad deum et bonum statum ordinis prelibati sitis soller-
tes in extirpendis viciis et virtutum germinibus conserendis et si
quam inimicus homo zizania seminasset illam providen-
cia amputare curetis et que ad salubrem statum dicti ordinis pertinere
noveritis statuatis et efficaciter exequi studeatis rogaturi devote
altissimum pro statu vestro et universali ecclesie sancte dei. Et ut ad predicta tanto
reddamini promptiores quanto uberiori sedis apostolice gratia senseritis
nos refectos de omnipotentis dei misericordia et beatorum petri et pauli apostolorum

URBANI V EPISTOLA AD CAPITULUM CISTERCIENSE,
ex registr. Vatican. 250, fol. 82

FRAGMENTUM SUCCURMONTENSE

statuta anni 1320 referens *(N)*

Scorpion [1] abbatibus committitur, et Abbas de Benefassano hoc ei denuntiet.

53. Querela abbatis Insulae Pontianae contra abbatem de Senone [2], de Sancto Martino, de Sancto Sebastiano et de Palatiolis abbatibus committitur, etc.

54. Item, querela magistri escabini et tredecim Metensium contra abbatem Clariloci, de Bethania et de Dulci valle abbatibus committitur, etc.

55. Item, querela abbatis de Sconaya [3] contra abbatissam de Orto Sanctae Mariae apud Warmatium, de Alberpurch [4] et de Monte Sancti Thisibodi [5] abbatibus committitur, etc.

56. Item, querela abbatissae de Marches [6] contra abbatem de Alna, de Camberone et de Valle Sancti Lamberti abbatibus committitur, etc.

57. Item, querela abbatis Carraceti contra priorem de Calatravia, de Bardonis et de Scarpio abbatibus committitur, etc.

58. Item, querela abbatis Sanae vallis contra abbatissam Sancti Iacobi de Palude, de Sancto Thoma et de Cara valle abbatibus committitur, etc.

59. Item, querela abbatis Roseriarum contra abbatem de Balerna, de Gratia Dei et de Monte Sanctae Mariae abbatibus committitur, etc., ut supra.

60. A. de Porta et Sibertus de Ozzek [7] abbates auctoritatem accipiunt, coenobium sanctimonialium Stellam S. Mariae ordini incorporandi. Incorporatio facta est 1264.

1264

Anno [a] Domini millesimo ducentesimo sexagesimo quarto statuta sunt haec apud Cistercium in Capitulo generali.

1. Statuit et ordinat Capitulum generale quod diffinitio anno praeterito edita de pueris abbatum ad Capitulum generale venien-

60 : *W* ex SCHÖTTGEN et KREYSIG, *Script. et diplom.* II, 440.

1264. [a] *Titulus apud* P^1R^2 *tantum. Nota quod in codice* R^2 *omnia cancellata fuerunt et quod apud V et W legitur* : Anno Domini 1264 non est capitulum celebratum. **1** : $L^1L^2P^1P^{10}QR^2$.

[1]) Scarpium. [2]) Semprone (S. Spiritus de). [3]) Schonaugia. [4]) Alderspacum. [5]) Mons S. Disibodi. [6]) Marchia Dominarum. [7]) Ossecum.

tibus et Cistercium ingredientibus, penitus revocatur; illa vero diffinitio olim edita, quae 5a distinctione, 8o capitulo continetur, inviolabiliter observetur [a].

2. Cum inter alia quibus hodie per invisibilem spiritalis [a] nequitiae astutiam Ordo noster concutitur et turbatur, etiam super decima et centesima solvenda ad mandatum Summi Pontificis graviter et contra libertates nostras et indulgentias impetatur [b], pro communi commodo Ordinis universi statuit et ordinat Capitulum generale ut duo abbates, videlicet de Firmitate et de Eleemosyna [c] laborem et onus [d] assumant eundi ad Curiam, si necesse fuerit, et necessitates ac paupertatem Summo Pontifici exponendi; quorum potestatem [e] ad agendum, defendendum ac impetrandum sub istis duobus articulis restringit [f] et limitat Capitulum generale, ut videlicet in iis quae ad decimam ac centesimam pertinent [g], excepto quod nec dare nec promittere [h], nec ipsum Ordinem obligare, vel aliquod mutuum contrahere praeter trecentas libras Turonenses, quas eis pro expensis concedit Capitulum generale, habeant potestatem. Si vero contingeret quod supra dictam summam eos oporteret aliquid expendere pro conductu, et etiam alicui aliquid promittere pro contractu mutui supradicti, ad hoc totum solvendum quibus solvendum fuerit vult obligari Capitulum generale et teneri. Ceterum quia nonnulli abbates, qui fuerunt in hoc generali Capitulo, sunt extra fines regni Franciae constituti, vult et concedit Capitulum generale, ut sicut in isto negotio nobis communicant in expensis, sic si in suis partibus et consimilibus contingere eos impeti vel turbari, a nobis eis efficaciter succurratur, et si contingeret quod dicti abbates in equitaturis vel rebus aliis, sine quibus eorum legatio expleri non potest, damnificarentur, tenetur eisdem refundere Capitulum generale.

3. Pro sanctissimo patre nostro et sanctae romanae Ecclesiae Summo Pontifice [1], et pro bono statu Ecclesiae sanctae Dei dicantur tres missae, una [a] de Spiritu Sancto, alia de Beata

---

[a] *Brevius apud* L^1: Per Cap. gen. revocatur diff.... sed illa olim lata inviol. observetur. **2**: $L^1L^2MP^1P^{10}R^2$. [a] specialis: L^2MP^{10}. [b] importatur: L^1; impetratur: *M*. [c] Ela: *M*. [d] honus: R^2. [e] quam: L^1. [f] resstringerit: L^2. [g] pertinere poterunt: L^1MP^{10}. [h] permittere: L^1.
3: $L^2MP^1P^{10}$. [a] prima: L^2; *deest apud M*.

---

[1]) Urbanus IV, 1261-1264.

Virgine, alia de pace, a singulis sacerdotibus Ordinis universi; a singulis vero monachis qui non sunt sacerdotes, nec non ab unaquaque monialium de Ordine: *Veni Creator, Pater noster, Deus qui corda fidelium, Salve Regina,* collecta *Concede misericors Deus*; a singulis autem conversis *Miserere mei Deus, Pater noster, Ave Maria,* usque ad instantem Resurrectionem Domini, dicatur omni die per Ordinem universum.

4. Ad petitionem venerabilis patris domini Guidonis tituli Sancti Laurentii in Lucina presbyteri cardinalis, conceditur abbati Sancti Pastoris quod remaneat primo [a] anno quo tenetur, ita quod secundi tantum [b] anno veniat sicut debet.

5. Petitio nobilis viri domini decani de Ursecia [a] de concedendo sibi monacho de monasterio Francarum Vallium pro confessore et capello, dum erit in exercitu contra paganos, exauditur. Hoc idem conceditur episcopo Agathensi [1] qui petit conversum de Fonte frigido sibi dari.

6. Ad petitionem venerabilium patrum nostrorum domini Ioannis episcopi Portuensis et domini Guidonis tituli Sancti Laurentii in Lucina presbyteri cardinalis, Ordinis defensorum, conceditur quod in abbatia Casaemarii conversi recipiantur, non obstante inhibitione edita olim a Capitulo generali.

7. Petitio abbatis de Columna [2] qui petit fieri anniversarium dominae Ioannae de Castellaria et Luciae dominae de Bello monte, in domo propria, exauditur.

8. Ab petitionem abbatum de Provincia conceditur a Capitulo generali, ut fiat festum beatae Marthae in provincia Arelatensi, Aquensi et Narbonensi cum XII lectionibus et missa, in omnibus domibus monialium Ordinis nostri, et fiat officium sicut in ecclesia in qua sepultum est corpus eius.

9. Petitio abbati Sancti Pastoris qui petit fieri in domo sua anniversarium fundatorum suorum, et solemniter [a] festum sancti Pastoris in domo sua, exauditur.

10. Petitio reverendi patris domini B[erengarii] [a] [3] Elenensis

---

4: *MP*¹. [a] pro: *M*. [b] termino: *P*¹. **5**: *L*¹*L*²*MP*¹*P*¹⁰. [a] Vicesia: *L*¹*L*²*P*¹⁰; Usecia: *M*. **6**: *L*²*MP*¹*P*¹⁰. **7**: *P*¹. **8**: *MP*¹. **9**: *L*²*MP*¹*P*¹⁰. [a] in conventu, exauditur: *P*¹. **10**: *L*²*MP*¹*P*¹⁰. [a] Beati: *P*¹⁰.

---

1) Petrus Raimundi Fabri, 1254-1271, *SE*, 478; *HC*, I, 76. 2) Columba.
3) Berengarius de Cantalupis, Elnen. episc. 1258-1274, *SE*, 600; *HC*, I, 238.

episcopi de habendo monacho confessore et duobus conversis de provincia Narbonensi, quos abbates sui viderint expedire, dummodo honestis deputentur officiis, exauditur.

11. Petitio abbatis de Bonitate Dei [1] qui petit fieri in domo sua anniversarium fundatorum suorum solemniter in conventu, exauditur.

12. Petitio abbatis de Stella qui petit fieri in domo sua anniversarium Agapae quondam comitissae Castri arrandi et fundatorum suorum solemniter in conventu, exauditur.

13. Petitio abbatis de Albiniaco qui petit fieri in domo sua anniversarium fundatorum suorum solemniter in conventu, exauditur.

14. Querela abbatis Casae novae in Lombardia contra abbatem de Palude, Sancti Andreae de Sexto et Peronalli [2] abbatibus committitur in plenaria Ordinis potestate pacificanda, etc., et quid inde, etc.

15. Querela abbatis de Garda Dei contra abbatem de Sancto Marcello committitur abbatibus de Petrosa et de Loco Dei et de Salvanio [3] in plenaria Ordinis potestate, etc., ut supra.

16. Querela abbatis de Loco Dei contra abbatem de Bonacumba, committitur abbatibus patribus, etc., ut supra.

17. Querela abbatis de Benedictione Dei contra abbatem Vallis benedictae committitur abbatibus de Cassania et de Septem fontibus in plenaria Ordinis potestate, etc.

18. Querela [abbatis] Sancti Salvatoris de Monte amiato contra abbatem Sancti Galgani Ulterani [4] dioecesis committitur abbatibus Sancti Martini de Viterbio, Sancti Salvatoris de Perusio in plenaria Ordinis potestate, etc.

19. Querela abbatis Villae longae contra abbatem Fullentii [5] committitur abbatibus Calercii et Bonifontis, etc.

20. Querela abbatis de Senona [6] contra abbatem de Pontio committitur abbatibus Sancti Sebastiani et de Palatiolis et de Marmosolio in plenaria Ordinis potestate, etc.

21. Querela abbatis Sacri portus contra abbatem Ursicampi

11-26 : *P*[1].

---

[1]) Antiquum nomen B. M. de Silva-Mellonis. [2]) Preallum. [3]) Salvanesium. [4]) Vulterana. [5]) Fulium. [6]) Semprone (S. Spiritus de).

committitur abbatibus de Charoliloco et Sacrae cellae in plenaria Ordinis potestate, etc.

22. Querela Ioannis Eduensis contra abbatem Caricampi committitur abbatibus de Longo villari et de Balanciis [1] in plenaria Ordinis potestate, etc.

23. Querela abbatis de Scala Dei contra abbatissam de Pulchro visu committitur abbatibus de Ponte alto et de Rivero [2] pacificanda, etc., ut supra.

24. Inspectio loci in quo fundare intendit abbatiam monachorum nobilis vir Otho comes de Orlando committitur de Walsass [3] et de Plaz [4] abbatibus in plenaria Ordinis potestate, etc.

25. Inspectio abbatiae monialium Sancti Clementis de Toleto committitur abbatibus de Saltibus albis et Vallis Ecclesiarum in plenaria Ordinis potestate, et sit filia Cistercii, et quid inde, etc.

26. Inspectio prioratuum de Enola Sancti Salvatoris in parrochia Sancti Ioannis Perpiniani quos reverendus pater Elnensis episcopus [5] vult incorporare Ordini, committitur abbatibus Fontis frigidi et Vallis de bona [6] in plenaria Ordinis potestate, qui ad locum, etc., et inde fiat abbatia et sit filia Fontis frigidi.

1265

In primis citanda venit Clementis IV bulla *Parvus fons*, quae multis difficultatibus finem imponens ordinem in pace restituit. Saepe edita, invenitur (cf. Potthast, *Reg.*, n. 19185), speciatim in bullario a Ioanne de Cireyo, Cistercii abbate, Divione impresso anno 1491 ; ibidem textus apte dividitur his octo capitulis : 1) Excellens commendatio sacri huius ordinis et detestatio praedictarum difficultatum. 2) De cura vacantis monasterii, nec non de electione et confirmatione abbatis Cistercii qui, facta electione concordi, est apostolica auctoritate confirmatus et potest administrare. 3) De remissione statutorum concilii generalis de electionibus et electoribus ordinis. 4) De capitulo generali et diffinitoribus, de litteris capitulo missis, de iudicibus ab eo datis et de eleemosynis recipiendis. 5) De visitatione domus Cistercii et proclamationibus in ea faciendis. 6) De visitationibus et visitatoribus ordinis, de eorum potestate, evectionibus, pictantiis, emissionibus fratrum, etc. 7) De punitionibus in visitationibus faciendis, de donis suspectis et de protelatione visitationum. 8) De causis depositionis abbatum ; de male depositis, etc.

---

[1]) Valloriae. [2]) Rivetum. [3]) Waldsassum. [4]) Plassium. [5]) Cf. supra stat. 10. [6]) Vallis bona.

* * *

Clemens episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam. **1.** Parvus fons qui crevit in fluvium, et in lucem solemque conversus, in aquas plurimas redundavit, Cisterciensis est ordo praelucidus, qui a sui ortus exordio parvus et humilis abiectione habitus, tenuitate substantiae, humilitatis professione, ac numero professorum, sub fontis metaphora non indigne describitur, cui diversarum illi proprietatem conformitate conformis non immerito comparatur. Hic est enim fons hortorum irriguus ceteras rigans religiones et ordines, ac in ipsos exemplis salutaribus scaturizans. Hic est fons amenus varietate virtutum, praeclarus munditiae puritate, pietate patens, indeficiens sanctitate. Horum merito sic excrescere meruit, ut fontis nomen excedens, fluvius censeatur. Cuius processus laudabilis de virtute in virtutem, ut Deum deorum in Syon videat gradientis, universalis Ecclesiae laetificat unitatem, in qua per meritorum evidentiam clarae lucis splendorem adeptus, quasi stella matutina resplendet in medio nebulae mundi huius, et in ea splendidos emittens radios instar solis, velut aquaeductus de paradiso progrediens, in aquas redundat plurimas, hortum plantationum suarum, coetus quidem claustralium quos produxit, aquis irrigans gratiarum, et vino spiritualis laetitiae fructum inebrians partus sui. Huius siquidem ordinis sacra religio a suae institutionis auspiciis quasi deserta et invia, utpote paucis adhuc initiata cultoribus, tandem honoris et honestatis fructus parturiens, ramos suos, ramos quidem honoris et gratiae, quasi terebinthus extendit, germinans generationes et progenies germinavit. Ea propter laetatur et iubilat laetabunda, et laudans exultat iam in multitudine numerosa spectabilis, quae olim quasi despicabilis in solitudine delitebat. Digne itaque hic ordo dignissimus, dilectus et praeelectus a Domino, eidem psallit et asserit cum propheta : *In terra deserta et invia, sic in sancto tibi* desiderio, et solido proposito religionis *apparui* ; non ut me in habitu vel ambitu ostentationis tibi qui omnia vides ostenderem, sed ut in humilitatis abiectione tuam viderem et, te misericorditer donante, perciperem gloriam et virtutem. Vidit enim et gavisus est ; percepit, ut praemittitur, multae fecunditatis gloriam nihilominus in caritate fundatus. Primi namque ipsius ordinis architecti prima quasi eiusdem ordinis fundamenta in caritate iecerunt, eumdem ordinem ad

instar sponsi caelestis, qui in speciosissima sponsa sua caritatem, ut ipsa fatetur, quo in ea perseverantior fieret ordinavit, caritatis praeceptis et institutionibus ordinantes. Quibus Caritatis Carta nomen nec immerito imponentes, per ipsam ad caritatis conservationem straverunt, iuxta prophetae promissum. Ipsius ordinis lapides ordinati in illa quid maioribus quidve minoribus debeatur apertius statuentes, ut secundum eiusdem prophetae vaticinium, ipsius ordinis agni iuxta suum ordinem pascerentur. Licet autem ordo praedictus, ex caritatis ordinatione firmissimus, et ut castrorum acies ordinata terribilis, continue in spiritualis pugnae procinctu desudans, contra hostes spiritus pugnare didicerit, et ipsos etiam expugnare ; adhuc tamen satan cribrum suum movere non desinit, sed ipsum movet et excutit, exspectans et expetens ut excutiat filios excussorum. Adhuc Sizara Israëlitas, falcatis eos curribus oppressurus, insequitur. Adhuc hostis antiquus peculiarem Domini populum, religiosos videlicet, Dominum contemplationis speculatione videntes, et specialiter in eius partem assumptos, non cessat impetere ; sed totis satagit viribus, variis conatur insidiis, diversis in illos conatibus insilit, ut ipse a participio gaudii caelestis exclusus, in eis iocunde habitantibus unius moris in domo caritatem vulneret, unitatem separet, ipsosque separatos in eiusdem pugnae conflictu debiliores efficiat, et ab eis iocunditatem unanimitatis excludat : hoc ipsum insidiose molitus in personas praefati ordinis, his diebus inter ipsas super diversis articulis discordiarum excitata materia, litium satis seminibus, et iactis seminariis iurgiorum. Nos autem ipsius ordinis sanctitatem et claram famam cuius odor, sicut agri pleni suavitas cui Dominus benedixit, totam replet Ecclesiam singulari zelantes affectu, ne vel ipsius sanctitas talibus nutaret insultibus, vel famae claritas detractorum linguis exposita turbaretur, sed singula in eodem ordine locum, ut praemittitur, decenter sortita retineant, sicque contra praedicti Sizarae impetus de caelo efficacius ipsius ministerio dimicetur, et ipsum facilius, iuxta Deborae canticum, stellae in suo cursu et ordine manentes expugnent ; principiis putavimus obsistendum, exortam in eodem ordine super articulis praedictis dissensionis materiam, vitatis litigiorum anfractibus, et exclusis advocatorum tumultibus, salubris et celeris subscriptae provisionis nostrae compendio decidentes, nunc antiqua ipsius ordinis statuta interpretationis iuvando remedio, nunc eadem apos-

tolica auctoritate firmando, nunc etiam quaedam nova de unanimi consensu Cisterciensis et quatuor infrascriptorum primorum, ac aliorum abbatum et quamplurium personarum ipsius ordinis in nostra constitutarum praesentia, statuendo. **2.** Licet igitur contineatur in Carta praedicta, quod si qua domus eiusdem ordinis abbate proprio fuerit destituta, maior abbas de cuius domo domus illa exivit, ordinationis eius habeat omnem curam, donec in ea abbas alius eligatur (domui autem Cisterciensis, quia mater est omnium, dum proprio abbate caruerit, quatuor primi abbates, scilicet de Firmitate, de Pontiniaco, de Claravalle et de Morimundo provideant, et super eos sit cura domus illius, dones abbas electus in ea fuerit et statutus), hoc tamen ex usu et consuetudine dicti ordinis generali sic interpretandum duximus, ut videlicet administratione vacantis monasterii remanente penes conventum eiusdem, si qua forsan emerserint difficilia, propter quae, vel Cisterciensis ad dictos primos quatuor, vel aliorum monasteriorum conventus ad suos patres abbates duxerint recurrendum. Abbates ipsi curam et diligentiam habeant in consilio et auxilio postulantibus, prout eorum requiret necessitas, impendendis. Et licet administrationem penes singulorum monasteriorum vacantium conventus dixerimus secundum morem servatum hactenus, remanere, sigillum tamen praedicti monasterii Cisterciensis, eo vacante, prior ipsius custodiat consignatum et clausum, sicut hactenus fieri consuevit. In aliis vero monasteriis vacantibus, sigilla eorum patres abbates sigillis aliorum abbatum signata teneant et inclusa. In Carta etiam huiusmodi continetur, quod domo qualibet eiusdem ordinis abbate proprio, ut praedicitur, destituta, electionis die praefixa, etiam ex abbatibus, si quos illa genuerit, advocentur, et consilio ac voluntate patris abbatis, abbatem eligant abbates et monachi domus illius. Ad electionem autem Cisterciensis abbatis, praefixa et praenotata die, ad minus per quindecim dies, ex abbatibus quorum domus de Cistercio exierunt et ex aliis quos noverint praedicti abbates et fratres cistercienses idoneos, convocentur ; et congregati in nomine Domini, abbates et monachi cistercienses abbatem eligant. Super quo contentione orta, quod id non servabatur iuxta ipsius Cartae tenorem : Nos attendentes quod, quamvis ab antiquo per abbates dicti ordinis ita fuerit ordinatum, id tamen in desuetudinem abiit, et iam de communi consuetudine soli monachi vacantis monasterii vocem in electione abbatis habere

noscuntur ; huiusmodi consuetudinem volumus et praecipimus observari, eam laudabilem et rationabilem iudicantes, cum ad ius commune reduxerit, quod fuerat contra iuris communis regulas constitutum, ita quod ea quae de vocandis aliquibus abbatibus, quorum domus de Cistercio exierunt (quod quidem de patribus abbatibus hactenus est servatum), et cetera quae de vocatione huiusmodi, quoad Cisterciense, nec non quoad alia eiusdem ordinis monasteria, in Carta, ut praemittitur, continentur, eadem tam in ipso Cisterciensi quam in aliis monasteriis inviolabiliter observetur. Licet enim praedicti sic vocandi vocem in electione non habeant, eorum tamen praesentia posset esse multipliciter fructuosa. Ceterum, quia circa electionem abbatis praedicti monasterii Cisterciensis fuit ab aliquibus dubitatum, an possit usu aliquo tolerari, quod circa Cisterciensem electum retroactis temporibus est obtentum, videlicet ut Cisterciensis electus, si eius electio fuerit in concordia celebrata, administrare valeat etiam a nemine confirmatus, et sine confirmatione aliqua curam habeat animarum : Nos, ad huiusmodi dubitationem in perpetuum amovendam, statuimus ut in monasterio Cisterciensi celebrata electione concordi, secundum morem hactenus observatum, electus praedicto modo concorditer, eo ipso verus sit abbas Cistercii, et administrandi licentiam, curamque animarum habeat, ac in omnibus pro vero abbate perinde habeatur, ac si a Sede Apostolica confirmationis beneficium habuisset, a qua ipsum intelligi volumus et statuimus confirmatum. Licet autem idem abbas Cistercii praedicto modo auctoritate apostolica confirmetur, nihil tamen depereat per hoc eiusdem ordinis libertati, quam circa cessionem et amotionem abbatis ipsius idem ordo dignoscitur habuisse, quamque ipsi ordini manere volumus illibatam. **3.** Et quia praefatus ordo, in multa simplicitatis puritate fundatus, profecit laudabiliter in eadem, Nos, circa electiones in monasteriis eiusdem ordinis faciendas, sic personas ipsius ordinis procedere toleramus, sicut hactenus processerunt, necessitatem servandi solemnitates seu formas contentas in generali concilio eis de gratia remittentes. Ordinamus autem quod in maioribus abbatiis generationem habentibus cum vacaverint, quindecim dierum ad minus ad eligendum terminus assignetur ; et prior, supprior ac cellerarius vacantis monasterii conveniant de electoribus quos idem prior, postquam de ipsis convenerint, in capitulo nominabit. Patres vero abbates vel visitatores nullum

nominent electorem, nec electoribus praedicto modo creatis, simul vel singillatim aliquod dent praeceptum, nisi quod in publico eis iniungant arctius, ut secundum suas conscientias provideant vacanti monasterio bona fide; nec alicuius vacantis monasterii pater abbas sibi nominari postulet electores, antequam in capitulo nominentur; nec aliquem ex congregatis ad eligendum electoribus ad se vocet, nec verbo vel scripto aut signo eis vel eorum alicui suam insinuet voluntatem; nec electioni clam vel palam impedimentum aliquod inferat, per quod electorum impediat libertatem. Electam vero personam, si sufficiens et idonea vacanti monasterio fuerit, non refutet, et qui contra fecerit, graviter puniatur; nec aliquam personam amoveat ab officio, vel de monasterio eiiciat ipsius vacatione durante. **4.** Insuper statuimus et ordinamus quod in ordine praedicto, iuxta morem laudabilem hactenus observatum, annis singulis generale capitulum celebretur, in quo viginti quinque diffinitores statuantur hoc modo: abbas Cisterciensis tamquam pater, primus nominet quatuor diffinitores de generatione sua speciali, quos idoneos esse crediderit ad diffinitoris officium exercendum. Et exinde praedicti primi quatuor abbates, scilicet quilibet eorum de generatione sua, quinque dicto abbati Cistercii seorsum vel coram aliis nominabit; ex quibus quinque abbas Cistercii, uno praetermisso, quatuor eligat quos sufficientes esse crediderit. Et sic viginti diffinitores erunt, suis quatuor cum ceteris numeratis; quod et praedictos quatuor primos abbates idem abbas Cistercii in capitulo die secunda capituli nominabit et diffinitores instituet, et ipse cum eis vicesimus quintus erit. Si quis vero ex praedictis quatuor primis abbatibus tunc non fuerit in huiusmodi capitulo, idem Cisterciensis de generatione absentis assumet quatuor diffinitores quos idoneos aestimabit. Ut autem praedicti Cisterciensis et quatuor primi abbates, Deum habentes prae oculis, odio et amore ac personarum acceptione postpositis, bona fide procedant; eosque qui nunc sunt et futuros in posterum, ad haec fideliter observanda, sub attestatione divini iudicii et in virtute obedientiae Apostolicae Sedi debitae obligamus, ordinantes et statuentes, quod litterae missae capitulo generali personae infamiam continentes, legantur coram diffinitoribus ordinis supradicti, et quod iudices dati ab eodem capitulo non subdelegent aliis vices suas. Diffinitiones quoque capituli non revocentur, praeter voluntatem diffinitorum in loco residentium consueto.

Statuta de cetero facienda non obligent, nisi in sequentis anni capitulo confirmentur, et per diffinitores nihil diffiniatur prius in capitulo non notatum. Stetur sententiae maioris partis eorum. Cumque ipsorum sententia in discordiam venerit, abbas Cistercii reputabitur pro duobus. Diffinitores vero nominati protestabuntur in capitulo, stando, per iuramentum in verbo sacerdotis, quod iniunctum sibi ministerium ad honorem Dei et utilitatem dicti ordinis fideliter exequentur. Hoc etiam ipse abbas Cisterciensis sedendo facere teneatur. De notandis autem his quae contra memoratum abbatem Cistercii dicta fuerint in capitulo, ita fiat, sicut in casu consimili de alio notaretur. Eleemosynae vero quae mittuntur capitulo generali, recipiantur per duos abbates, quorum unus per eumdem abbatem Cistercii, et alius per praedictos primos quatuor abbates, ponantur de cetero alternatim, ita quod quilibet de ipsis illum ponat secundum suum ordinem vice sua. **5.** Denique, ne in ordine praedicto aliquae possint spinae succrescere vitiorum, praecipimus praedictum Cisterciense monasterium ab eisdem primis quatuor abbatibus annis singulis visitari. Et nisi de die alio abbas Cistercii cum eis convenerit in festo beatae Mariae Magdalenae fiat huiusmodi visitatio annuatim ; nec liceat dicto abbati Cistercii diem mutare condictam sine causa rationabili et urgente ; quam si ei supervenerit, intimet eisdem primis quatuor abbatibus in tempore opportuno per se vel per nuntium, cum quo iidem abbates de die subroganda tractare valeant et etiam convenire. Quod si cum nuntio concordare nequiverint, ipsimet diem statuant sive terminum competentem, et eidem abbati Cistercii per eumdem nuntium vel alium intiment, prout viderint expedire ; quae omnia dicti primi quatuor abbates bona fide et absque aliqua captione facere teneantur. Sane cum praedicti quatuor abbates Cistercium visitabunt, abbates et monachi socii visitatorum ipsorum, in proclamationibus faciendis tam in capitulo monachorum quam etiam conversorum vocem liberam habeant, licet aliquando, prout fertur, eis fuerit denegata. Si quid autem in persona abbatis vel in aliis, in eodem monasterio crediderint reformandum, id eidem abbati suggerant, hoc est cum reverentia et honestate dicant, ac eum benignen moneant et hortentur, ut id emendet in se vel in aliis faciat emendari. Quod si facere forte noluerit insolenter, vel distulerit negligenter, servetur quod in eadem Carta caritatis continetur expresse : videlicet ut

iidem quatuor primi abbates sub ceterorum abbatum nomine usque quater, ut corrigatur ipse et alios corrigere curet, admoneant; et cetera quae de aliis abbatibus in eadem Carta dicuntur, si incorrigibiles apparuerint, circa eum studiose adimpleant; excepto quod si sponte cedere noluerit, nec deponere, nec contumaci dicere anathema poterunt, donec aut in generali capitulo, aut si illud iam visum fuerit expectari non posse, in conventu alio, convocatis abbatibus qui de Cistercio exierunt et aliquibus aliorum, virum inutilem ab officio suo deponant. Conventum autem alium intelligimus eorumdem abbatum concordem reditum ad processum huiusmodi faciendum in aliqua eiusdem ordinis abbatia, eo circa punitionem Cisterciensis abbatis moderamine adhibito, quod circa abbates alios inferius est statutum.

6. Ne vero visitatores monasteriis ad quae causa visitationis accesserint, nimium onerosi existant, statuimus et ordinamus quod maiores abbates cum visitaverint, decem evectionibus sint contenti. Monachi vero qui ad visitandum mittuntur, cum abbate sibi associato, senarium evectionum numerum non excedant. Qui autem aliter ex aliqua causa fecerit, praedictum numerum excedendo, veniam inde petat in sequenti capitulo generali. Patribus vero abbatibus vel visitatoribus cum ad aliquod monasterium visitandum accesserint, in locis dumtaxat tutis et temporibus pacatis, nullus de monasterio ipso occurrere, vel post visitationem eos deducere teneatur. Nullus insuper pater abbas, vel etiam visitator in cellariis et domibus, in castris et villis non habentibus rura et vineas, ex quibus possit hospitalitas exhiberi, sibi provideri postulet vel occurri. Nec aliquis teneatur ibidem transeuntibus occurrere, vel in aliquo providere. Visitatoribus quoque seu aliis personis praedicti ordinis numquam plus quam duae pictantiae piscium ministrentur, nec de pluribus praesumat comedere, cui forte fuerit ministratum, carnibus, nisi forsan in casu secundum regulam concesso, exclusis omnino, et ipsarum esu penitus interdicto; et tunc ille solummodo comedat quem huiusmodi casus attinget. Patres abbates et visitatores in visitationibus officiales amovere poterunt, quos ex certis causis noverint amovendos, ita tamen quod causas depositionum vel amotionum abbati proprio, vel priori aut locum tenenti, si abbas forte defuerit, prius ostendant. Quod si proprius abbas vel prior accusatum apud patres abbates vel visitatores sufficienter excusare poterit, de plano sine strepitu et in ipsa visitatione, patres abbates et

visitatores benigne huiusmodi excusationes admittant. Nullus vero monachus vel conversus emittatur ad aliam domum cuius culpa sine gravi damno vel scandalo in domo propria poterit emendari ; et qui emittendi fuerint, de quatuor aut quinque seniorum domus consilio emittantur. Quicumque vero aliquem aliter emiserint, omni sexta feria ieiunent in pane et aqua, donec emissus fuerit revocatus, vel emittens fuerit in certo et firmo proposito revocandi eumdem. **7.** Et licet patres abbates seu visitatores deputati ab eis secundum formam praedicti ordinis audire possint statum domorum et personarum, in visitationibus publice vel privatim tamen super his quae sibi privatim suggesta fuerint, non procedant ad punitionem personarum, nisi prius coram accusato, in praesentia quatuor vel quinque seniorum domus, publicata fuerint in secreto ; et tunc de plano et sine strepitu videant si sint vera, et si super eis ad punitionem fuerit procedendum. Porro ut visitatio in caritate procedat, nulla de cetero in ordine praefato exactio, subventio vel collecta (salvo statuto in eadem Carta caritatis contento) petatur, vel fiat a quocumque patre abbate vel visitatore, sive sit abbas, sive sit monachus, nec aliquis recipere donum suspectum attentet. Illi tamen qui mittentur vel ibunt ad regiones remotas gratia visitandi, poterunt moderate necessaria recipere ab illis qui eis ex caritate ac mera liberalitate et sine sui gravamine voluerint subvenire ; qui vero contra haec aliquid recipere praesumpserint, graviter puniantur. Sane visitatores visitationes suas ultra triduum continuum non protelent. Quod si ex iusta et manifesta causa aliter facere compellantur, causam huiusmodi teneantur intimare sequenti capitulo generali. **8.** Ceterum ut circa depositiones abbatum via malitiis praecludatur, statuimus ut quicumque abbatem aliquem deposuerit, causam depositionis et processum habitum circa ipsam, per litteras suo et abbatum qui depositioni eidem interfuerint sigillis signatas, in sequenti capitulo generali, nullo etiam requirente vel proclamante, insinuare ac exponere teneatur. Dicti etiam abbates, si praesentes fuerint, processum depositionis eiusdem, et an de consilio eorum sic fuerit processum, exponant ; et tunc generale capitulum utrum depositio iusta vel iniusta fuerit iudicabit. Quod si praedicti abbates praesentes non fuerint, hoc ipsum per suas patentes litteras generali capitulo explicite attestentur ; et omnes praedicti supra suas conscientias hoc facere teneantur. Et ut abbatibus praedicti ordinis subtrahatur materia delinquen-

di, nec ipsi conqueri valeant per eorum patres abbates se indebite fore gravatos, statuimus et ordinamus quod pater abbas subiectum sibi abbatem deponere debeat, pro causis dumtaxat inferius annotatis, videlicet, pro haeresi, pro simonia manifesta, pro immunditia carnali, pro dilapidatione sui monasterii enormiter alienando vel dissipando bona, pro furto, homicidio, gravi sortilegio, solemni periurio, pro conspiratione, et si falsarius fuerit litterarum Summi pontificis, vel sanctae romanae Ecclesiae cardinalium, principum, episcoporum, vel abbatum ordinis supradicti, et si contra communia instituta ipsius ordinis privilegia impetraverit, vel retinuerit, aut uti praesumpserit impetratis. In aliis autem casibus superius non expressis, iniungat ei pater abbas vel visitator ut veniam petat in sequenti capitulo generali, ad arbitrium ipsius capituli per depositionem vel aliter puniendus. Depositus autem a regimine abbatiae, si sententia depositionis suae apparuerit iniusta ex ordine et ex causa, restituatur per generale capitulum, et deponens ibidem recipiat talionem. Si vero circa huiusmodi depositionum sententias in modo tantum vel in ordine sit erratum, causa depositionis legitima exsistente, tunc non restituatur depositus, et deponens circa depositionem ad arbitrium dicti generalis capituli puniatur. In casibus quoque in quibus, peracta poenitentia, infamia remanet, depositus ineligibilis sit omnino ; in illis in quibus post peractam poenitentiam nulla infamia remanet, postquam impositam poenitentiam peregerit, eligibilis habeatur. Et quia per obligationes ipsius ordinis multa posset idem ordo incurrere detrimenta, statuimus, ordinamus et providemus, quod nullus praedictum ordinem valeat obligare. Praemissa igitur quae pro utilitate, honore ac statu prospero dicti ordinis duximus statuenda, universa et singula in perpetuum ab universis personis ipsius ordinis inviolabiliter observari praecipimus ; et ne tradantur oblivioni, vel neglectui habeantur, in generali capitulo annis singulis recitari. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae provisionis, decisionis, interpretationis, constitutionis et ordinationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius, se noverit incursurum. Datum Perusii quinto idus Iunii, pontificatus nostri anno primo.

* * *

ORDINATIO [a] DOMINI GUIDONIS, TIT. S. LAURENTII IN LUCINA PRESBYTERI CARDINALIS, PRO DIFFINITIONE HABENDA

In nomine Domini, Amen. Nos frater Guido tituli S. Laurentii presbyter cardinalis, Sedis Apostolicae legatus, facto et recepto in nos compromisso super discordia quae vertebatur in ordine circa electionem sive institutionem Diffinitorum, et data nobis plenarie potestate ab abbate et conventu Cistercii, et a quatuor primis abbatibus, et a toto Capitulo generali, ordinandi et statuendi in praedicto negotio quod paci et utilitati Ordinis videbimus expedire. Pro bono pacis et charitatis in Ordine conservandae ordinamus et constituimus quod quilibet de quatuor primis abbatibus veniens ad Capitulum generale quinque abbates domno Cisterciensi volenti Diffinitores eligere nominabit, ita tamen quod duo ex ipsis quos pater abbas nominans praeeligere voluerit, per abbatem Cisterciensem illa vice amoveri non poterunt vel dimitti. De tribus vero residuis quemcumque voluerit abbas Cisterciensis relinquet, et alios duos Diffinitores instituet cum praedictis. Si vero aliquem de primis quatuor abbatibus ad Capitulum generale venire non contigerit, praedictam nominationem et praeelectionem per litteras suas petere poterit, vel aliquem de filiis suis abbatibus vicarium ibi constituet ad hoc ipsum. Si vero aliquem de quatuor primis filiabus vacare contigerit, vel abbatem eius in tali statu esse ut ad facienda praedicta sit impotens et ineptus, tempore Capituli generalis, primus abbas de filiis generationis illius qui in Capitulo fuerit praedicta omnia supplere poterit vice patris. Si vero aliquem de primis quatuor abbatibus per negligentiam vel quamcumque occasionem aliam nec venire ad Capitulum, nec litteras mittere, nec vicarium ad praedicta substituere contigerit, abbas Cisterciensis vice ipsius quatuor Diffinitores assumet de generatione ipsius absentis, si tot praesentes ibi fuerint; alioquin de aliis abbatibus quod defuerit suppleatur ut Diffinitorum numerus integretur. In nullo tamen volumus per ordinationem istam derogari statutis Cartae charitatis quae de generali Capitulo faciunt mentionem.

---

[a] *Ex cod. ms.* A^1T^1*;* cf. *Nomasticon cisterc.*, Paris, 1670, p. 478.

Actum Cistercii XVII° kalendas octobris tempore Capituli generalis, anno Domini M CC LXV.

* * *

STATUTA EIUSDEM ANNI.

Anno [a] Domini millesimo ducentesimo sexagesimo quinto statuta sunt haec apud Cistercium in Capitulo generali.

1. Cum clamor validus insonuerit in auribus Capituli generalis super gravaminibus, quae inferunt aliqui servientes Ordinis et conversi in abbatiis et locis aliis, ad quae [a] cum quadrigis veniunt et vecturis, statuit et ordinat Capitulum generale ut quoties ad loca praedicta eos contigerit sic venire, tam in avena quam in victualibus aliis sibi necessariis, iis [b] solummodo sint contenti, quae sibi a locorum magistris vel deputatis ab eis grato et liberali animo fuerint ministrata, nec in uno loco nisi evidentissima necessitate cogente morentur per duas noctes, nec in recessu ad portandum ulterius petant aliquid, nec etiam ministretur eisdem, et abbatiae Ordinis de cetero in vecturis propriis, ea quae sibi necessaria fuerint, faciant deportari, nisi forte equi eorum in via defecerint, et ad domos proprias super hoc commode non possent habere recursum. Transgressores huius constitutionis tam utilis, dantes et recipientes, tribus diebus sint in pane et aqua.

2. Conceditur patribus abbatibus et [a] visitatoribus monialium quod possint iniungere capellanis assidue commorantibus in abbatiis earumdem, quod possint audire confessiones earum, dum tamen dicti capellani sint vitae laudabilis et honestae.

3. Depositionem et processum contra fratrem Aegidium abbatem Ursicampi auctoritate patris sui confirmat et approbat Capitulum generale.

4. Cum super excessibus quibusdam quos abbas Caraevallis dicitur commisisse, clamosa [a] insinuatio venerit ad aures Capituli generalis, de Altocristo de Fontevivo et de Tilieto [b] abbatibus committitur in plenaria Ordinis potestate ut super eisdem [c] excessibus veritatem diligenter inquirant, et quidquid invenerint,

---

1265. [a] *Titulus apud* $P^1P^{10}V$. *Apud* P^{10} *additur*: Clemente 4° papa, Ioanne I abbate Cistercii 24. **1** : $L^1L^2MP^1P^{10}$. [a] atque : P^1. [b] his : P^1. **2** : $L^1L^2MP^1P^{10}V$. [a] ut : L^2. **3** : P^1. **4** : $L^1L^2MP^1P^{10}$. [a] damnosa : P^{10}. [b] Filieto : M. [c] iisdem : L^1.

sub sigillis suis anno sequenti renuntient Capitulo generali, et tradantur articuli contra ipsum in Capitulo propositi inquisitoribus sigillati.

5. Super centesima, decima et procuratione quae petuntur ab Ordine committitur domino Cistercii et quatuor primis abbatibus auctoritate Capituli generalis, ut eant vel mittant ad dominum Simonem [1] tituli Sanctae Ceciliae presbyterum cardinalem, et Apostolicae Sedis legatum, et ad Curiam si necesse fuerit, in expensis illorum abbatum qui sunt infra fines legationis cardinalis praedicti, secundum quod ipsis ad utilitatem Ordinis videbitur expedire.

6. Praecipitur auctoritate Capituli generalis quod septingentae et viginti librae quas expenderunt abbates de Firmitate et de Eleemosyna et illi qui missi fuerunt ex parte abbatum Claraevallis et Morimundi, pro negotio decimae et centesimae, persolvantur eisdem in nundinis Barri ab illis abbatibus qui sunt infra fines legationis domini Simonis legati supradicti. Si vero contigerit quod aliquid detur pro usuris, totum dicti abbates quilibet pro rata sua reddere tenebuntur ; iniungitur autem omnibus abbatibus qui sunt infra fines legationis praedictae ut hodie in praesenti Capitulo et Divione suis patribus abbatibus manifestent, alioquin sequenti anno pro refusione expensarum se noverint gravissime puniendos.

7. De expensis domini episcopi Aniciensis [a] [2] sociorumque eius, qui missi [b] fuerunt de mandato domini Papae ad Capitulum generale, committitur cellerario Cistercii, quod ipse [c] eas recipiat ubicumque eas invenerit et eis satisfaciat, et Capitulum generale reddere teneatur.

8. Committitur abbatibus de Porta et de Sancto Nicolao, auctoritate Capituli generalis, ut ipsi inquirant de conspiratione facta, ut dicitur, in domo Vallis [Sancti] Georgii et si quid invenerint corrigendum, corrigant secundum Ordinis instituta. Collega suis hoc denuntiet.

---

5 : *L²MP¹P¹⁰*. **6** : *P¹*. **7** : *L²MP¹P¹⁰*. [a] Anniciensis : *L²*. [b] missi : *deest P¹*. [c] saepe : *M* ; ipsas : *P¹*. **8** : *P¹*.

---

1) Simon Mompitius, card. 1261, elect. in Summ. Pont. 1281 : Martinus IV, † 1285. 2) Guillelmus de Rota, O. S. B., Anicien. episc. 1263-1282, *SE*, 604 ; *HC*, I, 91.

9. Petitio abbatum dioecesis Ruthenensis qui petunt fieri festum sancti Amantii in domibus Ordinis illius dioecesis, exauditur.

10. Petitio abbatis S. Tisboti [1] de faciendo festo dicti sancti in domo propria, cum XII lectionibus et duabus missis, et quod absolvatur a susceptione hospitum per triennium, exauditur.

11. Petitio comitissae de Hanebergae de faciendo anniversario felicis recordationis Guillelmi regis Alemaniae fratris sui, et de suo post eius obitum, in tribus abbatiis solummodo suae provinciae, videlicet de Hebraco [2], de Lanichahem [3] et de Billedehuse [4], exauditur.

12. Petitio comitissae Attrebatensis quae petit fieri anniversarium suum solemniter in domo Caricampi post eius obitum, exauditur.

13. Petitio abbatis de Brunevar [5] qui petit absolvi per annum a susceptione hospitum, exauditur.

14. Petitio abbatis Quintiaci qui petit unam missam pro defunctis celebrari quotidie pro nobili viro Iacobo domino Placeti et antecessoribus eius in domo propria, exauditur.

15. Petitio comitis de Hubetin qui petit sibi associari quemdam conversum de domo Caesariensi, dummodo honestis deputetur officiis, exauditur.

16. Petitio abbatis de Begar qui petit absolvi a susceptione hospitum per triennium, exauditur. Hoc idem conceditur Sancti Andreae prope Ianuam, et Bonifontis Remensis dioecesis, et Vallis lucidae abbatibus.

17. Petitio abbatis Sanctarum Crucum qui petit fieri anniversarium domini Guillelmi fundatoris sui in domo sua solemniter, exauditur.

18. Querela abbatis de Bodelo contra abbatissam de Bosco [6] committitur abbatibus de Tosan et de Dunis in plenaria Ordinis potestate pace vel iudicio terminanda, et quid inde, etc.

19. Querela abbatis de Vuaren Villario [7] contra abbatem de Claustro committitur de Novo castro et de Loco Sanctae Mariae abbatibus, etc., ut supra.

---

9 : $L^2P^1P^{10}$. **10-28** : P^1.

---

1) Mons Sancti Disibodi. 2) Ebracum. 3) Langhemium. 4) Bildhusa. 5) Brunnbacum. 6) Novus Boscus. 7) Werneri Villerium.

20. Querela abbatis de Victoria contra abbatem de Sithia [1] committitur de Toplica et de Sancta Cruce abbatibus, etc., ut supra.

21. Querela abbatis Ioiaci de abbatissa de Bella aqua, Sacri portus et Longipontis abbatibus committitur, etc., ut supra.

22. Inspectio loci in quo intendit nobilis domina marchionissa Missinensis fundare monachorum abbatiam, de Doberluc [2] et de Cimia [3] abbatibus committitur qui ad locum personaliter accedentes pensatis omnibus quae secundum Deum et Ordinem sunt pensanda, quid invenerint sequenti anno referant Capitulo generali.

23. Inspectio loci ad quem petit transferri abbatiam Sancti Vitti reverendus pater dominus Ioannes [4], Portuensis episcopus, committitur abbatibus de Ferraria et de Ripalta qui ad locum, etc., ut supra.

24. Inspectio abbatiae monialium Augiae Sanctae Mariae quam petit incorporari Ordini nobilis vir Ioannes Cabilonensis et dominus Salinarum, de Loco crescente et de Maris stella abbatibus committitur, etc., ut supra.

25. Incorporationem abbatiae monialium Sancti Prosperi factam per Summum Pontificem approbat Capitulum generale, et sit filia Sancti Galgani.

26. Inspectio abbatiae monialium Augiae Sanctae Mariae iuxta Brisacam quam petit incorporari Ordini episcopus Basiliensis [5] de Loco crescente et de Porta Coeli abbatibus committitur.

27. Inspectio abbatias monialium de Tenicon quam petit incorporari Ordini dominus Lugdunensis [6] et comitissa de Riborch [7], de Loco crescente et de Alta ripa abbatibus committitur, etc., ut supra.

28. Inspectio abbatiae monialium ante Teregum [8] committitur abbatibus de Salem et de Maris stella, etc., ut supra [a].

---

[a] *In codice V legimus insuper sequentia quae non sunt nisi tituli bullae* « Parvus fons » *a Clemente IV hoc anno promulgatae* : Item eodem anno Clementina data est in qua invenies multa bona pertinencia ad honorem ordinis. Item de domo vacante et de electione. Item quod statuta capituli non obligant nisi in sequen-

---

1) Sitticum. 2) Dobraluca. 3) Coena S. Mariae. 4) Ioannes de Toleto, ord. cist. card. † 1275. 5) Henricus de Neufchatel, Basileen. episc. 1262-1274, *SE*, 261 ; *HC*, I, 129. 6) Philippus de Sabaudia, Lugdunen. archiep. 1246 (?)-1267, *SE*, 571 ; *HC*, I, 316. 7) Friburgum. 8) Torgau.

1266

Anno[a] Domini millesimo ducentesimo sexagesimo sexto statuta sunt haec apud Cistercium in Capitulo generali.

1. Cum conversi et servientes venientes ad abbatias et grangias Ordinis cum curribus et quadrigis, officialibus locorum et magistris grangiarum super suo[a] et equorum suorum victu existant multipliciter importuni, volens generale Capitulum eorum importunitatibus[b] congruis remediis obviare, duxit provide statuendum, quod cum ad[c] loca seu grangias venerint memoratas, his solummodo sint contenti quae ab officialibus seu grangiarum magistris eis fuerint liberaliter ministrata, dicti autem officiales et magistri, ea circa eos discretione ministrando utantur, quod nec ipsos officiales vel magistros petentium importunitas scandalizet nec ministrantium parcitas vel tenacitas sit petentibus occasio vel materia conquerendi. Conceditur[d] autem adducentibus salmones et sepias[e] ad usum Capituli generalis quod eisdem in vecturis provideant[f] qui voluerint[g], et qui noluerint minime teneantur. In adducendis vero rebus aliis quibuscumque in vecturis propriis quilibet sibi providere teneatur, nisi forte equi eorum defecerint, et hoc faciant secundum communem[h] Ordinis charitatem[i], et cum eos ab abbatiis discedere contigerit, panis et caseus et consimilia pro victualibus pro una tantum refectione eisdem[j] ministrentur.

2. Cum super citationibus abbatum clamor validus in auribus Capituli generalis insonuerit, quod patres abbates seu visita-

---

tis anni capitulo confirmentur. Item de visitatoribus abbatibus seu monachis quibus debeant esse contenti. Item quando debeat eis occurri. Item de pitanciis visitatorum. Item de carnibus non edendis in visitacione. Item de officialibus deponendis ex causa per eosdem visitatores. Item de monachis vel conversis non emittendis de monasterio nisi culpa talis sit. Item quod visitatores ad punicionem personarum non debent procedere nisi de consilio quatuor aut quinque seniorum domus in secreto et sponte accusato. Item quod a visitatoribus nulla exactio, subvencio seu collecta salvo statuto in eadem carta caritatis contento petatur nec donum suspectum recipiatur. Item quod visitacio per triduum non proteletur. Item de deposicione abbatum ut via malis percludatur. Hec omnia invenies in Clementina.

1266. [a] *Titulus apud* P^1V *tantum.* **1** : $L^1L^2MP^1P^{10}Q$. [a] sua : *M.* [b] oportunitatibus : P^{10}. [c] ad : *deest* P^{10}. [d] L^1Q *hic incip.* [e] sopias : L^1 ; saepias : *M.* [f] provideatur : L^1. [g] *deest* L^1. [h] cartam : L^1. [i] bonitatem : *M.* [j] *deest* L^1. **2** : $L^1L^2MP^1P^{10}QV$.

tores, qui ab eis diriguntur, ad maternas vel ad alias quascumque citant abbatias, et huic gravi querimoniae volens medelam adhibere Capitulum generale ordinat et diffinit [a], ut nulli [b] patrum seu visitatorum de cetero [c] ad aliam quam ad suam abbatiam, cui idem abbas praefuerit, citare liceat, sed in visitationibus prout debuerint omnia compleantur. Si vero contra abbatem depositionis [d] sententia danda fuerit, et in ipsa forte domo contra abbatem non possint tuto [e] procedere, ipsum abbatem ad tutiorem et propinquiorem abbatiam citare poterunt, et in [f] citatum praesentem vel absentem, si citatus venire contempserit, ex certa [g] depositionis causa ibidem animadvertere liceat, si viderint [h] expedire.

3. Statuit et ordinat Capitulum generale quod cum aliquae commissiones contra aliquas personas Ordinis a Capitulo generali committitur, in ipsis commissionibus certi exprimantur articuli in ipso Capitulo propositi, super quibus fuerit inquirendum, et de eisdem articulis sigillatis fiat copia tam partibus quam inquisitoribus a Capitulo constitutis, et anno sequenti praesententur eidem articuli Capitulo generali ut illi liquere possit si processerint secundum traditam sibi formam nec aliquae litterae nomine Capituli generalis sigillentur, exceptis quaestuosis et orationum litteris, nisi prius coram Diffinitoribus recitentur.

4. Cum per apostasiam monachorum et conversorum Ordo laedatur enormiter, et maxime ex pluralitate vestium quas secum deferunt ad saeculum, multa fiant incommoda, statuit et ordinat Capitulum generale ut monachi [a] et conversi quos apostatare contigerit, si plus quam duas tunicas et cucullam [b] monachus, conversus vero cappam ad saeculum deportare [c] praesumpserint, pro furto residuum [d] habeatur.

5. Ad conservationem pacis et remotionem scandalorum, quae possent [a] inter Ordinem nostrum et Ordinem Fratrum Minorum et Praedicatorum in posterum suboriri, statuit et ordinat [b] Capitulum generale ut nulla [c] persona illorum Ordinum [d] recipiatur ad nostrum Ordinem, nisi de generalis Capituli licentia

---

[a] statuit : *M.* [b] *V hic incip.* [c] abbatem ad aliquam : *V* ; quemquam : *M.* [d] causa et : *V.* [e] tute : *MV* ; tuti : *L²P¹.* [f] inde : *V.* [g] exacta : *P¹.* [h] viderit : *M.* **3** : *P¹Q.* **4** : *L¹P¹QVW.* [a] *V hic incip.* [b] gugullas : *V.* [c] secum portare : *V.* [d] reliquum : *V.* **5** : *L¹L²MP¹P¹⁰Q.* [a] poterunt : *L¹* ; possunt : *M.* [b] *deest L¹.* [c] nullae personae : *L¹.* [d] de cetero : *P¹.*

speciali, etiam si habeat litteras commendatitias vel suorum licentiam praelatorum, maxime cum viderimus litteram [e] sanctissimi patris domini Clementis Papae inhibitionem huiusmodi continentem.

6. De fratre Michaele qui per sua indicibilia vitia se reddidit [a] Deo et hominibus odiosum, praecipitur abbatibus et universis Ordinis personis ut ubicumque inventus fuerit, capiatur, et ad domum Vallis Sanctae [b] Mariae in expensis propriis eiusdem domus deducatur, et teneatur ibidem fortiter [c] catenatus [d] usque ad nutum Capituli generalis.

7. Ad detestationem et abolitionem indicibilis vitii, propter quod in filios diffidentiae legitur [a] ira Dei venisse, statuit Capitulum generale [b] ut si quae persona nostri Ordinis inventa fuerit hoc vitio laborare, et fama contra ipsum a retroactis temporibus invalescit ; si tres testes fide digni de nostro Ordine contra ipsum deposuerint, licet in testimonio fuerint singulares, nihilominus pro legitimis testibus habeantur, et contra dictum criminosum tamquam contra convictum probabiliter secundum Ordinis rigorem procedatur. De signis autem turpibus et notabilibus istius [c] vitii, si qui [d] culpabiles inventi fuerint, teneantur in catenis [e], sine habitu regulari, in loco ab aliis segregato [f], nec barbam eis radere liceat, si tamen super dictis articulis per fide dignos et per famam, ut superius dictum est, fuerint legitime comprobati.

8. Abbatibus Frisiae [a] conceditur auctoritate Capituli generalis quod tertio anno vicissim veniant ad [b] Capitulum generale, ita tamen quod duo ipsorum ad minus singulis annis venire personaliter non omittant.

9. Statuit et ordinat Capitulum generale quod notarii Diffinitorum [a] et Capituli iurent eodem [b] modo et ordine quemadmodum de Diffinitoribus est statutum.

10. Officium beati Nichomedis, quod impeditur propter octavam Virginis gloriosae, in alia festivitate sua scilicet prima die mensis iunii plenarie dicatur, sicut in gradualibus est notatum,

---

[e] litteras : L^1. **6** : $L^2MP^1P^{10}W$. [a] reddit : L^2P^{10}. [b] bonae : P^{10}. [c] *deest M.* [d] cathenatus : P^1P^{10}. **7** : $L^1L^2MP^1P^{10}V$. [a] dicitur : L^1V ; venit : P^{10}. [b] quod si persona : *V*. [c] huius : L^1V. [d] in eis : *V*. [e] cathenis : P^1P^{10}. [f] sequestrato : L^1. **8** : $L^2MP^1P^{10}QW$. [a] Frysiae : *Q*. [b] ipsum : P^1. **9** : $L^2MP^1P^{10}Q$. [a] diffinitionum : L^2. [b] eo : P^1P^{10}. **10** : P^1Q.

et habeat commemorationem suam in octava beatae Virginis secundum quod hactenus fieri consuevit.

11. Districte praecipitur auctoritate Capituli generalis ne monachi, qui veniunt cum abbatibus et intrant Cistercium tempore Capituli generalis, ponantur in infirmitorium [a], nisi infirmitatem habeant evidentem, sed continue sint cum aliis monachis in conventu.

12. Petitio abbatum Aquae frigidae, de Cava, de Sigillariis, de Porta Coeli, de Alta ripa et de Morimundo in Lombardia, de emittendis suis conventibus, exauditur.

13. Auctoritate Capituli generalis districte [a] inhibetur ne de cetero occasione aliqua [b] eleemosynarii sive pitantiarii seu quocumque nomine censeantur, ad faciendas conventui pitantias generales se intromittant, sed omnes eleemosinae ad nutum abbatum, prout melius iudicaverint, expendantur.

14. Statuit et ordinat Capitulum generale ut abbates constituti infra terminos legationis domini Simonis [1] tituli Sanctae Ceciliae presbyteri cardinalis Apostolicae Sedis legati, solvant expensas factas et faciendas pro defensione privilegiorum nostrorum in causa decimae, quae ab Ordine infra legationis terminos memoratos secundum summam et terminos qui eis a patribus abbatibus fuerint constituti; negligentes vero patres abbates coerceant secundum diffinitionem olim editam a Capitulo generali.

15. Constituit autem generale Capitulum dominum Cistercii abbatem et quatuor primos abbates procuratores ad prosequendum negotium decimae prout viderint expedire, et ad substituendum sibi procuratores alios prout indiguerint, et appellandum et faciendum generaliter omnia quae in dicto negotio fuerint facienda.

16. Cum multa contra Humbertum quondam cellerarium Cistercii [a] proposita sint et probata [b], praecipitur tam priori quam cellerariis Cistercii auctoritate Capituli generalis ut dictum Humbertum usque ad voluntatem abbatis Cistercii faciant sub arcta custodiri custodia carcerali.

---

11 : *L¹L²MP¹P¹⁰Q*. [a] infirmitorio si non : *L¹*. **12** : *P¹*. **13** : *L¹L²MP¹P¹⁰Q*. [a] districtius : *MP¹*. [b] *deest P¹*. **14-15** : *P¹*. **16** : *L²MP¹P¹⁰T⁵*. [a] cisterciensem : *T⁵*. [b] comprobata : *T⁵*.

---

[1]) Cf. supra ann. 1265, stat. 5.

17. Petitio abbatis de Beoch[1] qui petit absolvi a susceptione hospitum per biennium exauditur. Hoc idem conceditur abbati de Ebrebaco[2] per biennium, abbati de Balerna per triennium, abbati de Leoncello, per quadriennium.

18. Abbati Claraevallis indulgetur quod tres vel quatuor monachos de Studio Parisiensi, quos voluerit et iudicaverit meliores, ei liceat retinere, nec inviti praeficiantur in domo aliqua in abbates.

19. Petitio comitissae Salesbreiae[3] quae petit unum conversum sibi assignari de domo de Dora, dummodo honestis deputetur officiis, exauditur.

20. Petitio illustris regis Arragonensis qui petit sibi concedi unum conversum Ordinis a quacumque domo voluerit in regno suo, dummodo honestis deputetur officiis, exauditur.

21. Petitio venerabilis patris episcopi Petragorensis pro faciendo anniversario suo in domo de Petrosa post eius obitum, exauditur.

22. Petitio nobilis viri Guillelmi de Chaneto militis qui petit sibi concedi unum conversum de Fonte frigido, dummodo honestis deputetur officiis, exauditur.

23. Petitio abbatis de Boseleia[4] de faciendo festo sancti Augustini apostoli Anglorum in domo sua cum una missa et XII lectionibus, exauditur.

24. Petitio abbatis Casae novae qui petit fieri commemorationem beati Bartholomei in vesperis et laudibus in monasterio quod dicitur Sancti Bartholomei, exauditur.

25. Cum ad aures Capituli generalis pervenerit quod abbas de Bocham[5] numquam venerit ad ipsum Capitulum generale, abbas de Innis[6] non nisi semel venerit cum idem multis ab annis abbas extiterit; abbas vero Bellifontis[7] venire contempserit temporibus constitutis, committitur patribus abbatibus quod auctoritate Capituli generalis contra ipsos procedant secundum Ordinis instituta. De abbatibus[a] vero Siciliae et Calabriae qui per triginta annos non venerunt[b] ad generale Capitulum idem

---

17 : P^1. **18** : $L^2MP^1P^{10}T^5$. **19-24** : P^1. **25** : L^1P^1. [a] L^1 *hic incip.* [b] committitur patribus abbatibus qui auctoritate Cap. gen. contra eos procedant secundum Ordinis instituta : L^1.

---

1) Sive Bucovia, sive Buch, i. e. Vallis S. Aegidii, sive Curc in Bokan, i. e. Zircium. 2) Eberbacum. 3) Sarisburiae. 4) Boxleya. 5) Curc in Bokan, seu Zircium. 6) Insula Curcii. 7) Belae Fons.

fiat. Simili sententiae subiaceant omnes illi qui praetextu paupertatis solummodo remanserunt vel remanent a Capitulo generali.

26. De fratre Taddeo vero monacho cuius vita detestabilis confundit Ordinem et plurimos scandalizat, committitur abbati Claraevallis in plenaria Ordinis potestate ut ipsum capi et detineri faciat catenatum in aliqua domo Ordinis, si verum invenerit quod de ipso tam turpiter praedicatur.

27. Item, cum ad aures generalis Capituli querela pervenerit odiosa quod in domo de Porta contra abbatem proprium per quosdam monachos et conversos conspiratio maxima sit exorta, adeo quod dicti monachi et conversi tam patri abbati quam suo proprio inobedientes et rebelles existere dignoscantur, de Ebrebaco [4], de Grunehem [1] et de Lapide Sancti Michaelis abbatibus committitur ut ad locum personaliter accedentes auctoritate Capituli generalis illos quos huius conspirationis reos invenerint puniant secundum Ordinis instituta. Quod si omnes iis exequendis non potuerint interesse, duo nihilominus exequantur.

28. Cum de excessibus mulierum quae in quadam domo spectante ab abbatiam de Crista, receptae sint in conversas, clamor devenerit ad Capitulum generale, statutum est ut de cetero ibidem nullae mulieres recipiantur, nisi de licentia speciali Capituli generalis [a]. Poenas vero vel poenitentias quae eisdem mulieribus pro suis excessibus a patre abbate vel a visitatoribus imponentur, non praesumat quisquam facere revocari per preces vel litteras aliquorum.

29. Querela civium Metensium contra abbatem Clariloci committitur abbati Bethaniae patri suo, ut dictum abbatem et officiales dictae domus compellat auctoritate Capituli generalis quod per distractionem mobilium vel immobilium, si aliter non potest fieri, querelae civium praedictorum taliter compescantur, ne occasione huiusmodi ad generale Capitulum de cetero recurrere compellantur.

30. Inspectio loci in quo intendit fundare abbatiam monachorum nostri Ordinis illustris ducissa Galitiae, Bellifontis [1] et

---

26-27 : P^1. **28** : L^1P^1. [a] L^1 *hic desin.* **29-43** : P^1.

---

1) Eberbacum. 2) Grunhemium. 3) Belae Fons.

Honestae vallis [1] abbatibus committitur in plenaria Ordinis potestate, ut ad locum personaliter accedentes pensatis omnibus quae secundum Deum et Ordinem sunt pensanda, mittant ibidem abbatem et conventum assumptum de domo Egris, si viderint expedire, non expectata ulterius licentia Capituli generalis, et sit filia de Egris. Si vero de domo de Egris conventum assumi non poterit competentem, assumatur de domo Pontigniaci et sit filia Pontigniaci, si tamen haec de praedictae ducissae et abbatis et conventus de Egris processerint voluntate.

31. Inspectio domus monialium Coronae Sanctae Mariae Spirenensis dioecesis quam petit incorporari Ordini dominus Spirenensis episcopus [2], de Uterina valle de Sconounne [3] abbatibus committitur a Capitulo generali ut ad dictam domum personaliter accedentes, pensatis omnibus, etc., et quid inde, etc.

32. Incorporatio domus monialium de Steyna Constantiensis dioecesis, pro qua nobilis vir comes Joannes Burg et dominus Salin[arum] [4] supplicant. Cum iam per abbates de Loco crescente et de Maris stella inspecta est et renuntiata Capitulo generali, pro abbatia Ordinis in bonis temporalibus et spiritualibus abundare, eisdem abbatibus committitur in plenaria Ordinis potestate ut ad locum, etc., et quid inde, etc., et sit filia de Lucelen [5].

33. Incorporatio domus monialium de Tennicon [6], Constantiensis dioecesis, pro qua supplicaverunt venerabiles domini Lugdunensis et Constantiensis episcopi, et multi alii nobiles, inspecta per abbates de Loco crescente et de Altaripa et sufficienter abundare in bonis temporalibus et spiritualibus, pro abbatia generali Capitulo nuntiata, committitur eisdem abbatibus in plenaria Ordinis potestate ut ad locum, etc., et sit filia de Maris stella.

34. Inspectio abbatiae domus de Salis in Navarra, quam petunt incorporari Ordini rex et regina Navarrae, de Oliva et de Sancto Salvatore abbatibus committitur, etc., ut supra.

35. Inspectio loci in quo intendit fundare abbatiam monachorum nostri Ordinis nobilis vir Edwardus, illustris regis Anglorum primogenitus, de Neth et de Bildewas et de Flexeleg [7] abbatibus

[1]) Vallis honesta de Pozega. [2]) Henricus de Leiningen, Spiren. episc. 1245-1272, *SE*, 314; *HC*, I, 460. [3]) Schonaugia. [4]) Cf. supra ann. 1265, stat. 24. [5]) Lucella. [6]) Cf. supra ann. 1265, stat. 27. [7]) Flexleya.

committitur auctoritate Capituli generalis quid ad locum, etc., et sit filia de Dora.

36. Abbas de Bera [1] qui contra abbatem de Fontanis de nuntiando proposuit falsitatem gravem ei imponendo excessum cum in imponendo socium non habuerit, extra stallum abbatis stet per quadraginta dies.

37. Querela abbatis Carae vallis qui petit ab abbate Morimundi in Lombardia ducentas libras quibus tenetur eidem ex debito, ut asserit, de Fontevivo et Sancti Thomae de Corcellis committitur auctoritate Capituli generalis, ut ad dictam domum personaliter accedentes inquirant diligenter de debito per litteras vel per testes, et si sibi constiterit, compellant dictum abbatem Morimundi ad solutionem debiti plenarie faciendam.

38. Cum inter abbatem et monachos Bullionis contentio exorta fuerit per quam dictum monasterium plurimum sit turbatum, de Bella valle et de Monte Sanctae Mariae abbatibus committitur a Capitulo generali quod ad locum, etc., diligenter inquirant de contentione et de excessibus singulorum ut puniant tam in capite quam in membris quos invenerint puniendos.

39. Abbatibus de Bonoloco et de Fossa [2] conceditur auctoritate Capituli generalis ut veniant ad ipsum Capitulum, eo anno quo abbas de Ponte alto venire hactenus consuevit.

40. Cum super processu habito contra abbatem Pruliaci in visitatione dictae domus fuerit coram Diffinitoribus diutius disputatum, tandem de Eleemosyna et de Valle Sarnay et de Maceriis abbatibus committitur a Capitulo generali ut ad domum Pruliaci personaliter accedentes, diligenter inquirant de valore cuiusdam domus, olim dictae domus Pruliaci, donatae et redditione litterae super dicta donatione confectae et in quanto damnificatum sit ipsum monasterium Pruliaci occasione redditionis litterae memoratae et de aliis quatuor casibus scilicet de venatione nemoris, de percussione et vulneratione monachi non vindicta, de panibus concessis domino Ioanni militi, de morte fratris Roberti monachi Pruliaci incarcerati, et super iis omnibus et articulis contra eumdem abbatem faciant publicum instrumentum, sigillis suis sigillant et illud sequenti anno generali Capitulo exhibeant et praesentent.

---

1) Melsa. 2) Leg. Faisia.

41. Abbati de Sigillariis conceditur a Capitulo generali ut liceat ei conventum suum emittere, si patri suo videbitur expedire.

42. Querela abbatissae de Monte medio [1] contra abbatissam de Eschlachia committitur de Obezina et de Bella aqua abbatibus in plenaria Ordinis potestate, etc., et quid inde, etc.

43. Inspectio loci ad quem intendit transferri abbatiam suam abbas Stagni Sanctae Mariae [2], de Lenyn et de Scenna [3] abbatibus committitur in plenaria Ordinis potestate, et quid inde, etc.

44. De fratre Gavano monacho de Columba, qui dicitur exportasse de domo de Fulina [4] unde fuit depositus, ad valorem quadringentarum librarum in denariis vel sacris vestibus sive libris, abbati de Sancto Thoma committitur ut personaliter accedens ad domum de Columba compellat dictum monachum auctoritate Capituli generalis ad restitutionem omnium praedictorum, si ei constiterit de praedictis; alioquin poenam furti et proprietatis imponat dicto monacho sustinendam. Res autem huiusmodi ubicumque inventae fuerint, domui de Fulina faciat restitui auctoritate Capituli generalis.

45. Querela abbatissae Bitameris [5] contra abbatem Sancti Sulpicii, de Altacumba et de Leoncello abbatibus committitur in plenaria Ordinis potestate, etc.

46. Cum abbas de Lucelen [6] petat a Capitulo generali quod paternitas duarum filiarum suarum monialium videlicet domus Consilii et Cellae Sanctae Mariae, quas sine magnis laboribus et expensis visitare non potest propter viarum longitudinem, abbati Sancti Urbani filio suó totaliter conferatur, auctoritate Capituli generalis. De Loco crescente, de Porta Coeli abbatibus committitur auctoritate Capituli generalis ut pariter accedentes ad conventus quorum interest, si ipsorum voluntatem in hoc invenerint consentire dictarum abbatiarum monialium paternitatem abbati de Sancto Urbano, auctoritate Capituli generalis conferant et Lucelensis abbas ipsarum paternitatem resignet coram abbatibus memoratis, et quod factum fuerit anno sequenti renuntient Capitulo generali.

47. In querela abbatis de Waurelia [7] contra abbates Angliae,

---

44 : *L*¹*P*¹. **45-50** : *P*¹.

---

1) Medius mons, Mègemont. 2) Chorini antiquum nomen. 3) Coena S. Mariae. 4) Sana Vallis. 5) Bitumen. 6) Lucella. 7) Waverleia.

abbati Belliloci regis Angliae additur collega in eadem causa abbas de Stafordia [1].

48. Abbati de Laude committitur auctoritate Capituli generalis quod abbatissam et conventum de Prato [2] compellat, ut sororem Mariam monialem ad professionem et cohabitationem recipiant et eidem se exhibeant favorabiles et benignas.

49. Cum ad aures Capituli generalis clamosa pervenit insinuatio super variis iniuriis quae inter abbatem de Fontibus in Anglia et suos, et quasdam personas Ordinis inimicas et in domo Inniaci insperato hinc inde illatae fuisse dicuntur, de Claravalle et de Forcadi monte [3] committitur abbatibus ut inquirant de praedictis, et auctoritate Capituli generalis puniant reos prout ipsi decreverint expedire.

50. Examinatio sententiae latae in abbatem de Bodelon pro abbatissa de Boscon [4] per iudices a Capitulo designatos abbati Claraevallis committitur auctoritate Capituli generalis ut, examinata causa, faciat prout sua discretio esse iudicaverit opportunum.

51. Abbas de Melros qui iniuste deposuit filium suum de Holmo, sicut in processu depositionis per Diffinitores diligenter examinato luce clarius patet, cum erratum fuerit in ordine depositionis, et in causa, et iniuste deponens depositionis sententiam mereatur, deponitur in instanti. Abbas vero de Holmo filius suus iniuste depositus, eo amoto, qui sibi successerat, in locum suum restituatur, auctoritate Capituli generalis.

52. Abbates vero de Neubur [5], de Cupro, de Caret [a] [6], qui incaute processum depositionis sigillare praesumpserunt, quadraginta diebus sint extra stallum abbatis, et trium dierum, unum eorum in pane et aqua, peragant poenitentiam levis culpae [b]. Abbas Rievallis executor constituitur in praemissis. Abbas de Fontanis hoc ei denuntiet. Si vero dicti abbates depositi de cetero se gesserint pro abbatibus, tam ipsi quam omnes sectatores eorum, sententiam excommunicationis latam a Capitulo generali se noverint incurrisse.

51-52 : L^1P^1. [a] Cerer : P^1. [b] *hic desin.* L^1.

---

[1]) Stratefordia. [2]) Bellum Pratum. [3]) Fulcardimons. [4]) Novus boscus. [5]) Neubottelium. [6]) Caldra.

53. Cum in domo de Archabona [1] sit exorta per conversos conspiratio et ibidem abbatem suum male tractaverint, ut dicitur, Sancti Martini de Viterbio et Casamarii abbatibus committitur auctoritate Capituli generalis ut ad locum personaliter accedentes, reos puniant prout ipsos decreverint puniendos.

54. Inspectio loci ad quem transferri abbatiam Sancti Vitti reverendus pater dominus Ioannes Portuensis episcopus, de Ripalta et de Arabona abbatibus committitur, etc.

55. Inspectio loci in quo intendit fundare abbatiam monachorum nobilis vir dux Pomeraniae, de Novo campo et de Bochonia [2] abbatibus committitur in plenaria Ordinis potestate, etc., et sit filia de Douberom [3].

56. Inspectio monasterii monialium quod Cistercium dicitur quod petit incorporari Ordini communitas Bononiae, de Fontevivo et de Strata abbatibus committitur, etc., et sit filia Columbae.

57. Praecipitur auctoritate Capituli generalis ut Bertholus quondam monachus de Lanchein [4] ad dictam domum de Lanchein omni mora postposita revertatur infra mensem a die denuntiationis sibi factae, et abbati dicate domus vel alii professionem faciat, nec professionem factam in Cistercio ullam esse denuntiat Capitulum generale, alioquin elapso termino pro fugitivo [habebitur].

58. Querela abbatis de Re contra abbatem de Merolia [5], de Trisagio et de Sarone [6] abbatibus committitur, etc.

59. Querela abbatis de Gratia Dei in Pictavia contra abbatem de Bonavalle, de Sancto Leonardo, de Castellariis et de Misericordia Dei abbatibus committitur, etc.

60. Querela Richardi mercatoris de Belle forte contra abbatem de Estbrac [7], patri suo abbati de Claustro [8] committitur ut abbatem et officiales dictae domus compellat autoritate Capituli generalis ut per distractionem mobilium et immobilium ita dicto mercatori satisfaciat, ut ipsum ad nostrum Capitulum generale recurrere non oporteat in futurum.

53-61 : *P*[1].

---

1) Ara Bona. 2) Bucovia. 3) Dobranum. 4) Langhemium. 5) Moroliae. 6) Charon, i. e. Gratia S. Mariae. 7) Heisterbach, alias Vallis S. Petri. 8) Seu Hemmenrodium.

61. Sententiam depositionis abbatis de Fulina [1] latam per abbatem de Carreto [2] approbat Capitulum generale et confirmat.

62. Propositio facta contra abbatem de Bolbona [a] super eo quod in quibusdam locis [b] nocturnis horis a pluribus monachis visus est et inventus tota nocte pernoctasse, de Obazina et de Bonofonte committitur abbatibus auctoritate Capituli generalis, ut praedicta diligenter inquirant, et si illud verum esse invenerint, eumdem puniant secundum Ordinis instituta. Abbas de Garda Dei hoc ei denuntiet.

1267

Anno [a] Domini millesimo ducentesimo sexagesimo septimo statuta sunt haec apud Cistercium [b] tempore Capituli generalis.

1. In primis [a], cum super fugitivorum discursibus et excessibus eorumdem clamor frequens [b] devenerit ad aures Capituli generalis, ad refrenandum eorum excessus multiplices, idem generale Capitulum duxit provide statuendum, quod fugitivi qui secundum regulam usque tertio recipiuntur, semel tantum ad [c] familiaris habitum admittantur, hoc proviso quod si familiaris habitum recipere [d] noluerit aut portare, dentur eis, si petierint vel maluerint, litterae generales. Si vero suscepto familiaris [e] habitu, ad saeculum reversi [f] fuerint vel tale quid [g] commiserint, pro quo [h] monachus meretur emitti, nullus de Ordine ulterius providere eisdem [i] teneatur; sed litteras generales obtineant de quibus superius est expressum. Eis autem in habitu familiaris [j] existentibus, ad horas [k] vigiliarum venire teneantur in ecclesia extra chorum et conventus ieiunia prosequantur [l].

2. Item, inspectores de Ordine [a] quibus committitur a Capitulo generali quod ad loca ubi nostri Ordinis monasteria sunt

---

62 : $L^1L^2MP^1P^{10}$. [a] Borbona : L^1P^1. [b] cum quibusdam monachis in lecto : L^1P^1.

1267. [a] *Titulus apud P^1QV tantum.* [b] in Capitulo generali : *Q*.

1 : $L^1MP^1P^{10}Q$. [a] In primis : *apud Q tantum.* [b] frequenter : *Q*. [c] ad familiares admittantur : MP^{10}. [d] suscipere : $L^1P^1P^{10}$. [e] familiari : Q. [f] egressi : $P^1P^{10}Q$. [g] quod : P^{10}. [h] mererentur : M^1; mereantur : *M*; meretur : P^1P^{10}. [i] eis iam : *M*. [j] familiari : *Q*. [k] hora : *M*. [l] persequantur : P^{10}. **2** : $L^1MP^1P^{10}Q$. [a] de Ordine : *apud Q tantum.*

---

1) Seu Sana Vallis. 2) Ceretum.

fundanda [b], sive Ordini incorporanda, personaliter accedant, de possessionibus, redditibus, proventibus et aedificiis diligenter inquirant, ut [c] taxato numero personarum, et diligenti consideratione habita de iis [d] quae sufficere per annum ad sustentationem earum [e] poterunt, fideliter et non fallaciter super praemissis dicto generali Capitulo in scriptis referant veritatem, et ad hoc faciendum eosdem inspectores [f] astringit [g] ipsum Capitulum generale.

3. Item, statuit et ordinat Capitulum generale quod ad requisitionem monachorum, nulla deinceps a Capitulo generali inquisitio committatur; sed vicini abbates si intellexerint quod aliquis abbas male tractet suos monachos, et pater abbas sub dissimulatione pertranseat, in praemissis tamquam Ordinis zelatores denuntient Capitulo generali, et causas seu articulos exprimant, in quibus dicti monachi male tractati fuerint ab abbate, pater autem abbas pro dissimulatione [a] hac in Capitulo generali proclametur, ad arbitrium ipsius Capituli puniendus.

4. Item, statuit et ordinat Capitulum generale quod abbates [a] qui pro crimine [b] turpitudinis cedunt vel etiam deponuntur, aut in domibus in quibus abbatizaverint [c] de licentia patris abbatis remaneant, aut ad domos in quibus professi fuerant [d], revertantur, ita tamen quod nullus ex eis promoveatur in priorem, suppriorem [e], cellerarium vel confessarium [f], et huic legi subiicitur nonnus Petrus quondam abbas Pontigniaci.

5. Item, moniales quae pro culpis suis exigentibus ad domos alias emittuntur, si cum litteris proprii [a] abbatis seu visitatoris [b] venerint, abbatissae ad quas missae fuerint, teneantur recipere et ad receptionem earum per visitatores auctoritate [c] Capituli generalis compellantur.

6. Item, inhibetur [a] auctoritate Capituli generalis abbatibus [b] Ordinis universi, ne litteras suas super advocatia [c] seu custodia abbatiarum suarum aliquibus nobilibus dare [d] audeant [e] vel praesumant.

---

[b] fundata : *Q*. [c] et : L^1P^1. [d] his : P^1; hiis : *Q*. [e] earumdem : P^1. [f] visitatores : L^1; inscriptores : P^{10}. [g] in virtute obedientiae : *Q*. **3** : $L^1MP^1P^{10}QT^5$. [a] huiusmodi : QT^5. **4** : $L^1MP^1P^{10}QT^5V$. [a] abbas : L^1. [b] metu penae : *QV*. [c] abbatizaverant : *Q*. [d] fuerint : L^1P^1; sunt : P^{10}; fuerunt prius : T^5. [e] suppriorem : *deest* T^5. [f] confessorem : $L^1MP^1P^{10}$; *hic desin.* *Q*; nisi de licentia Cap. gen. : *V qui sic desin.* **5** : $L^1MP^1P^{10}QV$. [a] patris : $P^1P^{10}V$. [b] sui : *QV*. [c] Ordinis : *QV*. **6** : $L^1MP^1P^{10}QT^5V$. [a] onhibet Capitulum gen. : *V*. [b] abbates : *sic incip.* T^5. [c] sua : *Q*. [d] dari : *M*. [e] non audeant : T^5.

7. Item, cum per abbatem Claraevallis [a] innotuerit Capitulo generali quod dominus Papa negotium Calatraviae commisit [b] Capitulo generali, ipsum Capitulum generale ordinat et diffinit quod monachus quem abbas Morimundi in domo de Calatravia Priorem [c] instituerit, ibidem confessiones audiat, seu ille vel illi qui a dicto priore confessores in illa domo fuerint constituti, et tam dictus prior quam instituti ab eo absolvendi fratres Calatraviae liberam habeant potestatem.

8. Item [a], ordinat et diffinit Capitulum generale quod abbates qui tempore Capituli generalis in Cistercio pueros introducunt [b], veniam petant in Capitulo generali, ad ipsius Capituli arbitrium puniendi, illis exceptis qui conversos non habent, vel quorum conversi infirmi in via Capituli remanebunt.

9. Item, de abbatibus Hispaniae venientibus ad Capitulum generale, ipsum Capitulum generale ordinat et diffinit ut qui anno secundo venire consueverant, tertio anno veniant, et qui in tertio venerunt hactenus veniant quarto anno, hoc observato quod aliqui eorum annis singulis Capitulo generali se praesentent.

10. Item, moniales Ordinis quae provisores suos consueverunt [a] appellare praepositos, eos ulterius non praepositos vel priores, sed procuratores [b] appellent, nec eos ulterius eligant vel assumant, nisi de visitatoris sui licentia speciali.

11. Item, cum a generali Capitulo statutum fuerit ab antiquo quod nulla Ordinis persona concedatur saecularibus sine licentia eiusdem Capituli generalis, abbas de Yrantiis [1] qui hoc excessisse dicitur a patre abbate prout meruerit arguatur.

12. Item, domino abbati Cistercii et quatuor primis abbatibus committitur a Capitulo generali quod in negotio decimae domini regis Francorum [a] et regis Siciliae, et centesimae et procuratione [b] quae petuntur ab Ordine infra legationem domini Simonis tituli Sanctae Ceciliae presbyteri cardinalis, potestatem habeant mutuum contrahendi, procuratores instituendi, compromittendi [c],

---

7 : $L^1MP^1P^{10}Q$. [a] claraevallensem : *Q*. [b] commiserit : P^1. [c] in priorem constituerit : *Q*. **8** : P^1MQ. [a] Item abbates : *M*. [b] adducunt : *Q*. **9** : P^1. **10** : $L^1MP^1P^{10}QV$. [a] consueverint : *V*. [b] provisores : *Q*. **11** : P^1. **12** : $L^1MP^1P^{10}T^5$. [a] Franciae : MT^5. [b] procurationum : T^5. [c] comparendi : *M* ; promittendi : T^5.

---

[1]) Irancium.

componendi [d], transigendi, et omnia alia faciendi quae dictum generale Capitulum faceret [e], si praesens esset.

13. Item, cum generale Capitulum aequitatis et iustitiae vias observare intendens, ius petentibus in iure suo deesse non possit abbas Gandisylvae, duxit de iure Ordinis committendum quod ad abbatem de Populeto personaliter accedens, ipsum per censuram Ordinis ad matrem in qua electus est ascendere moneat et compellat; si vero inobediens esse decreverit in hac parte, ipsum secundum statutum Ordinis ab officio et regimine abbatiae deponat auctoritate Capituli generalis.

14. Item, Capitulum generale imponere cupiens finem litibus, enervationem vitiis, virtutibus incrementum contra frequentem et temerariam conspiratorum audaciam, provida deliberatione ordinat et diffinit quod cum super conspiratione exorta in domo de Porta contra abbatem monasterii dicti loci, inquisitores dati fuerint ab eodem Capitulo generali et idem abbas super his quae sibi imponebantur inventus fuerit innocens pariter et immunis, sententia lata ab inquisitoribus eisdem contra conspiratores praedictos robur teneat firmitatis, auctoritate Capituli generalis.

15. Item, universis patribus abbatibus firmiter iniungitur a Capitulo generali quod filiis suis abbatibus, qui anno praesenti seu annis praeteritis tempore debito non venerunt ad Capitulum generale, poenam infligant in Usibus constitutam.

16. Item, petitio de Benedictione Dei et de Moris abbatibus de dispergendis suis conventibus, exauditur.

17. Item, petitio domini episcopi Cenomanensis de faciendo festo beati Iuliani in Ordine sexto kalendas februarii cum XII lectionibus et una missa, exauditur, et fiat per omnia sicut de beato Nicholao.

18. Petitio [a] fratris Bonaventurae de Ordine Minorum qui petit quod in Ordine nostro non recipiantur eorum fugitivi sine litteris commendatitiis, exauditur, et orationibus Ordinis [b] ipsum [c] Ordinem suum associat Capitulum generale.

19. Item, conceditur abbati Morimundi pro se, pro abbate

---

[d] ponendi : T^5 ; *deest M.* [e] faceret : *deest* P^1. **13-17** : P^1. **18** : $L^1MP^1P^{10}$. [a] Petitionem : L^1P^{10}. [b] Ordinis : *deest* P^{10}. [c] et : P^1.

Villerii [1] iuxta Metin et pro abbate Parisiensi quod per triennium a susceptione hospitum absolvantur.

20. Petitio abbatum de Stamedio, de Noa, de Buzaio, de Bella valle et de Charitate de non suscipendis hospitibus per biennium, exauditur. Hoc idem de Berbello [2] et Albis [petris abbatibus] per quadriennium est concessum.

21. Item, cum per frequentes conspiratorum nequitias Ordinis fama laedatur enormiter, statuit et ordinat Capitulum generale ut abbates qui poenam conspiratorum in diffinitionibus editam minuere praesumpserint vel infligere eisdem neglexerint, omni sexta feria sint in pane et aqua et anno sequenti super hoc [a] veniam petant in Capitulo generali; et patribus abbatibus committitur a Capitulo generali quatinus in suis visitationibus inquirant de conspiratorum excessibus, et si ipsum abbatem remissum [b] invenerint in praemissis praefatam poenitentiam [c] eidem iniungere non omittant [d].

22. Cum super cessione fratris A[ugerii] quondam abbatis de Fullentio [3] et inordinato processu, clamosa vox aures Capituli generalis propulsaverit, examinatis diligenter instrumentis super dicta cessione confectis, licet erratum fuerit in processu ipsam cessionem voluntariam approbat et confirmat Capitulum generale.

23. Item, abbati Francarum vallium committitur a Capitulo generali ut abbatem Scalae Dei ceterosque suae generationis abbates, qui domino Morimundensi in quadam pecuniae summa iam dudum tenentur obligati, compellat auctoritate Capituli generalis, ut infra Pascha dictae pecuniae summa solvatur ecclesiae memoratae.

24. Cum super promotione abbatis de Benedictione Dei, quem abbas Bonifontis infamia non cessante promovisse dicitur, a generali Capitulo abbati Morimundi committitur ut de processu suae creationis inquirat et faciat prout viderit expedire.

25. Item, petitio abbatis de Borbona qui petit anniversarium fieri pro fundatoribus suis in domo propria, exauditur.

19-20 : *P*¹. **21** : *P*¹*QVW*. [a] hiis : *W*; *deest Q*. [b] negligentem : *W*. [c] poenam : *V*. [d] *Brevius apud P*¹ : Item cum per frequentes conspiratorum excessus, et si ipsum abbatem remissum invenerint in praemissis praefatam poenitentiam eidem iniungere non omittant. **22-25** : *P*¹.

[1]) Villerium in Betnach. [2]) Barbellum. [3]) Fulium.

26. Item, petitio abbatis de Trisagio qui petit unam missam quotidie celebrari in domo propria, exauditur.

27. Item, petitio abbatis Caraevallis Mediolanensis qui petit decantari in domo propria historiam sancti Ambrosii, exauditur.

28. Abbati Belliloci anniversarium pro quodam amicissimo domus suae faciendum conceditur, auctoritate Capituli generalis.

29. Petitio nobilis dominae comitissae Drogarum quae petit assumi sibi conversum de Brolio, dummodo honestis deputetur officiis, exauditur.

30. Item, petitio nobilis viri domini Rogerii filii vicecomitis Bituricensis, qui petit unum vel duos monachos sive conversos qui secum eant ad partes transmarinas, abbati Bonaevallis committitur ut concedat si viderit expedire.

31. Item, petitio abbatis Longi vadi qui petit dispergi conventum exauditur, et si conventum retinere potuerit a susceptione hospitum absolvatur per quinquennium.

32. Inspectio monasterii monialium quod Cistercium dicitur, de Fonte vivo et collegae suo abbatibus committitur iterato, ut mutato nomine monasterii locum inspiciant et quid invenerint anno sequenti renuntient Capitulo generali.

33. Petitio reverendi patris nostri domini Ioannis Portuensis et Sanctae Rufinae episcopi qui petit incorporari Ordini duo monasteria monialium quae fundavit, exauditur in hunc modum quod eidem committitur a Capitulo generali, quod idem ipse pro suae lubitu voluntatis dictorum monasteriorum eligat inspectores et ad complendum suae petitionis effectum, anno sequenti per dictos abbates statum dictorum monasteriorum renuntiari faciat Capitulo generali.

34. Inpectio monasterii de Clara stella, de Speciosa valle et de Brunebac [1] abbatibus iterato committitur a Capitulo generali ut ad locum personaliter accedentes, pensatis omnibus quae secundum Deum et Ordinem sunt pensanda, quid inde fecerint anno sequenti renuntient Capitulo generali.

35. Inspectio monasterii de Corona Virginum, de Sconovia [2] et de Oltrebarc [3] abbatibus committitur in plenaria Ordinis

26 : *L*¹*P*¹*P*¹⁰. **27-45** : *P*¹.

1) Brunnbacum. 2) Schonaugia. 3) Otterburgum.

potestate qui ad locum, etc., ipsam ob reverentiam sanctissimi patris nostri sanctae romanae Ecclesiae Summi Pontificis, auctoritate Capituli generalis incorporent et includant, non expectata ulterius licentia Capituli generalis, et sit filia de Arnesburc [1].

36. Item, inspectio loci ad quem transferri petunt abbatiam moniales Magni Campi, de Sancto Urbano et de Teñebat [2] abbatibus committitur in plenaria Ordinis potestate qui ad locum, etc., ut supra.

37. Inspectio abbatiae de la Richem, de Rettenchase [3] et Caesarea abbatibus committitur, etc.

38. Querela abbatis Scalae Dei contra abbatem Bonifontis, de Ponte alto et de Calertio abbatibus committitur, etc.

39. Querela Elisabeth relictae Simonis dicti Quntre oppidani Gandensis et liberorum eius contra abbatem de Capella et conventum in Flandria, de Cam[b]erone et de Bodelo abbatibus committitur, etc.

40. Querela abbatis de Waureleia [4] contra abbates Angliae, de Forpeleio [5], de Rievalle, de Cumba et de Bello loco regis abbatibus committitur ut ad locum quem inter se condixerint accedentes, auditis hinc inde rationibus et visis litteris, dictos abbates, si praefato abbati tenentur in aliquo, ad solutionem auctoritate Capituli generalis compellere non omittant.

41. Querela abbatis de Bodelo contra abbatissam de Bosco, de Cam[b]erone et de Capella in Flandria abbatibus committitur, etc.

42. Querela Benedicti Ioannis et Petri Berardi Catacensis et Richardi de Botefort mercatorum contra abbatem de Estrebac [6] quae diu ventilata nec adhuc terminata, de Campo, de Veteri monte et de Valle Dei abbatibus committitur iterato, ut abbatem et officiales dictae domus compellant auctoritate Capituli generalis ut per distractionem mobilium et immobilium ita dictis mercatoribus satisfaciant, ut ipsos ad nostrum generale Capitulum recurrere non oporteat in futurum.

43. Querela abbatis de Stanlauve [7] contra abbatem de Salleia, de Cumba, de Bildewas abbatibus committitur, etc.

44. Inspectio monialium de Corona Sanctae Mariae, de Sco-

---

1) Arnsburg, Castrum aquilae. 2) Thennenbach, Porta cœli. 3) Raitenhaslach. 4) Waverleia. 5) Bordesleya. 6) Heisterbach, Vallis Sancti Petri. 7) Stanlegia.

noia [1] et de Uterina valle abbatibus committitur auctoritate Capituli generalis ut ad locum, etc., et quid inde, etc.

45. Inspectio loci in quo fundare intendit abbatiam monialium dominus de Vallecort et Clarambaudus milites, de Va[l]cellis et de Boeriis abbatibus committitur, etc.

46. Abbas de Bolbona [a] qui super eo quod in uno lecto cum quodam monacho iacuisse dicebatur, fuerat accusatus, quia seipsum simpliciter [b] excusavit, et alias bonum testimonium a viris prudentibus habet [c], Capitulum generale eumdem duxit super praemissis [d] absolvendum, ita tamen quod per mensem omni sexta feria sit in pane et aqua, et tam ab ipso quam a ceteris personis Ordinis ab excessu huiusmodi caveatur.

47. Item, cum in domo de Ripalta gravis orta conspiratio aures Capituli generalis propulsaverit, de Charreto [2], de Fonte vivo et de Sancto Andrea in Sexto abbatibus committitur a Capitulo generali quod ad locum accedentes, de actoribus et procuratoribus dictae conspirationis diligenter inquirant, et quos culpabiles invenerint, puniant secundum Ordinis instituta... [a] secundum discretionem sibi a Deo datam poenae conspiratorum poenam addant pariter et infligant secundum quod in dicto facto personae magis vel minus excesserint vel in gradum peccaverint altiorem. Quod si omnes non poterint interesse, duo nihilominus exequantur.

48. Sub eadem autem forma de Monte Amiato [3] et de Ripalta abbatibus committitur a Capitulo generali quod ad domum de Analona personaliter accedentes, de conspiratione in eadem domo exorta faciant et viriliter exequantur sicut de facto Ripaltae superius est expressum; super eo autem quod pater abbas, pendente commissione Capituli generalis, procuravit, ut dicitur, auctoritate propria quod in amotione seu mutatione quarumdam personarum de domo videtur sinistra fuisse potestas Capituli generalis, similiter inquirentes anno sequenti quod invenerint renuntient Capitulo generali.

49. Incorporatio monialium Sancti Iuliani quae, mediante

---

46 : $L^1MP^1P^{10}T^5$. [a] Borbona : $L^1P^1P^{10}$. [b] specialiter : T^4. [c] habuisse : P^1P^{10}. [d] seu permisit : M. **47-54** : P^1. [a] *locus vacuus in ms.*

---

1) Schonaugia. 2) Ceretum. 3) S. Salvator de Monte amiato.

favore Sedis Apostolicae Ordini se subiecit, de Castaneola et de Fulina [1] abbatibus committitur, etc., et sit filia de Cliento.

50. De monasterio vero Sanctae Crucis quod Ordini modo simili se subiecit, scribitur reverendo patri domino Ioanni Portuensi et Sanctae Rufinae episcopo, et fiat littera cum consilio abbatis Claraevallis.

51. Inspectio abbatiae monialium de Meleau, de Sancta Cruce et Campoliliorum abbatibus committitur, etc.

52. Item, abbatem de Pruliaco contra quem dati fuerunt anno praetertio inquisitores a Capitulo generali, quia omnino inculpabilis inventus est, ipsum absolvit dictum Capitulum generale.

53. Executio sententiae latae ab abbate Sancti Anastasii de Urbe et de Marmasalia [2] pro abbate Casaemarii super missione in possessione Insulae Usticae, prout in instrumento super hoc confecto plenius continetur, auctoritate Capituli generalis committitur abbati de Parnonia [3] ut dictum abbatem Casemarii de dicta possessione, quae Ustice dicitur, per censuram Ordinis in corporalem possessionem inducat et defendat inductum contradictores et rebelles per dictam censuram Ordinis compescendo.

54. Super interfectione servientis abbatis de Varennis apud Quintiacum facta et iniuriis, patri abbati et abbati de Gratia Dei in Pictavia committitur a Capitulo generali quod ad locum personaliter accedentes, diligenti super hoc inquisitione facta si aliquos monachos, conversos vel familiares culpabiles invenerint in hoc facto, eos puniant prout expedire viderint auctoritate Capituli generalis ; si vero aliqui abbates culpabiles inventi fuerint, renuntient sequenti anno Capitulo generali.

55. Conceditur abbati Morimundi quod scribat [a] viro illustri regi Arragonensi ut domui Morimundi de quadam summa pecuniae, de qua idem abbas se habere asserit [b] litteras dicti regis, satisfaciat sine dilatione domui Morimundi [c]. Committitur autem a Capitulo generali abbati de Populeto qui nunc est [d], in quocumque statu fuerit, ut litteras Capituli generalis dicto regi praesentet, et dictum negotium per modum supplicationis, prout melius potuerit, exequatur [e] ; et quia dictus dominus rex solu-

55 : *L¹MP¹P¹⁰*. [a] scribatur : *M*. [b] dicit : *L¹M*. [c] domui Morimundi : *deest L¹M*. [d] sit : *P¹⁰*. [e] prosequatur : *M*.

[1]) Follina seu Sana vallis. [2]) Marmosolium. [3]) Ferraria.

tionem pecuniae, sicut dictus abbas Morimundi asserit, multoties protelavit, supplicetur domino Papae per litteras Capituli generalis, quod dictum regem per litteras apostolicas roget, moneat et inducat, quod de dicta pecunia satisfaciat domui Morimundi, et super hoc eis concedat executorem [f].

56. Item, petitio abbatis Sancti Marcelli qui petit misericordiam de non veniendo ad Capitulum per quinquennium, cum dictum monasterium extrema paupertate laboret, de speciali gratia exauditur.

57. Item, petitio abbatis de Nez [1] de non veniendo una vice ad Capitulum, exauditur.

58. Ad petitionem reverendi patris nostri domini Guidonis tituli Sancti Laurentii in Lucina presbyteri cardinalis, Apostolicae Sedis legati, conceditur venerabili patri domino episcopo Pragensi quod in domibus Ordinis in sua dioecesi existentibus festum sancti Hieronimi cum duabus missis et XII lectionibus celebretur ; idem fiat de sancta Catharina.

59. Petitio abbatis de Palatiolis qui petit absolvi de non veniendo una vice ad generale Capitulum exauditur.

60. Item, petitio abbatis de Thilieto [2], qui petit monasterium nigrorum Sanctae Justinae de Seyrano per incorporationem et subiectionem uniri monasterio Thilieti, prout melius ad utilitatem et honorem Ordinis potuerit, exauditur.

61. Querela abbatis Loci crescentis contra abbatem Parisiensem, de Theoloco et de Bethania abbatibus committitur, etc.

62. Item, querela abbatis Bethaniae contra abbatem de Charitate, de Bella valle et de Theoloco abbatibus committitur, etc.

63. Querela abbatis de Pratea contra abbatem Ioiaci, de Pruliaco et de Valle Beatae Mariae abbatibus committitur, etc.

64. Petitio abbatum de Anglia qui petunt fieri festum beati Augustini episcopi ipsorum cum una missa et XII lectionibus exauditur, et in translatione sanctorum Thomae et Edmundi commemorationem facient eorumdem.

65. Querela abbatis Bethaniae contra abbatem de Claro fonte, de Bella valle et de Theoloco abbatibus committitur, etc., ut supra.

---

[f] executionem : *M.* **56-80** : *P*[1].

---

1) Neath abbey. 2) Tiletum.

66. Item, querela abbatissae de Auneriis [1] contra abbatem de Villari in Brabantia, de Camberone et de Valle Sancti Lamberti abbatibus committitur, etc.

67. Querela abbatis de Herdeulse [2] contra abbatem de Haguone [3], de Hameflon [4], Gueberne [5] et de Novali Sanctae Mariae [6] abbatibus committitur, etc.

68. Querela abbatis de Bella landa contra abbatem Rievallis, de Furnesio et de Cumba abbatibus committitur, etc.

69. Inspectio abbatiae monialium Sancti Iacobi apostoli quam petunt Ordini incorporari, de Luca et de Renevelle [7] abbatibus committitur, etc., ut supra.

70. Querela abbatis Boni fontis contra abbatem de Crista, de Calertio et Francarum vallium abbatibus committitur, etc., ut supra.

71. Querela abbatis Villae longae contra abbatissam Rivi nitidi, de Borbona... *(locus vacuus)*... abbatibus committitur, etc., ut supra.

72. Querela abbatissae Belli montis contra abbatem Albae ripae, de Theoloco et de Buxeria abbatibus committitur, etc., ut supra.

73. Querela abbatis de Ripalta in Lombardia contra abbatissam Vallis in Christo, de Ripalto, de Thilieto et de Locedio abbatibus committitur, etc., ut supra.

74. Querela abbatis de Stepharda [8] contra abbatem Sancti Martini de Viterbio, de Monte Amiato et de Falera abbatibus committitur, ut supra.

75. Querela abbatis de Vermulerio [9] contra abbatem de Cla[u]stro, de Novo castro et de Monte Sanctae Mariae abbatibus committitur, etc., ut supra.

76. Querela abbatis de Fusniaco contra abbatissam de Rameia, de Camberone et de Caherio abbatibus committitur, etc.

77. Querela abbatis de Villario iuxta Metim contra abbates de Bello prato et de Claro loco, de Alta sylva et de Bongart [10] abbatibus committitur, etc.

78. Querela capituli Metensis quam habet contra abbatem

---

1) Aquiriae. 2) Hardenhusium. 3) Haina. 4) Marienfeld. 5) Dernburg, cf. tamen Janauschek dicta, *OC*, 281; Arnsburg (?). 6) seu Marienrode. 7) Reinfeld. 8) Stafarda. 9) Werneri Villerium, Werschweiler. 10) Baumgarten, Pomarium.

Trium fontium, de Villario iuxta Metim, de Castellione et de Insula Barrum abbatibus committitur, etc.

79. Inspectio monialium de Exsime quam petit incorporari dominus episcopus Pragensis, de Pomoch [1] et de Gradis [2] abbatibus committitur, etc., ut supra Abbas Hebracensis hoc eis denuntiet.

80. Querela quorumdam episcoporum de Hispania et nobilis viri Ioannis Alphonsi contra abbatissam Erz... [3], abbatibus de Scarpio et de Monte salutis committitur, ut supra.

1268

Anno [a] Domini millesimo ducentesimo sexagesimo octavo statuta sunt haec apud Cistercium in Capitulo generali.

1. Cum ad intolerabiles et graves excessus quorumdam monachorum et conversorum de Ripalta, Terdonensis dioecesis, corrigendos, inquisitores olim miserit Capitulum generale, et iidem inquisitores comperta veritate de multa Ordinis misericordia in eos sententiam dederint satis levem ; qui tamen obedire longo tempore noluerunt, in suae malitiae pertinacia in monasterio persistentes, licet tarde postea exierint. Volens idem Capitulum generale a simili praesumptione ceteros perterrere, latas in ipsos sententias a dictis inquisitoribus approbat et confirmat, hoc addito quod pro ipsorum contumacia qui emissi sunt, sententiae conspiratorum per omnia subiaceant, ad domum propriam non nisi de licentia Capituli generalis revocandi. De conversis vero qui manus sacrilegas in cellerarium suum ipsum occidendo miserunt, praecipit vicinis abbatibus et aliis ut illos si potuerint, capiant, et captos carcerali miseriae studeant mancipare ; qui si, et dierum posthabita monitione, Ordini non extiterint obedientes et devoti, supplicat idem Capitulum generale domino episcopo et omnibus civitatis Terdonensis dioecesis ut ipsos monachos et conversos conspiratores per sententiam Capituli generalis in ipsos latam excommunicatos denuntient, et ab omnibus faciant arctius evitari, et ut illos excommunicent qui ad ipsos pertinent,

1268. [a] *Titulus apud P¹QV tantum.* **1-2** : *P¹*.

1) Nepomucum. 2) Gradicium. 3) Caraca (?).

si eisdem dederint in aliquo consilium, auxilium vel favorem. Si vero non sic correcti fuerint, supplicat idem Capitulum generale domino Papae ut consilium apponendo illos de Terdona compellat, ut in ipsos conspiratores capiendo et tenendo manum mittere minime vereantur. Illi vero qui sententiati fuerunt in domo propria remanentes, pro eo quod ipsis in consilio et auxilio adhaeserunt, sententiae conspiratorum subiaceant, et usque ad nutum patris abbatis ultimi omnium habeantur et ad haec praedicta omnia exequenda abbatem Sancti Andreae de Ianuis constituit praecipiendo ipsum Capitulum generale.

2. Item, statuit et ordinat Capitulum generale ut fugitivi et conspiratores de Dobrelech [1] et alii quicumque moneantur, ut infra mensem post monitionem factam ad Ordinem redeant abbatibus suis humiliter obedientes et devoti, alioquin in viciniis abbatiis in praecipuis excommunicentur solemnitatibus, et ubi fieri poterit commode carceri mancipentur, et cum dictos ad Ordinem redire contigerit a dicta sententia proprii abbates eosdem absolvendi liberam habeant facultatem.

3. Item, diffinitioni olim editae [a] quae sic incipit : Abbas depositus, hoc additur quod abbati deposito pro turpi ac enormi crimine, de licentia patris [b] abbatis in domo in qua abbatizavit [c] remanere [d] liceat eidem, aut ad domum a [e] qua in abbatem illius assumptus est revertatur, ita tamen quod in priorem, cellerarium, suppriorem aut confessorem minime [f] promoveatur, nisi de licentia Capituli generalis. Diffinitio super hoc anno praeterito edita revocatur [g].

4. Item, super receptione Fratrum Minorum et Praedicatorum habitum nostri Ordinis cum quibuscumque [a] litteris commendatitiis [b] implorantium, diffinitio super hoc olim edita inviolabiliter observetur.

5. Item, cum super monialium discursibus [a] et excessibus earumdem clamor aures Capituli generalis frequenter propulsaverit [b], ad refrenandum earumdem excessus multiplices, idem Capitulum generale duxit provide statuendum, ut moniales quas

---

3 : *L¹MP¹P¹⁰Q*. [a] in distinctione 7ᵃ : *Q*. [b] praesentis : *L¹P¹⁰*. [c] abbatizaverit : *L¹M*. [d] manere : *L¹*. [e] ex : *M*. [f] minime : *deest P¹⁰*. [g] revocetur : *M*. **4** : *MP¹Q*. [a] quibusdam : *P¹*. [b] *deest Q*. **5** : *L¹MP¹P¹⁰Q*. [a] discessibus : *P¹*. [b] impulsaverit : *Q*.

---

[1]) Dobraluca.

incorporari nostro Ordini de cetero contigerit, perpetuo quantumcumque [c] firmius includi poterunt, ante [d] incorporationis assensum firmiter includantur.

6. Cum ad audientiam Capituli generalis clamosa pervenerit insinuatio quod quidam in electionibus, visitationibus, correctionibus saeculares vel quascumque personas convocant, vel convocari consentiunt, quorum terrore vel malitia, visitatores quae Dei sunt et Ordinis statuere et corrigere impediuntur, statuit et ordinat Capitulum generale ut quicumque de cetero id attentare [a] praesumpserint vel fieri consenserint, poenae conspiratorum subiaceant per omnia, si in hoc [b] deprehensi fuerint, vel convicti. Nec patres abbates, seu quicumque praedictorum occasione venerint, quamdiu tales ibi [c] fuerint ullatenus officium iam inceptum exequantur.

7. Universis abbatibus in legatione [a] domini Simonis tituli Sanctae Ceciliae presbyteri cardinalis constitutis, auctoritate qua potest, praecipit Capitulum generale ut summam pecuniae sibi a patribus suis imponendam illustribus Francorum et Siciliae regibus reddendam pro subsidio [b] Terrae sanctae et pro defensione romanae Ecclesiae infra octavam Epiphaniae Parisius deferant, vel propriis procurent deferri sumptibus in pecunia numerata [c]. Quicumque vero abbates [d] infra praefixum terminum dictam summam non solverint, tam ipsi quam priores vel cellerarii sententiam excommunicationis ex tunc ipso facto incurrant, et nihilominus patres abbates summam impositam super illos contrahere possint ad [e] usuras, ad quae omnia, tam de capitali quam de usuris et expensis occasione praedictorum faciendis, dicti abbates suis patribus reddere rationem tenebuntur, auctoritate domini Cistercii [f] et quatuor primorum abbatum in praedictis in suo robore permanente, ita quod [g] si omnes simul dictum negotium exequi non potuerint, duo ipsorum [h] cum domino Cistercii nihilominus exequantur.

8. Definitioni olim editae anno LXI° [a] de convocandis abbatibus, quae sic incipit : Si contingat quod episcopi vel praelati [b]

---

[c] quousque potuerint : *Q*. [d] ante incorporationis assensum : *deest* P^1.
6 : P^1Q. [a] acceptare : P^1 ; aptemtare : *Q*. [b] in hoc : *deest Q*. [c] ibidem : *Q*. **7** : $L^1MP^1P^{10}$. [a] legione : P^{10}. [b] subsidio Terrae sanctae : *deest M*. [c] notata : *M*. [d] abbas : L^1. [e] vel : *M*. [f] Cisterciensis : P^1. [g] Itaque si : L^1P^{10}. [h] ex ipsis : P^1. **8** : $L^1MP^1P^{10}Q$. [a] 65° : P^1. [b] *deest M*.

Ordinis privilegia infringère moliantur, hoc additur quod illi tres abbates maiores illius provinciae, ut in diffinitione continetur, ad conveniendum et contribuendum ceteros abbates compellant auctoritate Capituli generalis.

9. Item, festum beati Iuliani quod sexto kalendas februarii fieri solebat, in crastino Agnetis secundo fiat, et fiant omnia sicut de beato Remigio, exceptis abbatiis illius dioecesis, qui si voluerint, ea die faciant qua fit in ecclesia cathedrali.

10. Item [a], deliberatione provida praecipit Capitulum generale patribus abbatibus quatinus filiis suis praecipiant et iniungant ut creditoribus suis solvant debita [b] in quibus eis tenentur, etiam [c] per distractionem mobilium seu immobilium, prout melius viderint oportere, et ad hoc ipsos compellant auctoritate Capituli generalis.

11. Auctoritate Capituli generalis inhibetur abbatibus et personis Ordinis universis ne de cetero utantur ciphis [a] cum pedibus argenteis in refectorio, infirmitorio, vel cameris [b], sed [c] ad usus hospitum tantummodo habeantur.

12. Inhibetur abbatibus de novo creatis et conversis [a] noviter [b] ad Capitulum generale venientibus quod nihil praesumant dare in Divione vel in via pueris Ordinis ratione novitatis.

13. Statuit et ordinet Capitulum generale ut pro bono statu Terrae sanctae et pro defensione sanctae romanae Ecclesiae cantetur missa *Salus populi* quarta [a] feria cum duobus ministris. Quod si dicta die duae missae occurrerint [b], prima de *Salus populi* habeatur, et si eadem die debeat fieri sermo in capitulo, dicta missa de *Salus populi* in crastino decantetur, et si qua alia privatim cantari consuevit, omittatur.

14. Petitio abbatis Eboracensis [1], qui petit absolvi a susceptione hospitum per triennium, exauditur. Hoc idem de Ioiaco et de Margano abbatibus per quinquennium. Hoc idem abbati de Mulebrune [2] per triennium est concessum.

15. Petitio abbatis de Theoloco qui petit conventum suum

---

9 : P^1Q. **10** : P^1QVW. [a] Item statuit Capit. : *V*. [b] *deest VW*. [c] etiam... oportere : *deest Q*. **11** : $L^1MP^1P^{10}QV$. [a] sciphis : *M*. [b] amaris : *M*. [c] tantum pro hospitibus reserventur. **12** : $L^1MP^1P^1QV$. [a] *deest V*. [b] novitiis : *M*. **13** : $L^1MP^1P^{10}$. [a] Quinta : *M* ; qualibet : P^1. [b] occurrent : L^1P^{10}. **14-15** : P^1.

---

1) Leg. forsan Ebracensis. 2) Mulbrunnum.

dispergi, et si forte eumdem retinere potuerit, a susceptione hospitum absolvi per quinquennium, exauditur.

16. Cum ultima die Capituli generalis, in eodem Capitulo protestatio facta fuerit, quod si aliquae notulae essent neglectae, possent apud Divionem suppleri, ibidem statutum est quod nullus novitius hoc anno recipiatur in monachum vel conversum, nisi talis fuerit persona cui pro sua reverentia non possit [a] receptio denegari, maxime cum Diffinitoribus in loco debito Diffinitorum consistentibus maior pars [b] et potior in hanc diffinitionem [c] consenserit, quae tamen propter occupationes multimodas est omissa. Excipiuntur ab hac lege abbatiae quae infra viginti annos in Ordine sunt fundatae.

17. Item, pro domino Ioanne quondam comite Burgundiae cui concessum fuit olim quod in singulis domibus suae dominationis in die obitus sui pro ipso fiat anniversarium in conventu, et conversi, qui in servitio suo in vita dicti comitis deputati fuerant, in dicto officio ad petitionem haeredum suorum remaneant usque ad nutum Capituli generalis.

18. Item, anniversarium nobilis viri domini Boschonis, patris et matris suae, et uxoris patris sui fundatricis abbatiae de Laura, [1] anniversario comitis Bononiae quod fit quinto decimo kalendas februarii coniungatur.

19. Petitio Arnulphi comitis Chimerentium qui petit unum monachum de abbatia Clarimarisci pro capellano, et unum conversum pro eleemysonario, dum honestis deputentur officiis, exauditur.

20. Petitio episcopi Belvacensis qui petit unum conversum de abbatia Ursicampi, dum honestis deputetur officiis, exauditur.

21. Petitio abbatis Ebracensis qui petit absolvi a susceptione hospitum per triennium, exauditur.

22. Petitio abbatum de Petrosa et de Boscanio quod anno futuro remaneant a Capitulo generali, exauditur.

23. Petitio abbatis Claraevallis Mediolanensis de faciendo festo beatorum martyrum Gervasii et Prothasii in domo sua cum XII lectionibus et duabus missis, exauditur.

---

16 : $L^1MP^1P^{10}$. [a] talis : *M*. [b] persona : L^1P^{10}. [c] electionem : *M*.
17-28 : P^1.

---

[1]) **Laurus.**

24. Petitio abbatum de Anglia et de Scotia qui petunt fieri festum beatae Margaretae in domibus propriis, exauditur, et fiat de ipsa sicut de beata Catherina.

25. Petitio R. Boloniae et Alverniae comitis de uno fratre Vallis lucidae habendo secum, dummodo honestis deputetur officiis, exauditur.

26. Petitio abbatis Mellifontis qui petit fieri festum beati Malachiae cum tribus lampadibus et sermone in domo propria, exauditur.

27. Petitio abbatis Bellae vallis qui petit decantari officium beati Petri Tarantasiensis archiepiscopi, in responsoriis et legenda propria in domibus suae derivationis, sicut fit in Bella valle, exauditur.

28. Petitio abbatis Montispetrosi, de faciendo festo beati Blasii episcopi et martyris cum XII lectionibus et una missa in domo propria, exauditur, et fiat de eo sicut de beato Thoma Cantuariensi.

29. Petitio reverendi patris domini episcopi Sagiensis qui petit habere missam quotidianam pro defunctis post eius decessum in abbatia Sancti Andreae de Goffer, ubi elegit sepulturam suam, exauditur.

30. Petitio vice cancellearii domini Papae qui petit plenarium [servitium] post eius obitum, exauditur.

31. Petitio monialium Vallis Coeli et Domus Gaudii quae petunt transferri monasteria, de Claromarisco et de Dunis abbatibus committitur auctoritate Capituli generalis qui, ad loca personaliter accedentes pensatis omnibus, etc., et quid inde, etc.

32. Petitio abbatis de Sancta Cruce, qui petit fieri anniversarium pro quodam episcopo in domo propria, exauditur.

33. Petitio domini de Castro Radulphi, qui petit associari sibi monachum unum de Pratea, dummodo honesto deputetur officio, exauditur.

34. Petitio abbatis de Mulebrune, qui petit absolvi a susceptione hospitum per triennium, exauditur.

35. Inquisitio abbatis Francarum vallium qui in manifesto carnis contagio infamis esse dicitur, de Aquabella et de Fontefrigido abbatibus committitur auctoritate Capituli generalis, qui ad locum personaliter accedentes, si dictum abbatem in prae-

---

29 : *P*[1]*T*[5]. **30-39** *P*[1].

dictis culpabilem invenerint, per depositionis sententiam in ipsum animadvertere non omittant, et anno sequenti renuntient Capitulo generali.

36. Inquisitio super excessibus abbatis Sancti Sebastiani qui a visitatione sua visitatorem repulisse, et eidem posuisse insidias et monachos patri abbati obedientes excommunicasse, ut dicitur, de Casaemarii et de Monte Amiato abbatibus committitur auctoritate Capituli generalis qui ad loca personaliter accedentes, si dictum abbatem in praedictis culpabilem invenerint, in ipsum animadvertere non omittant, prout viderint expedire.

37. Inquisitio super conspiratione exorta in Valle tuta contra abbatem ipius loci, et aliis iniuriis corporalibus ipsi abbati a monachis et conversis eiusdem loci illatis, de Herivado et de Rure regis abbatibus committitur auctoritate Capituli generalis in plenaria Ordinis potestate, qui ad loca personaliter accedentes, inquirant super praemissis diligenter veritatem, et si invenerint dictam conspirationem et iniurias ita esse prout in litteris sigillatis sigillis octo abbatum, sicilicet de Caron [1], de Erivado, de Vitae Schola, de Sora, de Cara Insula, de Rure Regio, de Asilo, de Insula Dei et de Loco Dei vidimus contineri, ipsum abbatem in gradum pristinum restituant et restitutum ab iniuriis et violentiis conservent et conspiratoribus poenam infligant, secundum quod in gradum peccaverint altiorem, et secundum Ordinis statuta.

38. Inquisitio abbatis de Rubeto [2] qui ad Capitulum generale per quadriennium dicitur non venisse, qui contra patris abbatis inhibitionem romanam Curiam adiit ibidem mutuum contrahens inutiliter, prioratum etiam ad vitam retinens, ibidem bona monasterii sui dissipans, de Bella pertica et de Bono loco abbatibus committitur auctoritate Capituli generalis, quid ad loca personaliter accedentes super his diligenter inquirere studeant, et quid inde, etc

39. Inquisitio super excessibus monialium de Fonte Sanctae Mariae et super processu abbatis de Aurora patris dictarum monialium contra ipsas, de Alta ripa et de Capella abbatibus committitur auctoritate Capituli generalis, etc., ut supra.

---

[1]) Leg. Esrom. [2]) Rivetum.

40. Inquisitio super instrusione abbatis de Samaria facta per quemdam regulum contra Ordinis instituta, committitur abbati Mellifontis in plenaria Ordinis potestate, et si ipsum taliter intrusum invenerit, ipsum non esse abbatem denuntiet auctoritate Capituli generalis.

41. Incorporatio domus de Kirkam [1], de Lucella et de Fortenhasela [2] abbatibus committitur in plenaria Ordinis potestate, etc., ut supra, et sit filia de Caesarea.

42. Incorporatio loci de Magelam, de Sancta Cruce in Austria et de Campo liliorum abbatibus committitur, etc., ut supra, et sit filia de Zvocetel [3].

43. Incorporatio monasterii de Clara stella, de Speciosa valle et de Brunebach abbatibus committitur, etc., ut supra, et sit filia de Mulebruna.

44. Incorporatio abbatiae monialium de Gratia Dei in magna Valentia, de Scarpio et de Bonifacano [4] abbatibus committitur, et sit filia Cistercii.

45. Incorporatio abbatiae monialium de Ramosa [5], de Eberbach et de Aursburc [6] abbatibus committitur, etc., ut supra, et sit filia de Sconavia [7].

46. Diffinitioni nuper editae de locorum inspectoribus et incorporationibus monasteriorum [a] hoc additur, ut scriptis per se vel alios anno sequenti referant Capitulo generali.

47. Inspectio loci in quo fundari abbatiam monialium nobilis vir dominus de Vandolia vult, de Longo ponte et de Fontuato [8] abbatibus committitur, etc., ut supra.

48. Inspectio abbatiae Sanctae Mariae quae petit transferri, de Porta Coeli et de Loco crescenti abbatibus committitur, etc.

49. Inspectio abbatiae monialium de Chesemed, de Gradis [9] et de Sara [10] abbatibus committitur, etc., ut supra.

50. Inspectio loci Cognatiae in quo intendit Richardus de Rupella miles abbatiam fundare, de Mellisfonte et de Sancto Salvatore abbatibus committitur, etc., ut supra.

---

40 : P^1T^5. **41-45** : P^1. **46** : $L^1P^1P^{10}$. [a] monasteriorum : *deest* P^1P^{10}. **47-50** : P^1.

---

1) Kirchemium. 2) Raitenhaselacum. 3) Zwettl, seu Claravallis in Austria. 4) Benifazanum. 5) Ramese. 6) Arnsburg seu Castrum aquilae. 7) Schonaugia. 8) Fontanetum. 9) Gradicium. 10) Seu Fons S. Mariae.

51. Abbates [a] Hispaniae qui hoc anno remanserunt a Capitulo generali quia se per litteras legitime excusare curaverunt, volens eisdem ad praesens parcere ipsum generale Capitulum, statuit et diffinit ut eo anno quo antiquitus venire consueverant, de cetero venire teneantur. Diffinitio super hoc anno praeterito edita revocatur [b].

52. Item, a sententia olim lata in fratrem Girardum quondam abbatem Fontis Ioannis auctoritate Capituli generalis, ipsum absolvit dictum Capitulum generale.

53. Universis abbatibus Daciae, Apuliae, Marchiae Anconitanae inhibetur auctoritate Capituli generalis ne monachus vel conversus ad se venientes sine litteris propriorum abbatum retinere ullatenus audeant vel praesumant.

54. Praecipitur abbati de Esterbach [1] auctoritate Capituli generalis ut suis creditoribus mercatoribus P. Berardi et Benedicto Ioannis et Willelmo de Mora et Richardo de Bianfont ut infra statutum tempus satisfaciat ; alioquin ex tunc abbas, cellerarius maiori excommunicationi subiaceant, monachi vero et conversi qui dictam solutionem impedierint, eidem sententiae subiaceant, nec in dicto monasterio divina a praefato termino celebrentur. Dicta vero pecunia in dagano ubi recepta fuerat, persolvatur.

55. Item, cum frequenti abbatum in Capitulo generali querimonia contra Metensem episcopum, de Tribus fontibus et de Villario iuxta Metas abbatibus commissa sit auctoritate Capituli generalis procuratio, et dicti abbates dictum negotium in gravibus expensis per se et nuntios ad hoc deputatos in romana Curia et alibi fideliter in expensis communibus fuerint prosequuti, dictis abbatibus de Tribus Fontibus et deVillario committitur auctoritate Capituli generalis ut abbates, qui impositam sibi summam praedicto negotio usque ad festum Omnium Sanctorum persolvere distulerint, ex tunc eosdem quousque praedictis abbatibus plenarie pro rata sua satisfecerint, compellant auctoritate Capituli generalis, et praefati duo abbates, si dicto statuto tempore in solutione suae portionis deficere contigerit, non solutam pecuniam recipere teneantur ad usuras, et quid inde, etc.

---

51 : $L^1MP^1P^{10}$. [a] Abbatibus : P^{10}. [b] revocetur : *M*. **52-69** : P^1.

---

[1]) Heisterbach, Vallis S. Petri.

56. Correctio abbatiae Scalae Dei quae in temporalibus enormiter dissipata dicitur, de Bethania et de Villa longa abbatibus committitur auctoritate Capituli generalis, qui ad dictam abbatiam personaliter accedentes eamdem, prout melius potuerint, corrigant et reforment. Super obligatione vero quae dicta domus domui Morimundi dudum est... *(sic)*.

57. Item, processum depositionis abbatissae de Erz [1] factam per abbates de Scarpio et de Monte salutis auctoritate Capituli generalis, confirmat et approbat idem Capitulum generale.

58. Item, de abbate de Salteia qui non venit per novem annos ad Capitulum, committitur patri abbati quod ipsum puniat secundum Ordinis instituta, et quid inde, etc.

59. Abbati de Ripatorio conceditur ut de grangia sua, quae vocatur Domus Episcopi, faciat commodum suum prout melius viderit expedire.

60. Item, querela abbatis Trium Fontium contra abbatem Igniaci, de Monasterio in Argona et de Valle regis abbatibus committitur in plenaria Ordinis potestate, etc., ut supra.

61. Querela abbatis de Berola contra abbatem de Orta [2], de Monte salutis et de Valle bona abbatibus committitur, etc., ut supra.

62. Querela abbatissae de Cams [3] contra abbatissam de Sancto Andrea, de Scarpio et de Monte salutis abbatibus committitur, etc., ut supra.

63. Querela abbatis de Bona requie contra abbatem de Salteia, de Persenia et de Eleemosyna abbatibus committitur in plenaria Ordinis potestate, etc., ut supra.

64. Querela abbatis de Oseech [4] contra abbatem de Egris [5], de Valleron [6] et de Cicador [7] abbatibus committitur, etc., ut supra.

65. Querela abbatis de Deulecresse [8] contra abbatem de Crogdone [9], de Wanelia [10] et de Loco Sanctae Mariae in Holandia [11] abbatibus committitur, etc., ut supra.

66. Querela abbatis Villae longae contra moniales de Rivinetidi, de Fontefrigido et de Valle bona abbatibus committitur, etc., ut supra.

---

1) Cf. ann. praec. nº 80. 2) Horta. 3) Canas (?). 4) Ossecum. 5) Egresium. 6) Waldsassum (?), abbatia mater Osseci. 7) B. M. de Czikador. 8) Dieulacresium. 9) Vallis S. Mariae de Crokesden. 10) Waverleia. 11) Swineshead abbey.

67. Querela abbatis Sancti Stephani de Boscho contra abbatem de Nucharia, de Marna [1] et de Curatio abbatibus committitur, etc., ut supra.

68. Querela abbatis de Balerna contra abbatem Bonimontis et abbatem Bullionis, de Chasereto [2] et de Monte Sanctae Mariae abbatibus committitur, etc., ut supra.

69. Querela abbatis Longipontis contra abbatem Ursicampi, de Valle regis et de Valle clara abbatibus committitur, etc., ut supra.

70. Abbas Belefontis [a] qui iam tertio defuit a Capitulo generali deponitur in instanti.

1269

Anno [a] Domini millesimo ducentesimo sexagesimo nono statuta sunt haec apud Cistercium [b] in Capitulo generali.

1. Cum remunerationis plus habere debeant et mercedis illi qui maioribus et utilioribus occupantur, statuit et ordinat Capitulum generale ut quolibet anno pro abbatibus et universis personis Ordinis qui eo anno mortui fuerint, dicatur una missa pro defunctis pluraliter a singulis sacerdotibus Ordinis universi, et quinquaginta psalmi, vel *Miserere mei Deus*, ab universis monialibus Ordinis universi, vel totidem *Pater noster* ab illis qui psalmos nesciunt, qui secundum consuetudinem Ordinis pro psalmis sufficiant memoratis.

2. Districtissime inhibetur a Capitulo generali ne aliquis abbas, monachus vel conversus de cetero utatur almutiis pelliceis [a] vel panninis; qui vero usus [b] fuerit, si [c] abbas [d], in generali Capitulo, monachus et conversus, in visitationibus veniam inde petat, prout de usu pellium [e] fieri consuevit.

3. Item, antiquum statutum de monachis pro culpa [a] emissis inviolabiliter observetur. Qui vero ipsos noluerit [b] retinere, ve-

70 : P^1T^5. [a] Bonifontis : T^5.
1269. [a] *Titulus apud P^1QV tantum.* [b] tempore Cap. gen. : *V*.
1 : $L^1MP^1P^{10}$. **2** : $L^1MP^1P^{10}Q$. [a] pelliciis : *Q*. [b] reus : L^1. [c] si : *deest* L^1Q. [d] abbates... monachi vel conversi... petant : *Q*. [e] pelliciarum : *M*. **3** : MP^1Q. [a] culpis : *Q*. [b] noluerint... petant... puniendi : *Q*.

[1]) Matina. [2]) Chesiriacum.

niam inde petat in Capitulo generali, ad Capituli arbitrium puniendus.

4. Item, honestati et commoditati Ordinis providendo districte praecipitur abbatibus Ordinis universi quod tam sibi quam monachis suis omnibus a curiositate vestium summopere caveant [a], et quod tam cucullae quam manicae cucullarum non sint nimis longae, sed mensuratae secundum decretum regulae nostrae, et quod tam abbates quam monachi cucullis albis utantur uniformiter [b] in claustris, et in choro horis matutinalibus, maxime in terris et locis ubi haberi poterunt competenter.

5. Item, bono nomini Ordinis et utilitatiin posterum consulendo inhibetur districte a Capitulo generali ne quis abbas seu persona aliqua Ordinis grangiam, cellarium seu membrum Ordinis [a] aliquod quae hospitalitatem tenentur et debent personis Ordinis ministrare, vendant vel distrahant quoquomodo sine speciali licentia petita et obtenta a Capitulo generali, non obstantibus diffinitionibus ab ipso Capitulo super his [c] antea diffinitis.

6. Item, statuit et ordinat Capitulum generale quod si aliqui [a] homines alicuius monasterii capiuntur occasione monasterii vel rerum [b] quas a monasterio possident, abbas cuius homines sic capti fuerint [c], vel mandatum eius [d] pro ipsis fideiubere poterit, in tanto quanto de bonis ipsorum hominum habebit [e] in propria potestate.

7. Inhibetur a Capitulo generali quod nullus abbas in domo Theobaldi Sancti Sequani de cetero hospitetur ad vitam suam, nisi medio tempore pecunia quae in domo eius furata fuit ad plenum fuerit restituta.

8. Causa pietatis et misericordiae indulget Capitulum generale quod his duobus annis proxime subsequentibus possit dominus abbas Cistercii quolibet anno viginti abbates tam de Anglia quam de aliis partibus de veniendo ad Capitulum generale retinere, de illis videlicet qui in [a] annis duobus sequentibus tenentur ad Capitulum venire, ita tamen quod expensae quas dicti abbates in veniendo et redeundo facerent, vel aliquantulum plus, si voluerint, in solutione debitorum matris nostrae domus Cistercii, quae oppressa est magnis debitis, convertantur.

---

4 : *$L^1MP^1P^{10}Q$*. [a] faveant : *P^{10}*. [b] communiter : *P^1P^{10}* ; *deest Q*. **5** : *P^1Q*. [a] *deest Q*. [b] qui : *P^1*. [c] *deest Q*. **6** : *P^1QVW*. [a] aliunde : *P^1* ; aliquando : *W*. [b] *deest Q*. [c] fuerunt : *W*. [d] ipsius : *Q*. [e] habuerint : *W*. **7** : *P^1*. **8** : *$L^1MP^1P^{10}$*. [a] hiis : *L^1* ; his : *P^1*.

9. Diffinitio [a] edita de missa *Salus populi* celebranda anno praeterito, revocatur.

10. Domino Cistercii et quatuor primis abbatibus committitur a Capitulo generali quod in pagamento nundinarum Sancti Aygulphi Pruvinensis, per se vel per suos certos nuntios recipiant pecuniam depositam apud mercatores pro negotio regis Siciliae, a dictis abbatibus conservandam fideliter et integraliter pro negotio supradicto.

11. Universis abbatibus regni Franciae in legatione domini Symonis tituli Sanctae Ceciliae presbyteri cardinalis constitutis, auctoritate qua potest praecipit Capitulum generale ut summam pecuniae ab abbatibus ad hoc a Capitulo deputatis imponendam, reddendam illustrissimo Francorum regi pro subsidio Terrae sanctae, octo diebus ante Purificationem Beatae Virginis Parisius deferant vel propriis procurent deferri sumptibus in pecunia numerata. Quicumque vero abbates infra praefixum terminum dictam summam non solverint, tam ipsi quam priores et cellerarii sententiam excommunicationis incurrant, et nihilominus summa imposita contrahi poterit ad usuras ad quae omnia tam de capitali quam de usuris et expensis occasione praedictorum faciendis dicti abbates, qui praefato termino non solverint, reddere tenebuntur.

12. De abbatibus Hispaniae qui istis duobus annis praeteritis ad Capitulum venire debuerant nec venerunt pro guerrarum discriminibus, ad praesens volens parcere eisdem Capitulum generale ea auctoritate qua potest praecipit et diffinit ut anno futuro venire non negligant, alioquin patres abbates in ipsos per depositionis sententiam animadvertere non omittant.

13. Item, electionem in domo de Va[l]cellis [a] factam canonice de fratre Guillelmo de Gandavo, monacho dictae domus, quam audivit Capitulum generale a patre abbate fuisse iniuste totaliter refutatam prout est in praesentia Diffinitorum per testes legitimos comprobatam, dictam electionem fratris Guillelmi praedicti generale Capitulum approbat [b] et confirmat, institutionem [c] vero alterius sicilicet fratris Ioannis monachi Claraevallis nullam penitus esse iudicando. Committitur autem abbatibus

---

9 : $L^1P^1P^{10}$. [a] Diffinitioni : P^{10}. **10-12** : P^1. **13** : P^1Q. [a] Vaucellis : *Q*. [b] comprobat : *Q*. [c] autem : *Q*.

Cariampi et de Balanciis [d] [1] quod dictum fratrem Guillelmum in stallum abbatis inducant [e] et eidem sigillum cum cura tribuant, et conventum de Va[l]cellis ut eidem tamquam abbati suo vero obediant [f], inducant auctoritate Capituli generalis.

14. Cum causa super negotio abbatis de Alpibus pervenit ad aures Capituli generalis, et idem Capitulum ad determinandam dictam causam vacare non valeat propter temporis brevitatem, venerabili patri domino Cistercii quidquid in dicta causa facere poterat vel debebat, tam in principali quam in accessoriis, tam in capite quam in membris, committit totaliter faciendum, non obstantibus statutis vel diffinitionibus, indulgentiis et consuetudinibus seu privilegiis quibuscumque.

15. Inhibetur districte patribus abbatibus [a] Ordinis universi ne de cetero [b] dispergant [c] vel emittent conventus monialium, nisi de petita et obtenta licentia Capituli generalis [d], et taxetur numerus monialium pro suarum modulo facultatum.

16. Cum ad aures Capituli generalis fama pervenerit querelosa de abbate de Stapharde qui male se habuit et furtim recedens detulit res monasterii praelibati, et extra capitulum Ordinis extraordinarie cedens officio et regimini abbatiae sigillum suum remisit contra consuetudinem Ordinis approbatam, [cessionem] ipsius monachi malefactam dictum generale Capitulum approbat et confirmat, et si defectus aliquis fuerit in electione abbatis substituti, ipsum defectum supplet Capitulum generale, et primum reputat fugitivum.

17. Praecipitur etiam abbati Belli montis ubi dictus monachus dicitur infirmari vel etiam latitare, ut libros et res domus Firmitatis et aliarum domorum nostri Ordini totaliter custodiat et reservet, ut rehaberi possint et reddi propriis monasteriis tempore competenti. Iniungitur autem universis personis Ordinis, ut dictum monachum ubicumque eum habere potuerint, carceri mancipent, invocatō super hoc, si necesse fuerit, auxilio brachii saecularis.

18. Cum super quibusdam excessibus, quos in abbatia Vallis Sanctae Mariae pater abbas fecisse dicitur, auribus Capituli

[d] Balamciis : *Q*. [e] conducant : *Q*. [f] *deest Q*. **14** : *P*[1]. **15** : *P*[1]*QVW*. [a] *deest Q*. [b] *deest V*. [c] *deest Q*. [d] *hic desin. VW*. **16-24** : *P*[1].

[1]) seu Valloriae.

generalis clamor validus insonuerit, de Prulliaco et de Regali Monte abbatibus committitur, et praecipitur auctoritate Capituli generalis, ut ad dictam abbatiam accedentes, excessus secundum articulos contra dictum patrem abbatem Curiae Dei in Capitulo generali propositos diligenter inquirant, et quid inde, etc.

19. Contra frequentem et temerariam quorumdam conversorum de Net audaciam, volens generale Capitulum remedium adhibere, statuit et diffinit ut conversi dictae domus de Net qui equos patris abbatis furtim subtraxerunt, moneantur ut infra mensem post factam monitionem ad ordinem redeant abbatibus suis obedientes et devoti, alioquin in vicinis abbatiis in praecipuis excommunicentur solemnitatibus, et si fieri poterit commode, carceri mancipentur, et cum dictos ad ordinem redire contigerit, patres abbates a dicta sententia eosdem absolvendi liberam habeant facultatem.

20. Item, unionem actam de abbatia Sancti Salvatoris et de Oliva approbat generale Capitulum, ita tamen quod illi de Oliva in loco Sancti Salvatoris provideant de competenti numero monachorum.

21. Praecipitur abbati de Cliento a Capitulo generali fratrem Guindocinum, quondam de Ordine Praedicatorum, monachum suum a domo et ab Ordine propter excessus multiplices quos in Ordine Praedicatorum fecisse dicitur, licentiet et emittat.

22. Item, abbati Cariloci praecipitur auctoritate Capituli generalis ut procuratoribus pro salinis in vico a Capitulo generali deputatis summam a dictis procuratoribus indictam usque ad festum Omnium Sanctorum solvere non omittant, alioquin in ipsum secundum formam diffinitionis anno praeterito definitam animadvertere poterunt auctoritate Capituli generalis.

23. Cupiens generale Capitulum paci et quieti Ordinis providere, poenas restringere, gratias ampliare super revocatione monachorum qui pro culpis suis emissi fuerant de Ripalta, de Locedio et de Caravalle abbatibus committitur a Capitulo generali quod ad domum de Ripalta personaliter accedentes inquisitione habita diligenti, quos minus culpabiles et magis obedientes invenerint, ad domum propriam revocent, etiam poenas seu poenitentias relaxent, prout discretioni eorum videbitur expedire.

24. De abbate Sancti Marcelli qui non solvit summam sibi impositam pro illustri rege Siciliae a Capitulo generali, cum ta-

men solvisse potuisset secundum testimonium patris sui, et in excommunicatione se recepisse communionem sacri Corporis recognovit, statuitur ut idem abbas stet extra stallum abbatis quadraginta diebus et tribus eorum sit in pane et aqua, et nisi infra proximam Nativitatem Domini dictam summam sibi impositam persolverit, ex tunc pro deposito habeatur ; poenam vero consimilem sortiantur omnes alii abbates qui summam sibi impositam a patribus abbatibus elapso solutionis termino, de certa scientia non solverint, si communicaverint divinis, et nisi infra Nativitatem Domini proximam solverint impositam sibi summam, pro depositis habeantur, nisi patres abbates aliquid de summa imposita minuerint, vel solutionis terminum duxerint prorogandum.

25. Statuitur ut abbas Sacrae cellae [a], qui de causa sibi hoc anno commissa a Capitulo generali neglexit quid inde actum sit praedicto Capitulo nuntiare, prout continetur in diffinitionibus quinta [b] distinctione capitulo vigesimo tertio, viginti diebus sit extra stallum abbatis in choro, vel etiam alieno, prout continetur eadem distinctione, capitulo vigesimo circa finem, et super hoc veniam petat in proximo sequenti Capitulo generali. Eamdem poenam sustineant abbates de cetero, qui de causis sibi commissis a Capitulo neglexerint renuntiare quid inde actum sit in proximo Capitulo generali sequenti.

26. Pia consideratione indulget et concedit Capitulum generale ut illae abbatiae quae habent redditus assignatos a viro nobili domino Ioanne bonae memoriae comite Burgundiae et domino Salinensi, occasione sui anniversarii faciendi, faciant dictum anniversarium secundum quod in diffinitionibus continetur.

27. Praecipit Capitulum generale quod abbatissa de Bello loco quae ad se missas recipere noluit moniales, quadraginta diebus continuis sit extra stallum abbatissae in choro primo, tribus diebus sit in levi culpa, uno eorum in pane et aqua. Visitator hoc ei denuntiet.

28. Cum rumor insonuerit auribus Capituli generalis de fratre Ioanne monacho Belli prati qui ad praesens cum duce Lotharingiae commoratur, quod ipse exerceat officia monacho inhonesta

---

25 : *L*¹*MP*¹*P*¹⁰. [a] Sacreciae : *L*¹*P*¹ ; Sarreciae : *P*¹⁰. [b] sexta : *P*¹⁰.
26-75 : *P*¹.

et nimis saeculariter se habeat in factis suis aliis et excedat, committitur dicto abbati Belliprati a Capitulo generali ut inquirat de factis monachi diligenter et ipsum corrigat et revocet ad domum propriam, si viderit expedire, et domino duci praedicto super his a Capitulo generali excusatoria littera dirigatur.

29. Item, a Capitulo generali de Caroloco, de Caritate abbatibus committitur ut personaliter accedentes ad domum Theoloci diligenter inquirant de venditione grangiae de Borberein, et de venditione hominum, utrum de consensu totius conventus et patris licentia, praedicta omnia vendita fuerint et distracta, et si homines se redimere voluerint aequipollenti pretio et si pretium de solutione deductum fuerit debitorum, et super his omnibus correctione praevia faciant quod potuerint et viderint expedire, etc., et quid inde, etc.

30. Abbas de Garraria [1] in Anglia qui domum suam obligavit pro persona saeculari in 374 marchis, cum ipso facto sit depositus, auctoritate Capituli generalis nuntiatur depositus, et omnes officiales de quorum consilio factum fuit poenam sustineant in diffinitionibus constitutam anno Domini M CC LX° quae sic incipit : Nullus de Ordine nostro pro aliqua persona vel ecclesia, etc. Abbas de... *(locus vacuus)*... hoc ei denuntiet.

31. Item, cum auribus Capituli generalis clamor insonuerit inauditus de monialibus Fontis Sanctae Mariae Ordinis nostri, quae tam abbati proprio quam etiam Ordini inobedientes sunt totaliter et rebelles, quae etiam inquisitores missos ad eas a Capitulo generali cum gladiis et fustibus repulerunt, et moniales obedientes irreverenter de domo propria expellentes, nolunt eis de bonis domus in aliquo providere, de Alto christo [2] et de Sancto Urbano abbatibus committitur auctoritate Capituli generalis in plenaria Ordinis potestate, tam in capite quam in membris ut ipsi pensato negotio faciant omnia quae fuerint facienda, invocato ad hoc consilio et auxilio tam Ordinis quam saecularium personarum prout viderint expedire ; sententias vero latas a patre abbate ipsarum in contumaces et rebelles approbat et confirmat Capitulum generale ; provideant nihilominus dicti abbates auctoritate praedicta monialibus quae Ordini sunt obedientes, humiles et devotae, et faciant eas in monasteriis monialium Ordinis quae conventus suos tenent, non obstante contra-

[1]) Quarraria. [2]) Altacrista.

dictione aliqua, recipi et servari, donec ad domum propriam reverti valeant, sedata hac pessima tempestate.

32. Cum multa mala relata sint Capitulo generali de abbate Pelisii, qui ipse nec venit, nec filios suos venire permisit ad Capitulum generale, patri abbati committitur qui ipse ad locum personaliter accedens assumpto sibi aliquo abbatum numero, tam filiam suam quam derivationem dictae filiae visitet, corrigat et reformet, auctoritate Capituli generalis.

33. Cum Capitulum generale intellexerit relatoribus fide dignis quod abbatia de Ripalta in Pedemontio subsistere non valeat, nec stare propter onus intolerabile debitorum, de Tyleto et de Locedio abbatibus committitur a Capitulo generali ut ad loca personaliter accedentes, conventum ad domum unde exivit remittere non omittant, si ita est secundum quod est Capitulo intimatum, et adiunctis duobus aliis monachis abbati dictae domus provideant cum ipsius abbatis consilio et dictorum monachorum, quod de proventibus dictae domus universa debita persolvantur, et fiat computatio quater ad minus in anno de bonis et proventibus dictae domus coram tribus abbatibus et aliquibus monachis, proviso quod infra sex annos debita sint soluta integraliter, et conventus ad dictam domum, non expectata ulterius licentia Capituli generalis, revertatur.

34. Item, negotium de Esterbach [1], de Veteri monte abbati committitur a Capitulo generali ut ad locum personaliter accedat, tractet et ordinet, vocatis partibus, secundum facultates dicti monasterii proventus, etiam redditus distrahendo, aut alio quocumque modo faciat qualiter mercatorum debita, si fieri commode poterit, persolvantur.

35. Item, anniversarium reginae Berengariae fiat cum anniversario regis Richardi mariti sui per Ordinem universum, ea die qua dictum anniversarium fieri consuevit.

36. Petitio domini ducis Burgundiae, qui petit anniversarium fieri pro duce Brabantiae in domibus ducatus Brabantiae, exauditur.

37. Item, pro magistro Stephano de Budiers et pro fratre Adam de Ordine Minorum, pro Thoma de Vernino, conceditur una missa pro defunctis in singulis domibus Ordinis universi.

---

1) Heisterbach, seu Vallis S. Petri.

38. Petitio abbatum de Sancto Eduardo, de Warne Villario [1], de Ignes [2], de Florano, de Caladia, de Lucela, de Bullencuria, de Stamedio, qui petunt absolvi a susceptione hospitum, exauditur, et abbatis Fontis Ioannis eadem petitio per quadriennium exauditur, ita quod abbas de Caladia conventum suum revocet, abbas vero de Ignes remanebit de veniendo ad Capitulum generale una vice.

39. Petitio abbatis Vallis Dei qui petit fieri festum sancti Servatii episcopi et confessoris in domo propria cum duabus missis, exauditur, et fiat de eo sicut de beato Nicolao.

40. Petitio abbatis Belli loci in Cypro qui monachos Belli montis et monachos Iubilei [3] quorum abbatiae sunt destructae a Saracenis, suscepit in domo sua, qui petit quod una vice remaneat a Capitulo, exauditur.

41. Petitio abbatis Ursicampi, qui petit pro domina de Ossemunt quod habeat unam missam de sancta Maria in vita sua et post mortem missam pro defunctis in domo Ursicampi, exauditur.

42. Petitio abbatis de Ebrebac [4] qui petit quod liceat eidem conversos recipere, taliter exauditur quod liceat ei recipere usque ad XX conversos ad praesens, illo manente in firmo carcere qui abbatem proprium interfecit ; quod si forte evaserit homicida, sententiam olim latam in dictos conversos de Ebrebac a generali Capitulo in suo robore perseveret.

43. Petitio abbatis de Chamely [5], qui petit quod possit remanere de Capitulo, conceditur una vice.

44. Petitio nobilis dominae B. ducissae Britanniae, quae petit fieri anniversarium in abbatiis terrae suae pro bonae memoriae P. filio suo iam defuncto, exauditur.

45. Petitio ducis Saxoniae, qui petit sibi associari conversum unum de Rivo Sanctae Mariae, dummodo honestis deputetur officiis, exauditur.

46. Petitio nobilis dominae comitissae de Alba Maria, quae petit conversum de Garreria [6], dummodo honestis deputetur officiis, exauditur.

47. Petitio abbatis de Saltreia, qui petit anniversarium fieri

---

1) Werneri Villerium. 2) Igniacum. 3) S. Georgius de Iubino. 4) Eberbacum. 5) Chamez aliquando legitur pro Cumber. seu Comererio. 6) Quarraria.

pro domino Garnio de Basse brune in domo propria, exauditur.

48. Petitio nobilis dominae de Turmaco, quae petit anniversarium fieri in abbatiis terrae suae post obitum suum, exauditur.

49. Petitio abbatis de... (*locus vacuus*)... qui petit anniversarium fieri in domo propria pro magistro Petro, exauditur.

50. Petitio abbatis de Iugo Dei, qui infinitis obligatus est debitis, qui petit ut una vice remaneat a Capitulo, exauditur.

51. Petitio abbatis Sacri Portus qui petit unam missam quotidianam pro domina de Maricorne in domo propria, exauditur.

52. Petitio abbatis de Dunebel [1], qui petit fieri festum sancti Patrocli cum XII lectionibus in domo propria, exauditur.

53. Petitio abbatis de Clivo [2], qui petit fieri festum sancti Georgii cum XII lectionibus in domo propria, exauditur.

54. De beato Thoma Cantuariensi archiepiscopo servetur uniformitas in domibus Ordinis per Angliam constitutis.

55. Querela abbatis Fossae novae contra abbatem Sancti Anastasii, de Falera, et de Sancto Martino abbatibus committitur in plenaria Ordinis potestate pacificanda, etc., et quid inde, etc.

56. Super querela quae inter abbatem Ioiaci et abbatem de Pratea vertebatur, statuit et ordinat Capitulum generale quod abbas de Pratea infra instantem Nativitatem Domini solvat abbati Ioiaci summam eidem abbati et suo monasterio debitam ratione cuiusdam emptionis, prout in sua littera quam habet ab ipso praedictus abbas Ioiaci continetur, alioquin dictus abbas de Pratea gradum altaris non ascendat donec dicta summa pecuniae dicto abbati Ioiaci et suo monasterio plenarie sit soluta.

57. Querela quae vertebatur inter abbatem de Villari in Brabantia et abbatissam de Valle florida, de Camberone et de Alna abbatibus committitur, etc.

58. Querela inter abbatem de Bodelo et abbatissam de Busco [3], de Villari in Brabantia et de Valle clara abbatibus committitur, etc., ut supra.

59. Querela abbatis Villae longae contra abbatem Fullensem, de Candelio et Francarum vallium abbatibus committitur, etc. ut supra.

60. Querela abbatis de Donepielle [4] contra abbates de Bues-

---

1) S. M. iuxta Dublinum. 2) Seu Vallis Florida. 3) Novus Boscus.
4) Dunkeswell.

festia [1] et de Benedona [2], de Forda et de Valle florida abbatibus committitur, etc., ut supra.

61. Querela abbatis Bithiniae [3] contra abbatem de Charitate Dei, de Balerna, et de Loco crescente abbatibus committitur, etc.

62. Querela abbatis Scalae Dei contra abbatem Bonifontis, Burdonis [4] et de Fullentio abbatibus committitur, etc.

63. Querela abbatis de Capella contra abbatem de Dunis, de Villari in Brabantia et de Bodelo abbatibus committitur, etc.

64. Querela abbatis de Loco Sancti Bernardi contra abbatissam de Nazareth, de Villari in Brabantia et de Valle Sancti Lamberti abbatibus committitur, etc.

65. Querela civium Metensium, de Bethania et de Insula Barri abbatibus committitur, etc.

66. Querela Ioannis de Flasconis et de Iacobinae uxoris eius contra abbatissam et conventum Sanctae Mariae Bononiensis, de Fonte vivo et de Ponte Trebiae abbatibus committitur, etc., ut supra.

67. Querela viri nobilis domini G. de Burgis contra abbatissam de Porceto, de Valle clara abbati, de consensu partium committitur, etc., ut supra.

68. Querela abbatis Bithaniae contra abbatem Bellae vallis, de Balerna et de Loco crescente abbatibus committitur, etc.

69. Conceditur abbati Prulliaci ut pro illustri rege Navarrae, qui domui Prulliaci multipliciter profuit, una missa de Beata Virgine quotidiana quamdiu vixerit, in domo propria, et post eius obitum, ista cessante missa, pro defunctis celebretur.

70. De abbate de Insula Dei in Dania qui repulisse dicitur patrem visitatorem suum et eo anno quo debuit, non venit ad Capitulum generale, de Esron et de Tuta valle abbatibus committitur, etc., ut supra.

71. Super querela abbatum venientium ad Capitulum generale quod male provideatur eis in grangiis Reyniaci [5], committitur abbati Claraevallis quod ipse monachos et conversos quos culpabiles in hoc invenerit, puniat prout in diffinitionibus continetur, et ipse abbas veniam petat super hoc in Capitulo generali proximo subsequenti. Abbas Claraevallis hoc ei praecipiat.

72. Inspectio loci ad quem petit transferri abbatiam suam abbas Francarum vallium, de Fonte frigido, de Valle magna abba-

---

1) Buckfasta. 2) Bindon. 3) Bethania. 4) Berdona. 5) Rigniacum.

tibus committitur, etc., ut supra, et ad dioecesanum accedant rogantes eum ut dicto abbati se exhibeat favorabilem et benignum.

73. Incorporatio monasterii de Cozomiz, de Gronhim [1] et de Sara [2] abbatibus committitur, etc., eum Ordini in perpetuum includendo et sit filia de Gradis [3].

74. Inspectio monasterii de Kirkem [4], de Retenhasale [5] et de Speciosa valle abbatibus committitur, et sit filia domus de Caesarea.

75. Abbati Bonifontis in Gasconia praecipitur auctoritate Capituli generalis quod ubicumque equos et alia bona de Riveto poterit invenire teneat, et proprio monasterio restituti faciat, et ad hoc det operam efficacem.

76. Auctoritate Capituli generalis committitur abbati Aceij [a] quod cum ad partes Hungariae venerit, magistrum Radulphum cantorem Quinque ecclesiarum ad communionem et obedientiam nostri Ordinis recipiat, eo modo et habitu quo dicto magistro videbitur expedire, et super hoc litteras deferat Capituli generalis.

Nota quod codex Q huic anno 1269 *novem alia statuta inscribit quae fontes alii ad annum* 1270 *ablegant ; ibi ea invenies sub nis* 2, 3, 5, 6, 7, 8, 10, 11, 12. *Item codex V huic anno* 1269 *unum statutum tribuit quod invenies sub n°* 10 *anni sequentis.*

1270

Anno [a] Domini millesimo ducentesimo septuagesimo statuta sunt haec apud Cistercium [b] in Capitulo generali.

1. In primis ad honorem Dei et Ordinis commendabilem unitatem statuit et ordinat Capitulum generale quod diffinitioni anno praeterito factae a Capitulo generali de curiositate vestium, quae sic incipit : Honestati et commoditati Ordinis, hoc addatur

---

76 : *L¹MP¹P¹⁰W.* [a] Aceiz qui : *P¹* ; Aceceii : *M* ; Acceji : *W*.
1270. [a] *Titulus apud P¹V tantum.* [b] tempore Cap. gen. : *P¹*.
1 : *L¹MP¹P¹⁰*.

---

1) Grunhemium. 2) Fons S. Mariae in Saar. 3) Gradicium. 4) Kirchemium. 5) Raitenhaselacum.

quod a multitudine et pretiositate vestium ab omnibus summopere caveatur, et quod omnes abbates et monachi cucullis albis utantur in claustris uniformiter de cetero per Ordinem universum.

2. Item, super excusatione abbatum, qui se excusant per litteras a [a] veniendo ad Capitulum generale, statuit idem Capitulum quod duo abbates in prima sessione Capituli ab abbate Cistercii assignentur, qui omnes litteras excusatorias [b] recipiant, examinent et conscribant in rotulo nomina singulorum cum causis excusatoriis, prout breviter [c] potuerint, et scriptum rotulum Diffinitoribus, cum primo sederint, repraesentent.

3. Item, diffinitio olim edita a Capitulo generali distinctione decima, capitulo vigesimo, quae sic incipit : Mulieribus omnino [a], etc. observetur inviolabiliter melius solito per domos Ordinis universi. Diffinitioni [b] vero de esu carnium in abbatiis editae distinctione decima tertia, capitulo tertio, quae sic incipit : Episcopis et [c] aliis, etc. hoc additur quod abbates qui in domibus carnes ministraverint saecularibus vel fecerint ministrari, veniam inde petant in sequenti Capitulo generali ; reliqui vero, tam officiales quam monachi vel conversi, qui carnes saecularibus ministraverint, omni sexta feria sint in pane et aqua usque ad sequens Capitulum generale praeterquam in hospitio pauperum et [d] infirmorum, exceptis personis in abbatiis assidue commorantibus, si eis ab abbate et conventu carnes comedere extra terminos sit indultum.

4. Item, diffinitionem factam anno praeterito de missis et orationibus iniungendis per annos singulos in domibus Ordinis universi, pro abbatibus et personis Ordinis eo anno defunctis, generale Capitulum revocat in praesenti.

5. Item, districtius inhibetur a Capitulo generali ne aliqua [a] persona Ordinis ad preces cuiuscumque litteras continentes petitiones historiarum et anniversariorum festorum vel missarum procuret, portet, vel deportari [b] faciat ad Capitulum generale. Qui vero [c] portaverit [d], vel fecerit deportari [e], tribus diebus sit in levi culpa uno eorum in pane et aqua. Patres autem abbates

---

2 : *L¹MP¹P¹⁰Q.* [a] de : *Q.* [b] excusationis : *L¹.* [c] brevius poterunt : *Q.* **3** : *L¹MP¹P¹⁰QV.* [a] omnibus : *Q.* [b] *hic incip. V.* [c] vel : *Q.* [d] et : *apud Q tant.* **4** : *L¹MP¹P¹⁰.* **5** : *L¹MP¹P¹⁰QV.* [a] qua : *L¹MP¹P¹⁰Q.* [b] presentari : *V.* [c] qui vero contrarium fecerit tribus... : *V.* [d] procuraverit : *Q.* [e] portari : *M.*

inquirant diligenter in visitationibus filiarum, et si invenerint historias [f], missas, vel anniversaria, seu festa per abbatem procurata a generali Capitulo sine assensu [g] conventuum, huiusmodi missas, historias, anniversaria, seu festa, irritum ducant [h] et inane.

6. Item, cum sanctissimus pater noster et dominus bonae memoriae Clemens papa IV nobis in scriptis suis reliquerit propter Ordinis honestatem, quod nulli personae nostri Ordinis numquam plus quam duo fercula piscium ministrentur, inhibens, ne quis praesumat de pluribus, si forte fuerit ministratum ; Capitulum generale transgressoribus [a] huius constitutionis tam sanctae quam [b] necessariae cupiens obviare, praecipit quod abbates transgressores huius inhibitionis, tam ministrantes quam praesumentes de huiusmodi ministratis, veniam petant in Capitulo generali, ad praesidentis arbitrium puniendi. Monachi vero qui ministraverint et conversi, pro qualibet transgressione, una die panis et aquae poenitentiam sustineant [c].

7. Item, verbum illud quod frequenter [a] in diffinitionibus continetur [b] : Qui fecerit hoc vel illud [c], ipso facto sciat se depositum, vel sit depositus, taliter modificat [d] et temperat Capitulum generale, quod quilibet abbas pro vero abbate semper ab omnibus habeatur, donec a patre [e] abbate, vel ab eo cui vices suas commiserit [f] seu auctoritate Capituli generalis fuerit depositus nunciatus. Tenebitur autem pater abbas, vel ille cui vices suas commiserit, nunciationem [g] huiusmodi depositionis Capitulo generali per se vel per suas litteras intimare [h], prout est de depositionibus constitutum [i]. Monachi vero vel conversi [j] qui contra statutum tam necessarium et honestum [k] aliquid fecerint, conspiratorum sententiae subiaceant [l] in instanti.

8. Item, diffinitioni olim editae de emptione et venditione, distinctione decima secunda [a] capitulo quarto [b], quae sic incipit : Si in aliqua Ordinis nostri domo vinum, etc. hoc additur quod mulieres et lusores nullatenus admittantur. Transgressores [c] vero diffinitionis tam commodae quam honestae ad do-

---

[f] *deest V.* [g] consensu : *L*¹*P*¹. [h] determinat : *M.* **6** : *L*¹*MP*¹*P*¹⁰*Q.* [a] transgressioni : *M.* [b] tam : *Q.* [c] sustinebunt : *PM*¹⁰. **7** : *L*¹*MP*¹*P*¹⁰*QV.* [a] saepe : *V.* [b] invenitur : *V.* [c] sit depositus : *V.* [d] *deest Q.* [e] proprio : *L*¹. [f] commisit : *M.* [g] denuntiationem : *L*¹. [h] informare : *M.* [i] statutum : *V.* [j] *deest Q.* [k] *deest V.* [l] subiacebunt : *V qui sic desin.* **8** : *L*¹*MP*¹*P*¹⁰*QV.* [a] decima tertia : *L*¹*MP*¹*P*¹*Q.* [b] vigesimo tertio : *L*¹*MP*¹⁰ ; tertio decimo : *P*¹ ; tertio : *Q.* [c] ad domum : *V.*

mum propriam revocentur, et pro qualibet transgressione tribus diebus poenam sustineant levis culpae, uno eorum in pane et aqua. Nec emat aliqua persona Ordinis vinum, ut carius vendatur[d], nec praesumat aliqua persona Ordinis domum conducere, et in ipsa faciat vinum vendi[e], maxime in Parisiensi civitate, in qua fons et excellentia[f] clericalis scientiae residet et regiae potestatis, ne speculum famosi nostri Ordinis in tantorum oculis aliqua macula deformetur.

9. Quaestionem propositam auribus Capituli generalis, quid importat quando interdicitur gradus altaris ascensio ob causam aliquam ab abbatibus, et in quam poenam incidant transgressores huiusmodi, sic intelligit Capitulum generale quod transgressores huiusmodi qui se divinis ingesserint, suspensionis incurrant sententiam ipso facto.

10. Item, abbates et monachi tam directi in via quam in grangiis vel cellariis commorantes, observent communia ieiunia prout in nostra regula continetur, nec liceat alicui praelato Ordinis super hoc aliquatenus dispensare, nisi in locis et casibus ab Ordine approbatis.

11. Item, cum contineatur in Usibus quod paschalis cereus quantitatem trium librarum panis regularis non excedat, sic intelligit[a] Capitulum generale quod idem paschalis cereus quantitatem decem librarum ad pondus Trecense ullatenus non excedat, nec accendantur tortitia vel cerei in elevatione hostiae salutaris, nec plura luminaria circa altaria in solemnitatibus accendantur, nisi secundum quod continetur in diffinitionibus distinctionis primae, capitulo nono, quae sic incipit : Cruces pictas[b], etc. Abbas[c] vero in cuius domo secus praesumptum fuerit, veniam petat super hoc in Capitulo generali[d].

12. Item, volens generale Capitulum periculis debitorum[a] obviare, inhibet omnibus officialibus[b], monachis vel conversis, ne aliquod mutuum contrahant sive tradant sine abbatis sui licentia speciali. Qui autem contravenerint, proprietariorum et furum poenam[c] et poenitentiam sustinebunt. Nec ponat se aliquis

---

[d] revendatur : *L¹MV*. [e] *hic desin. V*. [f] totius : *Q*. **9** : *L¹MP¹P¹⁰*. **10-11** : *L¹MP¹P¹⁰QV*. [a] et vult intelligi : *Q*. [b] Orationis pietas : *M* ; Cruces picturas : *Q*. [c] Abbates... quorum domibus preceptum : *Q*. [d] *brevius apud V* : Item statuitur ut cereus paschalis quantitatem 10 libr. cere ad pondus trecense non excedet. **12** : *L¹MP¹P¹⁰QV*. [a] delictorum : *Q*. [b] *deest V*.

abbas obsidem pro persona aliqua Ordinis nostri [d], vel etiam saeculari; quamdiu vero abbas aliquis obses [e] fuerit, non nisi panem et aquam comedat et ieiunet.

13. Nomina et aetates abbatiarum quae non sunt scripta in tabula Cistercii [a] anno sequenti ad Capitulum generale deferantur, et cantori Cistercii praesententur.

14. Ad petitionem venerabilium patrum nostrorum et dominorum et Ordinis defensorum domini Ioannis Portuensis et Sanctae Rufinae episcopi cardinalis, et domini Guidonis titulo Sancti Laurentii in Lucina presbyteri cardinalis, districte inhibetur a Capitulo generali, ne aliqua persona Ordinis saecularibus principibus vel dominis de cetero concedatur, praecipue cum multa mala provenire per huiusmodi concessiones dignoscantur.

15. Item, abbatum de Portugallia, de Gallicia [a], de Legione, de Navarra et Catalonia [b] volens laboribus et expensis prae locorum distantia parcere generale Capitulum statuit, ut abbates de Portugallia et de Gallicia [a] anno quarto, de Legione et Castella tertio, de Aragonia, Navarra et Catalonia [b] anno secundo ad Capitulum generale venire deinceps teneantur.

16. Statuit et ordinat Capitulum generale quod diffinitio facta anno praeterito de abbate Sacraecellae [a], sed neglecta [b], iterum scribatur, et ab omnibus observetur. Abbas Sacraecellae [a], qui de causa sibi commissa hoc anno a Capitulo generali neglexit quid inde actum [c] sit praedicto Capitulo nuntiare, prout continentur in distinctione quinta [d], capitulo vigesimo tertio, viginti diebus sit extra stallum abbatis in choro suo, vel etiam alieno [e], prout continetur dist. eadem cap. vigesimo circa finem, et super hoc veniam petat sequenti Capitulo generali. Eamdem poenam sustineant de cetero abbates qui, de causis sibi commissis a generali Capitulo, renuntiare neglexerunt quid inde actum [f] sit generali Capitulo proximo subsequenti.

17. Item, ad petitionem domini Metensis electi inhibetur personis Ordinis universi ne contra Metensem ecclesiam pro magnatibus ministeriales se constituant seu ballivos.

---

[c] *deest V.* [d] nostri... etiam : *deest V.* [e] obsesses : *P*[10]. **13** *L*[1]*MP*[1]*P*[10]*Q*. [a] *deest Q.* **14** : *L*[1]*MP*[1]*P*[10]*Q*. **15** : *L*[1]*MP*[1]*P*[10]*Q*. [a] Galecia : *L*[1]*P*[1]*P*[10]; Galacia : *Q*. [b] Catalaunia : *M*; Catholonia : *Q*. **16** : *L*[1]*MP*[1]*P*[10]*Q*. [a] Sacretiae : *L*[1]*P*[1]*P*[10]; Secretie : *Q*. [b] *deest Q.* [c] auctum : *Q*. [d] secunda : *M*. [e] etc., ut anno praeterito scripta est : *L*[1]*MP*[10] *qui sic desin.* [f] auctum : *Q*. **17** : *P*[1]*Q*.

18. Item, anniversarium reginae Berengariae et quorumdam sibi adiunctorum fiat secundum quod hactenus fieri consuevit.

19. Item, cupiens Capitulum generale super interdicto domus de Esterbac [a] [1] apponere remedium aliquod et levamen [b], de Claustro [2] et de Loco Sanctae Mariae abbatibus duxit provide committendum, quod vocatis mercatoribus quibus tenetur solvere domus dicta, inducant eos et provocent amicabiliter [c], et si de ipsorum processerit [d] voluntate, abbatem et officiales alios in dicta domo instituant, et revocent sententiam interdicti, et de solutione facienda mercatoribus ordinent, si potest fieri, prout commodius viderint expedire.

20. Item, super causa abbatis de Deloucresse [3] contra abbatem de Croskendene [4] perpetuum silentium imponitur a Capitulo generali, partibus inhibendo ne pars altera parti alteri ob dictam causam petere possit aliquid nec quicquam reddere teneatur.

21. Item, super debito quo tenetur domus Clariloci abbati Villarii prope Metin et super fideiussione abbatum Belli prati et de Bethania qui se fideiussores pro dicto debito statuerunt, de Novo castro et de Starcibernensi [5] abbatibus committitur in plenaria Ordinis potestate, qui sine strepitu debitorem vel fideiussores compellant ad dicti debiti solutionem plenariam faciendam.

22. Item, unionem factam de abbatia Sancti Salvatoris et de Oliva anno praeterito per generale Capitulum approbatam, sic intelligi vult idem Capitulum generale, quod in loco Sancti Salvatoris divina continue [a] celebrentur propter sepulturam nobilium et aliorum Christi fidelium, quorum corpora in dicti loci cimeterio sunt sepulta, et sit membrum proprium de Oliva.

23. Item, abbati et conventui Francarum Vallium indulgetur a Capitulo generali, propter intemperiem aeris et alia multa incommoda quae in dicta domo aestivo tempore noscuntur personis ibi habitantibus imminere, quod liceat eisdem de cetero a kalendis maii usque ad kalendas octobris in grangia sua de Campaniolis habitare et ordinem in omnibus sicut in domo Francarum Vallium observare, maxime cum in dicta grangia

---

18 : P^1. **19** : MP^1. [a] Estrebath : *M.* [b] *deest M.* [c] *deest M.* [d] processit : *M.* **20-21** : P^1. **22** : $L^1MP^1P^{10}$. [a] Quotidie : *M.* **23-25** : P^1.

---

[1]) Heisterbach seu Vallis S. Petri. [2]) Alias Hemmenrodium. [3]) Dieulacresium. [4]) Vallis S. Mariae de Crokesden. [5]) Sturzelbrunna.

iam sit ecclesia et cimeterium ab antiquo, proviso ut, quamdiu conventus in dicta grangia residebit, domus Francarum Vallium sub honesta custodia teneatur ; a kalendis autem octobris usque ad kalendas maii subsequentes conventus ad domum propriam redeat et moretur.

24. Item, processus seu promissum factum a fratre Ulrico quondam abbate de Aurora monialibus Fontis Sanctae Mariae, tunc filiabus suis, de separatione ipsarum ab Ordinis unitate occasione papalium litterarum, generale Capitulum denuntiat irritum et inane. Sententias vero depositionis et excommunicationis ab eodem abbate latas postea in abbatissam et alias officiales propter ipsarum inobedientiam, contumaciam et rebellionem, idem generale Capitulum approbat et confirmat ; electionem et institutionem abbatissae subsequentis per abbatem de Aurora qui nunc est, similiter confirmando. Committitur autem dictum negotium de Lucelay [1] et de Altochristo [2] abbatibus in plenaria Ordinis potestate auctoritate Capituli generalis qui tam abbatissam depositam quam sibi complices benigne recipiant in dicta domo si redire voluerint ad Ordinis unitatem, et absolvant eas a sententia excommunicationis ; si vero obedire noluerint, in ipsas animadvertant secundum statuta Ordinis auctoritate dicti Capituli invocantes auxilium et patrocinium tam episcoporum quam et saecularium dominorum, et scribatur super hoc a Capitulo Constantiensi et Lausaniensi episcopis, et domino comiti in cuius dominio dictum monasterium est fundatum.

25. Item, patri abbati de Ebrebach [3] committitur auctoritate Capituli generalis ut diligenter inquirat de incarceratione conversi qui abbatem proprium interfecit, et detineri eum faciat secundum quod viderit expedire, et si abbas de Ebrebach viginti conversos recepit, prout eidem fuit a Capitulo generali imperatum, ulterius in dicta domo, nisi de speciali licentia generalis Capituli, conversos recipere non permittat.

26. Item, gratiae factae domino Cistercii de retinendis viginti[a] abbatibus a Capitulo generali, idem dominus Cistercii renuntiat spontanea et libera voluntate.

27. De abbate Vallis clarae qui in conventu abbatum verba

26 : $L^1MP^1P^{10}$. [a] Quadraginta : L^1P^1 ; sexaginta : P^{10}. **27** : $L^1MP^1P^{10}$.

1) Lucella. 2) Altacrista. 3) Eberbacum.

contumeliosa et iracundiae publice protulit contra dominum Cistercii venerabilem patrem nostrum, praecipit Capitulum generale quod ipse quadraginta[a] diebus sit extra stallum abbatis, sex diebus in levi culpa, duobus[b] eorum in pane et aqua, et hac feria tertia in Cistercio maneat extra stallum abbatis, et poenitentiam incipiat levis culpae.

28. Item, determinatio causae quae hactenus vertebatur inter abbatem de Bodelo et abbatissam de Boscho[1], de Claravalle et de Capella abbatibus committitur in plenaria Ordinis potestate pace vel iudicio terminanda, et faciant de dicta causa quod eis rationabiliter videbitur expedire, ita quod dictae causae mentio de cetero non tinniat auribus generalis Capituli, compellendo partes auctoritate dicta Capituli ad latas sententias iudicii seu pacis immobiliter observandas.

29. Cum rumor validus propulsaverit aures Capituli generalis de quibusdam abbatibus Hyberniae qui, tam hoc anno quam annis aliis quibus venire debuerant ad generale Capitulum, non venerunt, patribus abbatibus committitur a Capitulo generali et iniungitur in virtute obedientiae quod ipsi diligenter inquirant de clamore huiusmodi, et eos quos reos invenerint, puniant in instanti secundum statutum Capituli generalis. Illos vero, qui noviter sunt creati, venire faciant ad istud sequens generale Capitulum, omnis excusationis taedio propulsato. De abbate vero de Sada[1], qui dicitur per viginti annos a generali Capitulo remansisse, patri suo abbati Mellifontis committitur, quod si hoc verum invenerit, ipsum in instanti deponere non omittat, et annis incorporationis dictae domus et dies sequenti anno ad generale Capitulum deferatur, et in tabula cum abbatiis reliquis annotetur. Abbas de Kyrie eleyson hoc ei denuntiet.

30. Abbas Fossae novae qui abbatiam Insulae Pontianae temeritate propria invasit, et ibidem, spreto iure nostri Ordinis, visitavit, deponitur in instanti. Abbas vero Insulae Pontianae qui dictum abbatem ad dictam domum adduxit et ipsum pro visitatore recepit, licet iam sit depositus, ultimus tamen erit omnium et ineligibilis permanebit, nisi cum eo super hoc a generali Capitulo dispensetur. Abbas de Palaceolis hoc ei denuntiet.

[a] sexaginta : *P*1. [b] uno : *M*. **28-61** : *P*1.

1) Novus Boscus. 2) Shrule, seu Benedictio Dei.

31. Cum clamor insuetus auribus insonuerit Capituli generalis de uno membro nobili Ordinis videlicet de domo Prulliaci, de qua nescitur quomodo vel per cuius incuriam, negligentiam seu insipientiam corruerit, et ad tantam pervenerit paupertatem, de Cistercio, de Pontiniaco et de Maceriis abbatibus committitur a Capitulo generali ut ad dictam domum Prulliaci personaliter accedentes in plenitudine potestatis, tam in capite quam in membris diligenter inquirant per cuius negligentiam vel defectum acciderit, et sive per depositionem abbatis vel officialium, per eiectionem vel per conventus dispersionem succurrant domui et faciant quod viderint expedire, non expectata ulterius licentia Capituli generalis, etc., et quid inde, etc.

32. Item, super iniuria facta monacho de Insula Pontiana, et super iniuriis illatis tam abbati quam monachis et conversis Sancti Anastasii et etiam Fossae novae, de Casteneola et de Monte Amiato abbatibus committitur auctoritate Capituli generalis, ut ad locum personaliter accedentes inquisitione habita diligenti faciant emendari hinc inde prout viderint expedire.

33. Abbatibus Daniae praecipitur a Capitulo generali quod sententias latas a venerabili patre et domino Guidone tituli Sancti Laurentii in Lucina presbytero cardinali, Apostolicae Sedis legato, conservent per omnia, salvo iure privilegiorum et indulgentiarum nobis a Sede Apostolica concessorum. Abbas de Esrom hoc eis denuntiet.

34. Super inquisitione facta super abbatem Vallis Beatae Mariae, cum [abbas] Curiae Dei reprehensibilis in aliquibus sit repertus, statuitur ut idem abbas viginti diebus sit extra stallum abbatis in choro proprio vel alieno.

35. Querela quae inter abbatem et conventum Fossae novae, et abbatem et conventum Casemarii vertitur, de consensu partium de Sancto Galgano et de Sancto Martino abbatibus committitur auctoritate Capituli generalis in plenaria Ordinis potestate, qui, processu priorum iudicum diligenter examinato, finaliter hoc anno terminent dictam causam, facientes quae decreverint auctoritate praedicta a partibus irrefragabiliter observari.

36. Querela abbatis de Sancto Prudentio contra abbatissam de Hers [1], de Berola et de Yrantio [2] committitur abbatibus in plenaria Ordinis potestate, etc.

---

1) Cf. supra ann. 1267, nº 80; 1268, nº 57. 2) Irancium.

37. Iudicibus datis a Capitulo super querela abbatis de Deloucresse[1] contra abbatem de Wlt^er[2] praecipitur ut sententiam latam faciant firmiter observari.

38. Querela abbatis de Rubeto[3] contra fratrem Garsilium monachum de Berdonis, antecessorem suum, qui dictam domum de Rubeto graviter dicitur obligasse, de Florano et de Feseya[4] abbatibus committitur auctoritate Capituli generalis, ut dictum monachum ad domum de Rubeto vocent, et inquirant qualiter dicta domus obligata fuerit, et tractent cum praefato qualiter ipsa domus ab onere debitorum possit liberari.

39. Querela Iacobi de Bestet civis Metensis contra abbates de Bello prato et de Claro loco, de Villario et de Loco crescente abbatibus committitur in plenaria Ordinis potestate, etc.

40. Querela Godefridi dicti de Hambruel contra abbatem Vallis Sancti Lamberti Leodiensis dioecesis, qui confessus est coram Diffinitoribus quod XIX testes et IV sententias habuit contra se, sic diffinitur ut de cetero nec vexet iudices a Capitulo sibi traditos, nec de cetero pro hac causa adiiciat reverti ad Capitulum generale.

41. Querela Valteri dicti Beket et Ioannis socii sui contra abbates de Dundrenay[5] et de Parco Lude, de Fontanis[6] et Rievallis abbatibus committitur, etc., ut supra.

42. Querela abbatis de Monte ramoso contra abbatem Vallis Paradisi, de Morelole[7] et de Spina abbatibus committitur, etc., ut supra.

43. Querela abbatis de Alcubacia contra abbatem de Sazeda[8], de Oia et de Melone abbatibus committitur, etc.

44. Querela abbatis de Stanleia contra abbatem de Burdelee[9] et Flaxeiae[10], de Vardona[11] et de Carreria[12] abbatibus committitur, etc.

45. Item, cum super depositionibus abbatum de Mataplana, de Palatiolis et de Rivo sicco, quos pater abbas Vallis bonae iniuste deposuisse dicitur a plurimis abbatibus Hyspaniae, clamosa facta fuit insinuatio, de Sacramoenia et de Buxeto abbatibus praecipitur auctoritate Capituli generalis, ut ad dicta monasteria personaliter accedentes, causas depositionis et modos processus in

---

1) Dieulacresium. 2) Cf. supra nº 20 ; ann. 1268, nº 65. 3) Rivetum. 4) Faisia. 5) Dundrainam. 6) Fontes in Anglia. 7) Moreruela. 8) Salçeda. 9) Bordesleya. 10) Flexleya. 11) Wardona. 12) Quarraria.

depositionibus abbatum valde praecipites, etiam personarum eiectionibus, diligenter inquirant, et anno sequenti referant Capitulo generali.

46. Depositio seu cessio abbatis de Burdelle [1] facta vel inducta per abbatem de Grade [2], de Neth et de Dora abbatibus committitur, etc., ut supra.

47. Abbas de Favali [3] qui abbatem de Cliento, filium Claraevallis, iniuste deposuit nec depositionis processum modo debito generali Capitulo renuntians, sicut in processu depositionis qualicumque per Diffinitores diligenter examinato, patuit quod erratum est in modo et in ordine depositionis, et iniuste deponens merito talionem recipere mereatur, deponitur in instanti. Abbas vero de Cliento iniuste depositus, eo amoto qui sibi successerat, in locum suum restituatur auctoritate Capituli generalis, nec abbati de Favali deposito in Cliento liceat profiteri. Abbas de Monte acuto restitutionis huius sit exsecutor.

48. Abbas de Busfestia [4] qui latam a iudicibus datis a generali Capitulo sententiam contemnere non erubuit, quadraginta diebus pro contemptu sit extra stallum abbatis in domo propria vel aliena, et nihilominus ipsi iudices usque ad condignam satisfactionem in ipsum auctoritate Capituli generalis animadvertere non omittant.

49. Item, praecipitur abbati Miraevallis auctoritate Capituli generalis, ut sententiae latae in ipsum a iudicibus datis a Capitulo generali parere non omittat, alioquin quamdiu parere contempserit stallum abbatis ubicumque fuerit, intrare non praesumat.

50. Petitio venerabilis patris et domini Dei gratia Pragensis episcopi de duabus missis de cetero celebrandis in domibus nostri Ordinis in festo beatae Katharinae, virginis et martyris, per suam dioecesim, exauditur.

51. Petitio abbatis Vallis Sancti Lamberti, qui petit fieri festum sancti Servatii cum XII lectionibus et duabus missis in domo propria, exauditur.

52. Petitio regis Navarrae de tribus missis quotidanis pro ipso celebrandis in Claravalle exauditur.

53. Petitio abbatis Sanctae Coronae, qui petit fieri festum Sanctae Coronae in domo propria, exauditur.

---

1) Cf. nº 44. 2) Garendon, Geroldonia. 3) S. Benedictus de Monte Favali. 4) Buckfasta.

54. Petitio abbatum de Frisia de faciendo festo Sanctae Coronae in Frisia, et una missa de Sancta Cruce pro peregrinis Terrae Sanctae in qualibet abbatia Ordinis in Frisia, exauditur.

55. Petitio abbatis de Delacresse [1] de faciendo festo sancti Eduardi in domo propria exauditur, si de conventus processerit voluntate.

56. Petitio abbatis de Crista, qui pro domino rege Navarrae quotidianam ad vitam suam petit missam de Beata Virgine, et post eius obitum pro defunctis in domo propria, exauditur.

57. Petitio abbatis de Pratea, qui petit unam missam de Spiritu Sancto pro domino Castri Radulphi ad vitam suam et post eius obitum pro defunctis, exauditur.

58. Petitio abbatis de Aceyo, qui petit fieri anniversarium pro domina de Pesmes iam defuncta, in domo propria, exauditur.

59. Petitio abbatis de Charmeia, qui petit pro domino rege Navarrae unam missam quotidianam in domo propria, exauditur.

60. Petitio abbatis Dulcis Vallis, qui petit pro domino rege Navarrae unam missam quotidianam de Beata Virgine in domo propria, exauditur.

61. Petitio abbatum Santonensis dioecesis, de faciendo festo beati Eutropii in abbatiis propriis cum XII lectionibus, exauditur.

62. Petitio abbatis Sancti Anastasii, qui petit deinceps recipi novitios in Narrabona filia propter raritatem monachorum, exauditur.

63. Petitio episcopi Lactorensis [a] [2] de habendo secum uno converso de Flarano, dummodo honestis occupetur officiis, exauditur.

64. Petitio abbatis de Stanleia in Ardena, de faciendo anniversario Henrici dicti Pipar in domo propria, exauditur.

65. Petitio abbatis Bonae cumbae, de faciendo anniversario pro Willelmo de Cadulam in domo propria, exauditur.

66. Petitio abbatis Aquae bellae, de faciendo anniversario pro Ademaro de Pictavia in domo propria, exauditur.

67. Ad petitionem reverendorum patrum domini Portuensis et domini Guidonis cardinalium indulgetur abbati Vallis salutis ut semel remaneat a Capitulo generali. Hoc idem de Sancto

---

62 : *$L^1P^1P^{10}$*. **63** : *$L^1P^1P^{10}$*. [a] Lathorensis : *P^1P^{10}*. **64-73** : *P^1*.

---

[1]) Dieulacresium. [2]) Lectorensis.

Thoma iuxta Venetiam, de Flureia [1], de Valle viridi, de Scala Dei, de Bella landa, de Florano et de Petra abbatibus indulgetur.

68. Item, de Sebedone [2] et de Ruffort abbatibus indulgetur ut semel ea vice, qua venire tenentur ad Capitulum, semel remaneant auctoritate Capituli generalis.

69. Inspectio abbatiae Vallis Sanctae Mariae monialium quam petit incorporari Ordini rex Bohemiae, de Gradis [3] et de Sara [4] abbatibus committitur auctoritate Capituli generalis, ut ad loca personaliter accedentes, possessiones et proventus ipsius monasterii, si sufficerint, inspiciant, et dictante conscientia ipsam incorporent, si viderint expedire, non expectata ulterius licentia Capituli generalis, et sit filia de Villagrade [5]. Abbas de Cedeliz [6] hoc eis denuntiet.

70. Inspectio loci in quo intendit fundare abbatiam monachorum comes Palatinus, de Bocham [7] et de Archis [8] abbatibus committitur auctoritate Capituli generalis, qui ad locum personaliter accedentes, pensatis omnibus quae secundum Deum et Ordinem sunt pensanda, illuc conventum introducant, si viderint expedire, non expectata ulterius licentia Capituli generalis, et sit filia de Pelis [9].

71. Inspectio loci in quo intendit fundare abbatiam monachorum relicta domini Ioannis de Bailos, de Furnesio et de Rievalle abbatibus committitur auctoritate Capituli generalis, ut ad locum, etc., ut supra.

72. Inspectio loci in quo intendit fundare abbatiam monachorum Ottho comes de Orelemunde, de Walvase [10] et de Brunebal [11] abbatibus committitur, etc.

73. Inspectio abbatiae ad quam transferri petit conventum Vallis Sanctae Mariae dominus archiepiscopus Bremensis, de Veteri Monte et de Valle abbatibus committitur, etc., ut supra.

74. Item, super negotio domus Calatraviae scribatur illustri regi Hispaniae, et magistro Calatraviae, et dictet abbas Morimundi litteram super [a] negotio praedicto.

75. Ad petitionem illustris reginae Franciae pro illustrissimo domino Ludovico rege Franciae marito eius, et pro ipsa domina

---

74 : *L¹MP¹P¹⁰*. [a] supra : *P¹P¹⁰*. **75-76** : *P¹*.

---

1) Flexleya. 2) Sibetona. 3) Gradicium. 4) Fons S. Mariae in Saar.
5) Welehradum. 6) Sedlecium. 7) Curc in Bokan, seu Zircium.
8) Erchi. 9) Pilisium. 10) Waldsassum. 11) Brunnbacum.

regina et liberis eorum, et pro illustribus rege Navarrae, rege Angliae, rege Arragonum, et omnibus aliis nobilibus et vasallis, et aliis cruce signatis, qui corpora sua exposuerunt periculis et laboribus pro liberatione Terrae quam Iesus Christus proprio sanguine consecravit, statuit et ordinat Capitulum generale quod prima die mensis cuiuslibet fiat processio finito capitulo ad ecclesiam a conventu, decantando Responsorium *Aspice Domine*, stando ante maius altare cum versu et repetitione, et dicatur ab eo qui conventum tenuerit versus *Exurgat Deus*, collecta *Ineffabilem*, et per totum regnum Franciae dicatur collecta : *famulum tuum regem nostrum*, etc. Orationes vero : *Deus venerunt* in missa, VII psalmi cum processione et litania sexta feria, et *Salve Regina* post Completorium ab omnibus, tam in choro quam exterius, continuentur usque ad sequens Capitulum generale.

Si vero prima dies mensis sexta feria evenerit, vel festum in quo fit sermo in capitulo, dicta processio die sequenti fiat, eo modo quo superius est notatum.

76. Item, pro domina Isabella sorore illustris regis Franciae iam defuncta, ab universis personis Ordinis plenarium servitium persolvatur, et fiat de cetero eius anniversarium solemniter in conventu per universum Ordinem VII° kalendas martii, sicut eidem dominae olim promissum fuit per litteras Capituli generalis.

1271

Anno [a] Domini millesimo ducentesimo septuagesimo primo statuta sunt haec apud Cistercium [b] in Capitulo generali [c].

1. In primis cum per generale Capitulum anno praeterito fuerit diffinitum, ut nullus abbas vel monachus infra claustra monasterii cucullis buris, vel griseis [a] uteretur, quoniam hoc non potest in locis singulis nostri Ordinis observari, maxime cum secundum regulam nullus de colore vel qualitate vestium conqueri debeat vel causari, ordinate permittit [b] Capitulum generale, ut

1271. [a] *Titulus apud* $P^1P^{10}QV$ *tantum.* [b] tempore Cap. gen. : *V*. [c] *apud* L^1 *legitur in margina* : Gregorio X papa ; *apud* P^{10} : Gregorio X papa, Ioanne I abbate Cist. 25. **1** : $L^1MP^1P^{10}$. [a] grisis : L^1 ; grissis : P^1P^{10}. [b] dictum : P^1.

in omnibus aliis locis praeterquam in choro, nocturnis horis tam abbates qua monachi cucullis buris et griseis [a] possint uti, secundum quod commodius potuerit procurari; diffinitionibus [c] super hoc editis penitus revocatis.

2. Item, quaestionem propositam anno praeterito quid importet [a] quando interdicitur monachis et [b] abbatibus gradus altaris ascensio ob causam aliquam, et in quam poenam incidant transgressores, sic intelligit Capitulum generale, quod transgressores huiusmodi qui se divinis ingesserint poenam inobedientiae incurrunt, quam interpretatur Capitulum generale ut tribus diebus poenitentiam peragant levis culpae [c], diffinitione super hoc anno praeterito penitus revocata.

3. Item, diffinitioni olim editae anno Domini MCCLXIII, quae sic incipit: Cum contra ordinis [a] fugitivos, etc., et diffinitioni anno MCCLXVI quae sic incipit: Cum per apostasiam monachorum, etc., hoc additur quod si recipiendi fuerint fugitivi recipiantur ad victum, et habitum quem abbas suus decreverit, et per annum comedant ad terram in refectorio [b], et si fuerit conversus, radatur ei barba in rasuris consuetis; si vero monachus fuerit in anno tantummodo barbam radat [c].

4. Item, diffinitioni olim editae de ingressu monachorum in Cistercium tempore Capituli generalis, distinctione quinta, diffinitione [a] octava [b] quae sic incipit: Nullus, etc., hoc additur quod nullus monachus ingrediatur Cistercium tempore Capituli generalis, nec aliquis abbas [c] pro aliquo introducendo de cetero intercedat.

5. Item [a], cum quaestio taediosa super visitationibus abbatiarum Hiberniae frequenter aures Capituli generalis pulsaverit, cum visitatores earum ultra triduum continuum contra formam Clementinae visitationes suas protelare [b] audeant, et extra abbatias in civitatibus et in castris [c] visitationes quoque [d] celebrent, auctoritate qua potest prohibet Capitulum generale dictis visi-

---

[c] *deest M.* **2**: *$L^1MP^1P^{10}QV$.* [a] importat: *Q.* [b] ab: *Q.* [c] *hic desin. V.* **3**: *$L^1MP^1P^{10}QV$.* [a] ordinem: *M.* [b] *hic desin. QV.* [c] *brevius apud V*: De apostatis additur ad alias penas prius positas quod si recipiendii... **4**: *$L^1MP^1P^{10}Q$.* [a] distinct.: *Q.* [b] tertia: *M.* [c] *deest Q.*

5: *MP^1QT^4VW.* [a] *brevius apud T^4*: Taxantur visitatores Hiberniae, eo quod protelare audeant visitationes ultra triduum continuum contra formam Clementinae. *Brevius etiam apud VW, sublata mentione speciali visitatorum Hiberniae.* [b] protrahere: *M.* [c] dictas: *P^1Q.* [d] quandoque: *P^1.*

tatoribus, ne de cetero praesumant talia attentare, et quicumque extra abbatias visitare praesumpserit, nihil ei penitus ministretur; transgressores viginti diebus sint extra stallum abbatis, et si monachi fuerint, poenitentiam peragant levis culpae, nisi forte causa tam legitima fuerit, quod per ipsam merito possint et debeant excusari.

6. Item, ad repellendam et detestandam praesumptionem temerariam monachorum de Aurea valle emissorum, prohibet Capitulum generale ne ad propriam domum revocentur, nisi de licentia Capituli generalis.

7. Item, quaestionem propositam in Capitulo generali quid sit faciendum si prior, supprior et cellerarius dissenserint in nominationibus electorum [a], sic determinat [b] Capitulum generale quod si unus dissenserit, pater abbas inducat, si potuerit, ut consentiat; et si forte postea convenire [c] noluerit, pater abbas defectum suppleat discordantis [d].

8. Auctoritate Capituli generalis committitur abbati de Alto Christo [1] quod ipse personaliter accedat ad comitissam de Kirborch [2], et procuret qualiter dictum Capitulum habere valeat centum marchas argenti, quod Ordini dedit maritus suus iam defunctus annuatim, et quid inde, etc.

9. Abbati de Mellifonte committitur auctoritate Capituli generalis ut ipse personaliter per se vel per alium abbatem accedat ad abbatias de Geriponte, de Petra fertili, de Fonte vivo in Hybernia, et inquirat diligenter si abbates praedicti remanserunt contra formam Ordinis a Capitulo generali, et si invenerit ita esse, ipsos puniat secundum quod in diffinitionibus continetur, et quid inde, etc.

10. Cum [a] reverendissimus pater, moribus et genere clarissimus dominus Bonifacius, bonae memoriae, quondam archiepiscopus Cantuariensis, Ordinem nostrum semper affectu piissimo tenerrime dilexerit, quamdiu in hac vita permansit, in fine quoque affectum devotissimum, quem in vita habuerat, studuit ostendere per effectum, largas eleemosynas et nostris tem-

---

6 : *P*¹. **7** : *L*¹*MP*¹*P*¹⁰*QV*. [a] electionum : *L*¹*P*¹*P*¹⁰. [b] decernit : *V*. [c] consentire : *V*. [d] dissentientis : *L*¹. **8-9** : *P*¹. **10** : *L*¹*MP*¹*P*¹⁰. [a] *brevius apud M.*

---

1) Altacrista. 2) Friburgum.

poribus inauditas, videlicet decem marchas stellingorum singulis abbatibus in generali Capitulo praesentibus conferendo ; unde volens generale Capitulum ipsius affectioni laudabili sanctissime per orationum sanctarum suffragia respondere, statuit et ordinat ut in singulis abbatiis nostri Ordinis fiat eius anniversarium annuatim XIV° kalendas augusti solemniter in conventu ; ceterum cum plenarium servitium dicto patri anno praeterito concessum fuerit auctoritate Capituli generalis, praecipitur ut omnes sacerdotes qui dictum servitium non solverunt, anno isto solvere teneantur, et singulis annis in rotulo Capituli recitetur.

11. Item, [petitio] G. de Avernis, qui petit quod anniversarium suum fiat cum anniversario comitissae Blesensis uxoris suae, exauditur.

12. Item, petitio illustris regis Franciae de faciendo anniversario pro bonae memoriae Elisabeth uxore sua iam defuncta per universum Ordinem, exauditur, et fiat in vigilia Agnetis secundo.

13. Item, petitio eiusdem domini regis Franciae de faciendo anniversario pro bonae memoriae domino I[oanne] quondam comite Nivernensi iam defuncto, in regno Franciae, exauditur, et fiat in crastino Inventionis sancti Stephani.

14. Petitio illustris dominae reginae Franciae, quae petit habere suum post mortem servitium per universum Ordinem, exauditur.

15. Cum vir illustrissimus dominus rex Hungariae monasterium Lyconiense incorporari Ordini petierit, et ut sit propria filia Cistercii, auctoritate Capituli generalis committitur domino Cistercii ut de inspectoribus seu de conventu vel aliquibus monachis illuc transmittendis faciat quod secundum Deum et Ordinem melius et utilius viderit expedire, non expectata ulterius licentia Capituli generalis, et quid inde, etc., et scribat dicto domino regi serenissimo auctoritate dicti Capituli generalis.

16. Item, cum per defectum pastoris abbatia de Estrebach [1] omnino corruat et ad nihilum redigatur, praecepit generale Capitulum et iniungit abbati de Claustro [2] patri dictae domus ut ad locum per se vel per alium accedens, ibidem abbatem creare non

---

11-62 : *P*¹.

---

[1]) Heisterbach, seu Vallis S. Petri. [2]) Seu Hemmenrodium.

postponat, et faciat modis omnibus prout melius potuerit, quod dictae domus debita creditoribus persolvantur ; cessionem vero abbatis qui immediate praefuit, approbat Capitulum generale et supplet si aliquod defuit in dicta cessione quod debuit adhiberi.

17. Cum fama querulosa ad aures Capituli generalis devenerit super excessibus conversorum Sancti Martini prope Viterbium, qui abbatem proprium violenter cedere compulerunt, de Sancto Anastasio et de Sancto Galgano abbatibus committitur auctoritate Capituli generalis qui ad locum personaliter accedentes, inquirant diligenter veritatem supra dictis excessibus, et super institutione abbatis qui modo est, et faciat, de consilio dominorum cardinalium nostrorum, quae secundum Deum et Ordinem viderint expedire.

18. Auctoritate Capituli generalis praecipitur abbati de Moris quod ipse intra instans festum Omnium Sanctorum, de Tribus Fontibus, de Monasterio in Argona et de Castellione abbates faciat absolvi ad obligatione seu fideiussione qua tenentur pro ipso et monasterio suo in manu Simonis dicti Pugoise civis Verdunensis ; alioquin tam ipse quam prior et cellerarius ex tunc abstineant a divinis et omni sexta feria sint in pane et aqua.

19. Inquisitio super spoliatione abbatis de Cerreto in recessu visitationis filiae suae de Cornu [1], et super interdicto cui supposuit dictus abbas abbatiam praedictam, de Caravalle et de Fonte vivo committitur abbatibus auctoritate Capituli generalis, et quid inde, etc.

20. Ad removendum Ordinis scandalum et praesumptores temerarios a suis praesumptionibus et temeritatibus deterrendum, committit Capitulum generale abbati Sancti Andreae de Sexto ut fugitivos ad civitatem Ianuensem confluentes, redire ad Ordinem vel exire compellant per censuram ecclesiasticam, et faciat compelli prout melius viderit expedire.

21. Super proclamatione facta in Capitulo generali contra abbatem de Alpibus, de Buxeria et de Theoloco abbatibus [committitur] in plenaria Ordinis potestate qui, apud Salinum personaliter accedentes, citent praedictum abbatem ad dictum locum peremptorie in crastinum beati Andreae, et testes a dicto abbate productos et iuratos diligenter examinent, et si ipsum die sibi assignata apud Gebenam causa solutionis faciendae,

---

[1]) S. Stephanus de Cornu.

prout in littera continetur, sufficienter comparuisse non invenerint, in ipsum praesentem vel absentem per sententiam depositionis auctoritate Capituli generalis animadvertere non omittant, et hoc infra proximum Pascha omni dilatione postposita exsequantur.

22. Committitur abbati Saviniaci ut inquirat causam quare filius suus industria remansit a Capitulo generali per quinque annos, et si non fuerit causa legitima iniungat ei poenam in Usibus constitutam.

23. Petitio abbatum de Petrosa et de Boscanio, qui petunt remanere a Capitulo generali, exauditur una vice.

24. Super distantia abbatiarum de Bosco [1], de Biloque [2] et de Axele, committitur abbati Claraevallis qui ad locum personaliter accedat et componat, si potuerit, inter partes ; alioquin procedatur secundum quod ei iniunctum est a Capitulo generali, et similiter faciat cum abbate de Irachinon, Praemonstratensis Ordinis.

25. Item, cessionem fratris Guillelmi quondam de Bordelia [3] abbatis ratam habet Capitulum generale, quod ipse extra stallum abbatis quadraginta diebus et sex dierum levis culpae poenitentia percellatur. Si quam modo excommunicationis sententiam incurrit contrasigillum auferendo, committitur abbati de Hollis [4] auctoritate Capituli generalis, quod possit eum absolvere et dispensare cum eodem.

26. Auctoritate Capituli generalis committitur de Morimundo et de Obazina abbatibus quod, ad domum de Borbona personaliter accedentes, super electione abbatis de Borbona inquirant, et secundum quod invenerint faciant quod secundum Deum et Ordinem viderint expedire ; et si dictus abbas Morimundi personaliter accedere non poterit, alium cum praedicto abbate destinet loco sui, et quid inde, etc.

27. Item, super electione abbatis de Albiniaco, de Stella et de Obazina abbatibus committitur auctoritate Capituli generalis in plenaria Ordinis potestate, qui ad locum personaliter accedentes inquirant super electione dicti abbatis, et si ipsum minus canonice invenerint institutum, auctoritate Capituli generalis faciant super hoc quod secundum Deum et Ordinem decreverint melius faciendum, et quid inde, etc.

---

[1]) Novus boscus. [2]) Alias Portus S. Mariae. [3]) Bordesleya. [4]) Hayles.

28. Auctoritate Capituli generalis committitur fratri Raymundo quondam abbati de Oliva quod ipse, modis omnibus laboret et satagat quod possessiones et iura ad ius et proprietatem ipsius monasterii Sancti Salvatoris [1] spectantia, per viam iudicii, compositionis vel pacis, prout melius potuerit, revocentur, et super hoc scribat regibus Arragoniae et Navarrae.

29. Auctoritate Capituli generalis conceditur abbati Francarum Vallium qui petit quod abbatia sua transferatur ad grangiam, quod locum ad commorandum in aestate et hyeme eligat aptiorem, et ibidem permaneat abbatia prout melius viderit suae domui expedire.

30. Cum de fratre Stephano Mediolanensi quondam monacho et priore de Stapharda, et olim sententiae patris abbatis diligentissima approbatione suis exigentibus culpis in eodem monasterio carceri mancipato, et qui de dictis carceribus aufugit ac in Casali Valuino [2] de summa misericordia est professus, clamatio pervenerit ad generale Capitulum querelosa, quod iste talis factus sit de consilio illustris regis Siciliae et nostri Ordinis infamia, ut a pluribus affirmatur, et ab illis de Stapharda quosdam libros et quamdam pecuniae summam per saecularium minas extorquere nitatur, de Tylieto, de Locedio et de Sancto Andrea abbatibus committitur auctoritate Capituli generalis, ut cum litteris dicti Capituli praedictum Stephanum a dicta curia revocent, et in claustro suo residere compellant, ac de libris et rebus quas petit ab illis de Stapharda ut iudicent auctoritate Capituli generalis, secundum quod de iure fuerit iudicandum.

31. Item, auctoritate Capituli generalis praecipitur abbati de Villari iuxta Metim quod accedat ad abbatiam de Egris, et si invenerit quod abbas non habuerit legitimum impedimentum de non veniendo ad generale Capitulum, poenam ei denuntiet in Usibus constitutam. Idem fiat de aliis abbatibus qui hoc anno sine excusatione legitima remanserunt.

32. Auctoritate Capituli generalis committitur de Capella et de Porta Coeli abbatibus ut, ad locum de Hernengen [3] personaliter accedentes, in ipso loco moniales illas quae rebelles Ordini extiterant cum sibi adhaerentibus introducant et aliae moniales ultra numerum a generali Capitulo taxatum, prout in littera

---

[1]) S. Salv. de Leyra. [2]) Casale Vallonis. [3]) Herrenhaag (?).

ipsius generalis Capituli continetur, in dicto loco ullatenus admittantur, nec de possessionibus abbatiae Fontis Sanctae Mariae dictae moniales quidquam sibi vendicent vel usurpent.

33. Cum frequens et assidua et omnino taediosa querela iamdiu insonuerit auribus Capituli generalis inter abbatem et conventum de Bodelo et abbatissam et conventum de Bosco [1] super decimis novalium parrochiae de Lokrene, Capitulum generale nolens diutius talem inter ipsos discordiam sustinere imposterum, provide statuit ordinandum quod utraque partium praedictarum in dicta parrochia percipiat decimas novalium in illis locis in quibus eas percepit pacifice et quiete tempore motae discordiae. In ipsas vero novalium decimas quae postea decreverint et excrescent imposterum quocumque modo excreverint, dividantur aequis portionibus inter eos ; quicumque vero contra praedictam ordinationem venerit, excommunicationis sententiam se noverit incurrisse latam a Capitulo generali.

34. Querela abbatis Vallis Bonae contra abbatissam de Aula [2], de Clariana et de Fonte frigido abbatibus committitur auctoritate Capituli generalis in plenaria Ordinis potestate, pace vel iudicio terminanda, et quid inde, etc.

35. Querela abbatis [Bonae] Vallis contra abbatem de Cassania, de Altacumba et de Chasere [3] abbatibus committitur, etc.,

36. Querela abbatis Vallis clarae contra abbatem Fusniaci, de Valle regis et de Longo ponte abbatibus committitur, etc.

37. Querela abbatis Fossae novae contra abbatem Casemarii, de Monte Amiato et de Sancto Sebastiano abbatibus committitur, etc., ut supra.

38. Querela abbatum Lemovicensium contra abbatem de Albis petris, de Prato benedicto et de Valle clara abbatibus committitur, etc.

39. Querela abbatis Signiaci contra abbatem Fusniaci, de Valle regis et Longo ponte abbatibus committitur, etc., ut supra.

40. Querela abbatis de Dalone contra abbatem de Boscanio, de Petrosa et de Gardadim [4] abbatibus committitur, etc.

41. Querela abbatis de Batelesendena [5] contra abbatem de Bruer[n]ia, de Cumba et de Helidis [6] abbatibus committitur, etc.

---

1) Novus Boscus. 2) Eula. 3) Cherisiacum. 4) Garda Dei.
5) Bitlesdenum. 6) Hayles.

42. Querela abbatis de Calertio contra abbatem de Borbona, de Candeleio et de Hillus [1] abbatibus committitur, etc., ut supra.

43. Querela abbatis Caraevallis contra filium suum abbatem de Capite laci [2], de Sancto Andrea et de Casanova abbatibus committitur, etc.

44. Querela abbatis de Vaureleia [3] et de Forda contra abbatem Pontis Roberti, de Brenedone [4] et de Newhen [5] abbatibus committitur, etc.

45. Querela abbatis de Albis petris contra abbatem Eschalleiarum [6], de Domo Dei super Carum et de Callovio abbatibus committitur, etc.

46. Querela abbatis de Berola contra abbatissam de Cambronio, de Morimundo et de Bardonis abbatibus committitur, etc., ut supra.

47. Querela abbatis de Caladia contra abbatem de Monasteriis in Argona, de Valle clara et de Castellione abbatibus committitur, etc., ut supra.

48. Querela abbatis Reigniaci contra abbatem Boni radii, de Pontiniaco et de Fonte Ioannis abbatibus committitur, etc.

49. Querela abbatis de Palatiolis contra abbatissam de Paralis, de Saltibus albis et de Sacramoenia abbatibus committitur, etc.

50. Querela Willelmi aurifabri contra abbates de Holmo [7] et de Melros, de Rievalle et de Bella landa abbatibus committitur, etc.

51. Querela abbatis de Miravalle contra abbatem de Statione [8], de Cumba et de ... *(locus vacuus)*... abbatibus committitur, etc. ut supra.

52. Querela abbatis Regalis montis contra abbatem Vallis Beatae Mariae, de Karoliloco et de Frigido monte abbatibus committitur, etc.

53. Inspectio loci in quo intendit fundare domina de Balliolo abbatiam monialium, de Furnesio et de Giravalle [9] abbatibus committitur auctoritate Capituli generali qui ad locum personaliter accedentes, pensatis omnibus quae secundum Deum et Ordinem sunt pensanda, quid illuc invenerint anno sequenti

---

1) Fulium (?). 2) S. Trinitas de Capite lacus. 3) Waverleia. 4) Bindonium. 5) Newhamium. 6) Scarleiae. 7) Holm Cultram. 8) Stoneley. 9) Ioravallis.

referant Capitulo generali. Abbas Girevallis collegae suo denuntiet.

54. Inspectio loci ad quem petit transferri abbatiam suam abbas Sancti Viti, de Ripalta et de Arabona abbatibus committitur auctoritate Capituli generalis qui ad dictum locum accedentes personaliter, pensatis omnibus quae secundum Deum sunt pensanda, quid illuc invenerint, etc.

55. Inspectio loci in quo intendit dominus archiepiscopus Caselensis fundare abbatiam monachorum, committitur de Sancto Salvatore et de Magio abbatibus auctoritate Capituli generalis, qui ad locum personaliter accedentes pensatis omnibus quae secundum Deum sunt pensanda, quid illuc invenerint, anno sequenti Capitulo generali studeant nuntiare.

56. Inspectio loci ad quem intendit transferre abbas de Verruca [1] suam abbatiam, de Sancto Galgano et de Sancto Pantaleone abbatibus committitur auctoritate Capituli generalis, qui ad locum personaliter accedentes, pensatis omnibus quae secundum Deum et Ordinem sunt pensanda, et quid inde, etc.

57. Inspectio loci ad quem intendit transferri abbatissa de Marcelliaco [2] abbatiam suam, de Fontineto et de Regniaco abbatibus committitur, qui ad locum personaliter accedentes, pensatis omnibus quae secundum Deum et Ordinem sunt pensanda, etc., et quid inde, etc.

58. Inspectio loci in quo intendit fundare abbatiam monachorum vir illustris rex Arragonum, de Scarpio et de Lavatio [3] abbatibus committitur auctoritate Capituli generalis qui ad locum personaliter accedentes, pensatis omnibus quae secundum Deum et Ordinem sunt pensanda, etc., quid inde, etc., et sit filia Benedictionis Dei in Vasconia.

59. Incorporatio monasteriorum de Syon et de Spiritu Sancto monialium, de Villari iuxta Metim et Ut[e]rina Valle abbatibus auctoritate Capituli generalis committitur in plenaria Ordinis potestate, qui ad loca personaliter accedentes, pensatis omnibus quae secundum Deum et Ordinem sunt pensanda, incorporent eas Ordini, si viderint expedire ; et sint filiae domus Cistercii.

60. Incorporatio abbatiae monialium de Stakrot [4] pro qua scribit dominus archiepiscopus Coloniensis et comites prope Colo-

---

[1]) S. Michael de Verruca. [2]) Marcelleyum. [3]) Labaçiae. [4]) Stirkerode, Sterkrade.

niam, de Boriis [1] et de Loco Sanctae Mariae abbatibus committitur auctoritate Capituli generalis in plenaria Ordinis potestate qui ad locum personaliter accedentes, etc., et quid inde, etc., et sit filia domus Campensis [2].

61. Petitio abbatis Sancti Pastoris, qui petit ut eo anno quo venire tenetur ad Capitulum non veniat hac prima vice futura, ob reverentiam domini Ioannis Portuensis et Sanctae Rufinae episcopi cardinalis, exauditur. Hoc idem conceditur de Henricum [3], de Mergam [4], de Boch [5], de Sychem, de Linda [6], de Furio [7], de Petrosa, de Boscanio et de Ripalta abbatibus.

62. Petitio domini Ioannis Portuensis et Sanctae Rufinae episcopi cardinalis qui petit incorporari Ordini tres abbatias monialium, videlicet abbatiam Sancti Pancratii iuxta Urbem, et abbatiam de Paradiso iuxta Viterbium, et abbatiam de Sancta Trinitate iuxta Urbem veterem, exauditur, et sint filiae Claraevallis.

63. Item, petitio abbatis de Regali monte de anniversario illustrissimi domini Ludovici regis Franciae, stando, in domo propria [a] faciendo, exauditur.

64. Item conceditur abbati et monachis de Jubino [8] auctoritate Capituli generalis quod ipsi possint habitare in aliqua sua grangia donec sibi de aliquo monasterio provideat.

65. Petitio abbatis de Porta Coeli qui petit quod possit concedere unum conversum domino de Gerostecle, exauditur dummodo honestis deputetur officiis.

66. Petitio domini vicecomitis Haymerici Narbonensis qui petit sibi concedi monachum aliquem Frigidi fontis, dummodo honestis deputetur officiis, exauditur.

67. Petitio domini Petri de Gargona qui petit sibi concedi conversum unum de Langonia, exauditur, dummodo honestis officiis deputetur.

68. Petitio abbatum Xantonensis dioecesis qui petunt festum beati Petri martyris ad aliam diem qua fieri commode poterit, transferri in sua dioecesi propter festum sancti Eutropii, exauditur.

---

63 : *L*[1]*MP*[1]*P*[10]. [a] sua : *M*. **64-71** : *P*[1].

---

1) Boheriae. 2) Vetus Campus. 3) Heinrichovium. 4) Margan.
5) Sive Bukow, sive Buch. i. e. Vallis S. Aegidii. 6) Sive Landa, sive Lysa.
7) Surium. 8) S. Georgius in Iubino.

69. Petitio illustrissimi regis Franciae de faciendo anniversario pro bonae memoriae domina Elisabeth uxore sua iam defuncta per universum Ordinem, exauditur, et id anniversarium fiat in vigilia Agnetis secundo.

70. Item, petitio eiusdem regis domini Franciae de faciendo anniversario pro bonae memoriae domino Ioanne... *etc. ut supra n*º 13.

71. Petitio illustrissimi dominae reginae Franciae, quae petit habere suum post mortem servitium per universum Ordinem, exauditur.

72. Item [a], pro felicissimae recordationis et illustrissimo rege Franciae Ludovico defuncto duplex servitium anno primo et secundo singulis sacerdotibus Ordinis persolvatur, et fiat ipsius Ludovici anniversarium singulis annis in crastino beati Bartholomei apostoli in singulis domibus Ordinis universi solemniter in conventu et pro ipso celebrent universi qui ipsa die celebrabunt.

73. Cum fervor Ordinis sanctissimus et honestus augeri semper debeat potius quam restringi, ordinat Capitulum generale quod nulli de cetero infra septa vel muros monasterii seu abbatiarum esus carnium concedatur.

1272

Anno [a] Domini millesimo ducentesimo septuagesimo secundo statuta sunt haec apud Cistercium [b] in Capitulo generali.

1. In primis, diffinitio de [a] fugitivis facta [b] anno praeterito sic corrigitur, quod monachi revertentes de saeculo omni sexta feria per annum vapulent in capitulo ; conversi [c] vero recipiantur in habitu familiari [d], et quamdiu fuerint in saeculo revertentes erunt in habitu familiari tempore duplicato, et grossiori pane per annum vescantur, aliis poenis in diffinitionibus contentis contra fugitivos in suo robore duraturis ; et ista [e] diffinitio non praeterita respicit sed futura, statuto de rasura barbarum contra ipsos fugitivos anno praeterito edito revocato ; et conversi redacti in familiares teneantur ad observantiam conversorum [f].

---

72 : $L^1MP^1P^{10}$. [a] *brevius apud M*, **73** : *VW*.

1272. [a] *Titulus apud* P^1QV *tantum*. [b] tempore Cap. gen. : P^1.

1 : $L^1MP^1P^{10}V$. [a] pro : $L^1MP^1P^{10}$. [b] edita : *V*. [c] universi : *M*.

[d] tempore duplicato et grossiori... : L^1V. [e] ipsa : L^1 ; illa : *M*. [f] *deest* P^1.

2. Cum abbas de Esterbach [1] conventum suum disperserit, praecepit Capitulum generale ut quilibet abbas unum monachum dictae abbatiae ad se missum tenere et recipere teneatur, quamdiu conventum tenuerit, et sicut propriis monachis providere benigne sicut in diffinitionibus continetur.

3. Item, super situ abbatiae de Asella [2] ordinat et diffinit Capitulum generale quod dicta abbatia de loco in quo sita est modo ad locum antiquum ubi primum fundata fuit, penitus transferatur, abbatibus de Laude et de Loco Sancti Bernardi dato specialiter in mandatis auctoritate Capituli generalis, ut abbatissam et moniales dicti loci ad recedendum de dicto loco et ad revertendum ad primum locum per censuram Ordinis arceant et compellant, et hoc fiat infra instantem Nativitatem beati Ioannis Baptistae, omni occasione postposita et remota.

4. Item [a], statuit et ordinat Capitulum generale quod *Salve Regina* post Completorium et sexta feria dicantur more solito VII psalmi cum litania et consuetis collectis, et post VII psalmos subsequatur Responsorium *Aspice Domine*, pro Terra sancta, et dicatur a praesidente flexis genibus versus *Exurgat Deus*, et collecta *Deus qui admirabili*. In missa vero de Beata Virgine pro domino Papa dicatur collecta *Deus fidelium pastor* [b], pro sanctissimo patre nostro, qui petit ab Ordine orationes speciales.

5. Cum frequens et assidua et omnino taediosa querela ad aures Capituli generalis devenerit super excessibus conversorum in multis abbatiis Ordinis contra abbates et conventus monachorum, et ad praesens maxime in domo Auulnebach [3], conversi dictae domus abbatem et conventum dictae domus volentes, prout dicitur, occidere seu mutilare, poenae metu seu mortis dictus abbas cum conventu exeuntes ab abbatia per posticum infirmitorii in quodam oppido se recepissent, et sic conversorum non cessat adhuc insania, praefatus casus vel excessus recens et enormis expulsionis abbatis et conventus dictae domus venerabili de Morimundo et de Campo, patri dictae domus, abbatibus committitur auctoritate Capituli generalis ut ad dictam domum

---

2-3 : P^1. **4** : $L^1MP^1P^{10}$. [a] statuitur : *M*. [b] *hic desin.* $L^1P^1P^{10}$.
5-7 : P^1.

---

1) Heisterbach, seu Vallis S. Petri. 2) Axele, cf. ann. 1271, n° 24.
3) Amelongesborna, domus filia Veteris Campi.

personaliter accedentes dictorum excessus conversorum diligenter inquirant et corrigant, et faciant secundum quod viderint expedire, auctoritate Capituli generalis.

6. Item, super proclamatione facta anno praeterito contra abbatem de Alpibus super hoc quod dicebatur quod non comparuerat apud Gebennam ad persolvendum XXXV libras priori Firmitatis, in quibus tenebatur eidem priori per iuramentum, ut dicebatur, cum processus diligenter examinatus fuerit a Diffinitoribus et inventum fuerit ipsum abbatem de Alpibus comparuisse, et pecuniam postea persolvisse, ipsum quantum ad hoc ab omni culpa et poena immunem reddit generale Capitulum et absolvit.

7. Item, ordinat et diffinit Capitulum generale quod conversi de Alpibus qui monachum mutilaverunt, quod abbas dicti loci eos capiat et capi procuret, et ad hoc si necesse fuerit, modo debito invocet brachium saeculare, et eos perpetuo carceri mancipare non tardet, eos sustentans ibidem pane et aqua tristitiae et doloris.

8. Item, cum propter diversas oppressiones [a] et multiplicia gravamina, quibus Ordo olim extitit, et adhuc sit multipliciter oppressus et gravatus, non possit tot personas quot sunt hodie [b] sustentare, et tot poni debeant in ecclesiis quot possint [c] de eorum facultate honeste sustentare, statuit et ordinat [d] Capitulum generale quod quantumcumque fieri poterit, a receptione personarum caveatur [e] in posterum.

9. Item, quaestio facta in Capitulo generali, quod legi debeat littera bonae memoriae domini Clementis Summi Pontificis, statuit et ordinat Capitulum generale quod singulis annis prima die legatur in ultima sessione, si fieri poterit competenter.

10. Item [a], cum clamor toediosus insonuerit auribus Capituli generalis super rebellione, contumacia et inobedientia monialium Vallis Sanctae Mariae, suis exigentibus meritis, pater ipsarum, abbas de Capella, processit per sententias suspensionis,

---

8 : *$L^1MP^1P^{10}QV$*. [a] quibus... opprimitur : *V*. [b] commode : *Q*. [c] possunt... facultatibus... sustentari : *Q*. [d] *deest V*. [e] *hic desin. V*.
9 : *$L^1MP^1P^{10}Q$*. **10** : *$L^1MP^1P^{10}$*. [a] *brevius apud M* : Processus abbatis de Capella contra moniales S. Mariae, filiae suae immediatae, suspensionis... confirmatur, et de Sala... etc.

---

[1]) Vetus Campus.

interdicti, excommunicationis et depositionis, fretus in omnibus multorum abbatum consilio formaque Ordinis observata, volens idem Capitulum generale ipsarum temeritatibus obviare purgationem dicti abbatis de Capella, et eius processum depositionemque prioris abbatissae et officialium, ac substitutionem alterius, approbat et confirmat, committens auctoritate Capituli generalis de Sala [1] et de Altacrista [b] abbatibus ut ad dictam domum Vallis Sanctae Mariae personaliter accedentes personas eiusdem domus, quae voluerint obedire, recipiant ad gratiam secundum Ordinis instituta, rebelles vero ablato velo et habitu rescindant et separent ab Ordinis unitate, et quid inde, etc.

11. Item, cum abbas de Pelisio qui assumptis secum abbate de Aceyo patre ipsius abbatis, et abbate de Abra[ham] filio dicti abbatis de Pelisio ad depositionem abbatis de Pastuch [2] processerint minus iuste et sine causa rationabili et discreta quae sufficiat vel sufficere debeat ad depositionem abbatis, statuit et ordinat Capitulum generale quod dictus abbas de Pastuch proxime depositus restituatur auctoritate Capituli generalis, et deponens licet cesserit, ultimus sit omnium per annum et omni sexta feria in capitulo vapulet, et ineligibilis sit perpetuo nisi secus per generale Capitulum dispensetur. Abbates vero de Aceyo et de Abra[ham], de quorum consilio depositus extitit dictus abbas de Pastuch, per XX dies si[n]t extra stallum abbatis, et tribus diebus peragant levis culpae, et hoc idem abbas de Sancto Godardo plenius exsequatur, et poenitentiam denuntiet abbati de Abra[ham] et monacho deposito auctoritate Capituli generalis peragendam.

12. Item [a], cum clamosa et taediosa insinuatio ad aures devenerit Capituli generalis super excessibus et contumacia quarumdam monialium de Lestanchia [3], committitur auctoritate Capituli generalis in plenaria Ordinis potestate abbatibus de Buxeria in Burgundia et de Charitate ut ad dictam domum monialium de Lestanchia personaliter accedant et dictas moniales rebelles diligenter commoneant, et eis in virtute obedientae praecipiant ut abbatissae, dominae videlicet Helvidi de Bafremont, obedire

[b] Alto Cristo : $L^1P^1P^{10}$. **11** : P^1. **12** : $L^1MP^1P^{10}$. [a] *brevius apud M* : Committitur auctoritate Cap. gen...

1) Leg. fors. Thela. 2) Paszto. 3) Stanchia.

de cetero humiliter non omittant. Quod si postea, quod absit, contumaces extiterint et rebelles, vult idem Capitulum generale ac praecipit quod abbates illi et abbatissa, ex tunc omni dilatione postposita, auferant eis velum, et si forte aliquae de numero inobedientium, sive sanae sint seu infirmae, a sua inobedientia et rebellione medio tempore resilire voluerint, eisdem sacramenta divina non ministrentur, nec ad satisfactionem recipiantur, quousque tactis sacrosanctis evangeliis iuraverint et promiserint stare mandato abbatissae et de cetero ei per omnia obedire. Capellanis autem et conversis dictae domus districtius inhibetur, ne eas visitent, nec eis communicent verbo, vel signo, vel facto, nec aliquid eis scribere, mittere, vel mandare quousque dictae moniales in gratiam redierint dictae abbatissae. Excommunicat autem idem Capitulum generale omnes personas Ordinis quae eis quamdiu inobedientes extiterint, communicare praesumpserint, vel eas in sua malitia fovere, vel favorem impendere, seu aliquatenus subvenire ; hoc addito quod si timore [b] praedictorum non se correxerint, aut humiliaverint, eliminentur ab Ordinis consortio penitus, et etiam sequestrentur.

13. Item, super negotio decimae domini regis Siciliae et tuitione [a] privilegiorum et indulgentiarum a Sede Apostolica nostro Ordini concessorum et aliis negotiis Ordinis secundum quod viderint expedire procurandis et promovendis, et pro communi utilitate Ordinis facienda, statuit et ordinat Capitulum generale quod dominus Cistercii cum quatuor primis abbatibus, videlicet de Firmitate, de Pontigniaco, de Claravalle et de Morimundo abbatibus, ad romanam Curiam accedant et habeant auctoritate Capituli generalis potestatem et speciale mandatum agendi, defendendi, transigendi, pasciscendi [b], componendi, compromittendi, et omnia alia faciendi quae ad utilitatem et bonum Ordinis viderint expedire ; ita tamen quod praedictorum nullus remaneat, nisi quem proprii corporis infirmitas legitime excusabit, et si aliquem praedictorum causa evidentis infirmitatis contigerit remanere, secundum conscientias suas de communi quatuor et ipsius Cistercii consilio, alter loco infirmi subrogetur ; et fiant procuratoria abbatibus praefatis, prout necessitas negotii exegerit opportune.

---

[b] more : *M*. **13** : $L^1MP^1P^{10}$. [a] ratione : L^1. [b] pacificandi : *M*.

14. Item, auctoritate Capituli generalis inhibetur abbatibus et personis [a] Ordinis universis, ne de cetero in abbatiis vel extra sargias deferant vel deferri faciant varii et diversi coloris pro lectisterniis, sed habeant unius coloris albas seu nigras. Qui vero contra fecerint, et in domo Cistercii vel alibi intulerint, a ministris auferantur et in vestiario reponantur.

15. Item, litteris [a] domini Papae dispensatoriis nuper pro totius Ordinis utilitate impetratis, statuit et ordinat Capitulum generale quod eisdem abbates adhaereant universi, auctoritate Capituli generalis et patrum abbatum in omnibus observata.

16. Querela abbatum de Tribus Fontibus, de Castellione et de Monasterio in Argona contra abbatem de Moris, de Igniaco et Quinciaco et de Longo vado committitur abbatibus auctoritate Capituli generalis, qui ad dictam abbatiam de Moris in plenaria Ordinis potestate personaliter accedentes, immobilia dictae domus vendant et distrahant prout melius et utilius poterunt et noverunt expedire, et etiam mobilia si oportuerit, vel ad tempus tradant, vel si aliter facere non possunt, ita quod praedicti abbates de Tribus Fontibus, de Castellione et de Monasterio in Argona, qui fideiussores sunt pro dicto abbate de Moris, a dicta fideiussione valeant liberari infra Nativitatem beati Ioannis Baptistae, et si tres praedicti abbates simul esse non possunt, duo nihilominus negotium exsequantur auctoritate Capituli generalis. Sententia anno praeterito lata contra abbatem de Moris et alias personas dictae domus revocatur.

17. Item, inquisitio electionis de Magio et de excessibus factis in eodem, de T[h]ama et de Sancto Salvatore in Hybernia abbatibus committitur auctoritate Capituli generalis, qui ad dictum locum personaliter accedentes, in plenaria Ordinis potestate inquirant diligenter de electione praedicta, et si quid correctionis vel emendationis officio noverint indigere, reforment et corrigant secundum Deum et Ordinem, auctoritate Capituli generalis. Iniungitur etiam illi qui se gerit pro abbate de Magio et abbati de Kyrie eleyson, quod ad domos proprias revertantur.

18. Item, super electione de Hayles in Anglia, de Boxelee [1], de Strafort abbatibus committitur auctoritate Capituli generalis,

---

14 : P^1Q. [a] personis : *deest* Q. **15** : $L^1MP^1P^{10}$. [a] litterae... dispensatoriae... impetratae... eidem : P^1. **16-26** : P^1.

---

1) Boxleya.

qui ad dictum locum personaliter accedentes, inquirant diligenter super electione praedicta, et quid inde, etc.

19. Item, querela abbatis de Ursicampo contra abbatem de Regali monte, de Valle Sarnay et de Valle clara committitur abbatibus auctoritate Capituli generalis pace vel iudicio terminanda, et quid inde, etc.

20. Item, querela domni Cistercii abbatis, abbatum Pontigniaci, Claraevallis contra abbatem de Regniaco, de Bono radio et de Maceriis abbatibus committitur in plenaria Ordinis potestate pace vel iudicio terminanda, et quid inde, etc...

21. Item, querela abbatissae de Sclachia [1] contra abbatem de Bella aqua, de Obazina et de Bona aqua abbatibus committitur auctoritate Capituli generalis, etc.

22. Item, querela filii Petri de Ubieto contra abbatem de Ferraria, Bonaecumbae et Sancti Marcelli abbatibus committitur, etc.

23. Item, scabinorum cameratus contra abbates de Perdelens [2] et de Propteraus [3], de Sancta Maria in Hollandia [4] et de Valle Dei in Anglia abbatibus committitur auctoritate Capituli generalis pace vel iudicio reformanda, non obstante diffinitione de duabus dictis 4ª distinctione, capite 8º quae sic incipit : Quando saeculares, etc. quibus praecipitur quod, cessante querela infra festum beati Joannis Baptistae, causa tota totaliter sopiatur.

24. Querela abbatis de Porta Coeli contra abbatissam et conventum de Rintal [5], de Lucel[la] et de Pa[i]ris abbatibus committitur, etc.

25. Item, querela abbatis de Alto fonte contra abbatissam de Sancto Desiderio, de Tribus Fontibus et de Chyminum [6] abbatibus committitur, etc.

26. Item, super querela abbatis de Bodelo contra abbatissam de Boscho [7] statuit et ordinat Capitulum generale quod diffinitio anno praeterito edita super querela praedicta inviolabiliter observetur, verbum autem illud quod in dicta diffinitione continetur, scilicet a tempore motae discordiae sic interpretatur et declarat Capitulum generale quod a tempore quo commissio facta est.

---

[1]) Esclasia. [2]) Bordesley (?). [3]) Crokesdene (?) i. e. Vallis S. Mariae de Crokesden. [4]) Swineshead abbey. [5]) Rinteln. [6]) Chemino. [7]) Novus Boscus.

27. Item, super querela nobilis dominae Iurit, quae conqueritur de monialibus quae absciderunt caput matris suae tunc defunctae, statuit et ordinat Capitulum generale quod dictarum monialium visitator auctoritate Capituli generalis dictum caput restitui faciat dictae Iurit, et moniales quas in facto praedicto culpabiles invenerit, secundum Deum et Ordinis disciplina puniat et castiget, et quid inde, etc.

28. Querela abbatis de Tribus Fontibus, de Castellione et de Monasteriis in Argona contra abbatem deRipatorio, de Fontineto et de Bullencuria abbatibus committitur in plenaria Ordinis potestate, qui ad dictam domum personaliter accedentes, secundum instituta Ordinis compellant abbatem et conventum ut praedictos abbates, qui pro ipsis fideiussores sunt, deliberent auctoritate Capituli generalis, et hoc infra festum beati Ioannis Baptistae facere non omittant.

29. Item, querela magistri Henrici de Victriaco, de Valle regis et de Regali monte abbatibus committitur auctoritate Capituli generalis in plenaria Ordinis potestate, pace vel iudicio infra Nativitatem Domini terminanda, et assignetur prima dies partibus Parisius de ceteris sibi convenientibus invicem abbatibus supradictis.

30. Item, querela reverendi patris domini Morinensis episcopi contra abbatem de Dora de Anglia, de Bildewaus et de Gratia abbatibus committitur auctoritate Capituli generalis pace vel iudicio terminanda, et quid inde, etc. Abbas de T[h]ama hoc eis denuntiet.

31. Auctoritate Capituli generalis committitur de Firmitate, de Fonte vivo, de C(h)erreto et de Sancto Andrea abbatibus quod ad abbatiam de Locedio personaliter accedentes, in plenaria Ordinis potestate inquirant diligenter de statu domus, et reforment, corrigant et disponant auctoritate praedicta quidquid in dicta domo correctionis et reformationis officio noverint indigere.

32. Item, auctoritate Capituli generalis committitur de Fossa nova et de Casamario abbatibus ut ad partes Siciliae et Calabriae personaliter accedentes, inquirant diligenter de abbatibus dictarum terrarum et de causis remorationis eorum a Capitulo generali, et etiam de observatione ordinis, et secundum quod viderint

---

27 : *L*[1]*MP*[1]*P*[10]*W*. **28-41** : *P*[1].

secundum Deum et Ordinem expedire, corrigant et reforment in plenario Ordinis potestate quae in dictis domibus reformationis et correctionis officio noverint indigere, patrum abbatum in omnibus semper salvo iure.

33. Item, auctoritate Capituli generalis committitur abbati Mellifontis quod fratrem Ioannem quondam abbatem Geripontis [1], qui impetit dictam abbatiam etiam cum brachio saeculari, ab infestatione praedicta coerceat per censuram ecclesiasticam auctoritate Capituli generalis, ipsum etiam carceri mancipari faciat, si possit aliquatenus comprehendi.

34. Item, auctoritate Capituli generalis committitur de Dora et de Tinterna abbatibus in plenaria Ordinis potestate ut ad abbatiam de Lanterna [2] personaliter accedentes, consideratis omnibus quae secundum Deum et Ordinem consideranda sunt, inquirant diligenter de dicta domo et ordinent et disponant prout viderint expedire, et quid inde, etc.

35. Item, auctoritate Capituli generalis committitur de Sancta Cruce et de Campililiorum abbatibus ut ad abbatiam monialium (*locus vacuus*)... filiam abbatis de Sancta Cruce, personaliter accedentes, consideratis omnibus quae secundum Deum et Ordinem consideranda sunt, ordinent et disponant de eadem abbatia auctoritate Capituli generalis secundum quod viderint expedire, et quid inde, etc. Abbas de Thama [3] hoc ei denuntiet.

36. Item, auctoritate Capituli generalis committitur de Candela [4] et de Sancto Godardo abbatibus ut ad domum de Egris personaliter accedentes de electione abbatis dicti loci inquirant diligenter et quid inde intellexerint anno sequenti renuntient Capitulo generali, et quid inde, etc.

37. Item, auctoritate Capituli generalis committitur abbati de Sancto Godardo ut ad abbatiam de Archis [5] personaliter accedens, si invenerit quod abbas dicti loci per decennium abbatizaverit et quod numquam venit ad Capitulum generale, ipsum auctoritate Capituli generalis absolvat ab officio abbatiae, nisi causam legitimam praetenderit quare venire non potuit ad dictum Capitulum generale, quam excusationem si legitima fuerit dictus abbas de Sancto (Gargano) Gothardo anno sequenti deferat Capitulo generali.

---

1) Jeripons. 2) Abbatiae Vallium aliud nomen. 3) Leg. forsan Hilaria in Austria, non vero Thama in Anglia. 4) Alias B. M. de Kerz. 5) Erchi.

38. Inspectio abbatiae quae dicitur Sacer campus committitur de Morimundo et de Sara [1] abbatibus auctoritate Capituli generalis ut quae secundum Deum et Ordinem facienda invenerint, faciant et disponant introducentes etiam conventum in dicto loco, si viderint expedire, et sit filia de Gradis, etc., et quid inde, etc.

39. Item, inspectio loci in quo fundare intendit abbatiam monachorum comes de Thuriol, Lucelen[si] et de Rethenala [2] abbatibus committitur auctoritate Capituli generalis qui ad dictum locum personaliter accedentes, quae secundum Deum et Ordinem facienda noverint, faciant et disponant introducentes etiam conventum in dicto loco auctoritate Capituli generalis, si viderint expedire, etc., et quid inde, etc., et sit filia de Caesarea.

40. Item, inspectio abbatiae, quam intendit incorporare Ordini comes Hollandiae, committitur de Sancto Bernardo et de Claro campo abbatibus auctoritate Capituli generalis qui ad dictum locum personaliter accedentes, etc., et quid inde, etc.

41. Item, inspectio Insulae Sancti Iacobi [3], de Iophra [4] et de Zedita [5] abbatibus committitur qui ad locum accedentes, etc., et conventum introducant si viderint expedire, et quid inde etc. Abbas de Cicador [6] hoc eis denuntiet.

42. Pro sanctissimo patre nostro summo Pontifice, qui petit orationes ab Ordine speciales pro se et pro Terra sancta, statuit et ordinat Capitulum generale quod, in singulis domibus Ordinis universi, in missa de Beata Virgine quotidiana dicatur pro ipso collecta *Deus fidelium omnium pastor*; et pro bono statu Terrae sanctae dicatur responsorium *Aspice Domine*, cum versiculo *Exurgat Deus*, flexis genibus in ecclesia cum collecta: *Deus qui admirabili* [a] *ordine*, sexta feria finitis VII psalmis cum litania cum collectis consuetis; VII psalmi vero et *Salve Regina* post Completorium fiant sicut hactenus fieri consuevit.

43. Item, pro comite Blesensi et comitissa et liberis eius dicatur una missa de Spiritu Sancto in singulis domibus Ordinis universi; anniversarium eorum post eorum obitum in Ordine faciendum conceditur eisdem.

42: L^1P^1. [a] omni: P^1. **43**: P^1.

---

1) Fons S. Mariae in Saar. 2) Raitenhaselacum. 3) Alias S. M. de Zagrabia. 4) Leg. Toplica. 5) Sedlecium. 6) B. M. de Czikador.

44. Pro felicis recordationis domino Guidone, quondam titulo Sancti Laurentii in Lucina presbytero cardinali, iam defuncto persolvatur plenarium servitium per Ordinem universum, et in rotulo recitetur in Capitulo generali annis singulis, et associetur anniversariis cardinalium aliquorum.

45. Anniversarium Theobaldi regis Navarrae fiat in vigilia beati Nicolai per Ordinem universum.

46. Item, anniversarium Ysabellis, quodam reginae Navarrae et sororis suae ducissae Brabantiae, fiat feria tertia post octavam Paschae solemniter in conventu per Ordinem universum.

47. Item, petitio abbatis Morimundi, qui petit absolvi a susceptione hospitum per quinquennium, exauditur. Hoc ipsum conceditur abbati de Balerna per triennium ; conceditur et eidem quod possit duas missas quotidianas in domo sua pro suis fundatoribus celebrare.

48. Item, petitio abbatum de Magio, de Re et de Sancto Urbano et de Stanlee et de Loco Dei in Dania, de faciendo anniversario fundatorum suorum in abbatiis propriis, exauditur.

49. Item, petitio de Alto Christo [1] abbatis qui petit dispergere conventum suum exauditur.

50. Item, petitio abbatis de Sancto Salvatore in Hybernia, qui petit quod semel possit remanere a Capitulo generali, exauditur.

51. Item petitio episcopi Agathen(en)sis, qui petit quod possit habere conversum de Ordine, exauditur, dummodo honestis ministeriis deputetur.

52. Item, petitio domini Rhedonensis, qui petit quod possit habere monachum de Ordine exauditur, dum tamen, etc.

53. Item, petitio abbatis de Lausno [2], qui petit quod fiat anniversarium ducissae Bavariae in domo sua, exauditur.

54. Item, petitio regis Angliae, qui petit quod fiat festum [sancti] Edoardi martyris cum duabus missis per totum regnum Angliae, exauditur, et in eodem regno [nominetur] in letania cum ceteris sanctis.

55. Item, petitio domini regis Franciae, de faciendo anniversario ipsius post eius obitum per totum Ordinem, exauditur.

---

44 : $L^1MP^1P^{10}$. **45-56** : P^1.

---

1) Altacrista. 2) Caisen (?) i. e. Kaisersheim, Caesarea.

56. Item, petitio abbatis Sancti Odoaldi [1], qui petit dispergere conventum suum, pro quo etiam venerabilis pater noster dominus Portuensis scripsit Capitulo generali, exauditur.

57. Item, cum super quibusdam casibus et articulis propositis contra abbatem de Miratorio, Diffinitores ad plenum discutere non potuerint, venerabili patri nostro de Cistercio, de Buxeria et de Maceriis abbatibus committitur in plenaria Ordinis potestate, auctoritate Capituli generalis ut auditis causis et defensionibus dicti abbatis de Miratorio, faciant prout merita vel demerita exegerint, et ipsummet aut confirment aut deponant, si deponendum viderint vel denuntient non abbatem intra festum Omnium Sanctorum proxime venturum, et hoc totum sine strepitu et sine allegationibus saecularium fiat.

58. Auctoritate Capituli generalis committitur patribus abbatibus et visitatoribus universis, ut in suis visitationibus inquirant utrum [a] abbates filii seu illi, quod visitant, tempore debito venerint ad Capitulum generale, et singulis annis super hoc respondeant Capitulo generali.

59. P. Othoniensis episcopus et abbates S. Crucis et Montis S. Mariae apud Cistercium tempore Capituli generalis.

1273

Anno [a] Domini millesimo ducentesimo septuagesimo tertio statuta sunt haec apud Cistercium [b] in Capitulo generali.

1. In primis, quoniam super VII psalmis singulis sextis feriis per Ordinem pro statu sanctae Ecclesiae dicendis, per diversas Ordinis abbatias diversimode tenebatur, volens [a] Capitulum generale, quod uniformitas in omnibus et per omnia [b] per Ordinem observetur, ordinat et diffinit quod dicti VII psalmi per [c] claustrum [d] processionaliter [e] dicantur in procedendo, omissis omnibus ad processionem pertinentibus, excepta sola cruce, quae ut

---

57 : *MP*[1]. **58** : *VW*. [a] utinam : *W*. **59** : *W* ex *Stiftungsbuch von Zwetl*, p. 155.

1273. [a] *Titulus apud P*[1]*QV tantum.* [b] tempore Cap. gen. : *P*[1]*V*.
1 : *L*[1]*MP*[1]*P*[10]*Q*. [a] volensque : *M*. [b] *deest Q.* [c] circa : *L*[1]*P*[1]*P*[10]*Q*. [d] claustra : *L*[1]. [e] incedendo : *Q*.

---

[1]) Leg. Galgani (?).

moris est praeferatur ; et si abbas praesens fuerit, non deferat baculum pastoralem. Responsorio [f] *Aspice Domine,* et collecta praetermissis.

2. Quoniam propter multiplicitatem anniversariorum personis pluribus a Capitulo generali concessorum, Ordo multipliciter oneratur, statuit et ordinat [a] Capitulum generale ut in qualibet abbatia Ordinis singulis mensibus unum anniversarium celebretur die vel hebdomada qua abbas quilibet [b] in domo propria viderit oportere [c] ; et praeferatur in eodem anniversario quaecumque persona quam abbas quilibet voluerit, adiunctis personis aliis quibus anniversarium ab Ordine est concessum, et celebrent qui voluerint, antiqua ordinatione de quatuor praecipuis anniversariis observata, et si aliqua anniversaria concessa fuerint, istis adiungantur.

3. Item, super nuncupatione abbatiae de Lanterna quae alio nomine Vallium [a] nuncupatur, declarat Capitulum generale quod illud nomen sortiatur perpetuo, quo in tabula Cistercii nominatur.

4. Quoniam ad aures devenit [a] Capituli generalis clamosa insinuatio super [b] receptione novitiorum indiscreta, videlicet quod quidam plures, quidam [c] pauciores recipiunt, quidam insufficientis scientiae et aetatis, propter quod bona fama Ordinis in aliquibus denigratur [d], et rigor antiquus non modicum enervatur, statuit et ordinat Capitulum generale ut patres abbates seu visitatores, auctoritate Capituli generalis, taxent [e] in suis visitationibus numerum personarum secundum abbatiarum facultatem, et tales recipiantur qui sint idonei et probati in litteratura competenti, et aetatis legitimae [f] secundum quod fuit alias [g] diffinitum.

5. Item, statuit et ordinat Capitulum generale ut Henricus de Agnis fugitivus propter suam maximam contumaciam excommunicatus per provinciam Moguntinam et abbatiis Ordinis, quando fiet sermo in capitulo excommunicatus denuntietur, et alibi ubi decreverit abbas monachi memorati, etiam sententias contra ipsum latas ab abbate suo approbat Capitulum generale.

---

[f] Responsorium : *M.* **2** : *L¹MP¹P¹⁰QV.* [a] *deest V.* [b] quibus : *P¹.* [c] expedire : *Q.* **3** : *L¹MP¹P¹⁰.* [a] Gallium : *L¹P¹P¹⁰.* **4** : *L¹MP¹P¹⁰QV.* [a] deveneritt : *Q.* [b] *hic incip. M.* [c] quidam... quidam : *deest Q.* [d] *deest M.* [e] tauxent : *Q.* [f] *hic desin. V.* [g] *deest Q.* **5** : *P¹.*

6. Item, statuit et ordinat Capitulum generale quod si, auctoritate Capituli generalis, dentur iudices alicui abbati contra alium abbatem super querimonia aliqua seu [a] querela pars quaelibet usque ad finem litis ad expensas tenebitur; qua finita, tenebitur parti adversae refundere [b] qui in querela succubuerit supradicta. De inquisitoribus autem datis contra personas auctoritate praedicta, sic diffinit et ordinat Capitulum generale, quod ille seu illi contra quos dati fuerint inquisitores praedicti, ad solutionem expensarum teneantur auctoritate Capituli generalis.

7. Item, cum super solutione illius pecuniae tangentis decimam regis Siciliae, de qua venerabiles patres quatuor primi abbates cum illustri rege Siciliae composuerunt, et super hoc seipsos et domos suas pro se et illis omnibus, quos tangit negotium dictae decimae, obligaverunt; quia ipsorum curialitati et caritati dignum est modo debito responderi, statuit et ordinat Capitulum generale, ut summam cuilibet a patre abbate impositam usque ad feriam quintam infra octavam Paschae praesentibus abbatibus solvere non omittant; alioquin illos qui solvere distulerint, ex tunc a die praefixa ipsos excommunicat auctoritate Capituli generalis, et eosdem [a] voluntate atque auctoritate eadem Capituli generalis, patres abbates excommunicatos denuntient, et in ipsorum monasteriis conventus abstineat a divinis; nihilominus si ipsam [b] pecuniam sub usuris recipi contigerit, dicti abbates, qui ad diem praefixam solvere omiserint, dictas usuras et interesse pariter solvere teneantur.

8. Item [a], auctoritate Capituli generalis committitur patribus abbatibus et visitatoribus universis ut in visitationibus suis diligenter ac sollicite inquirant utrum abbates filii seu illi quos visitant tempore debito venerint ad Capitulum generale, et singulis annis super hoc respondeant Capitulo generali.

9. Cum super illo pessimo et indicibili vitio clamor multiplex et indecens aures Capituli generalis pluries propulsaverit, cupiens idem Capitulum generale super clamore huiusmodi efficaciter consilium apponere, ad honorem Dei et Ordinis honestatem, ordinat et diffinit quod illi diffinitioni supra editae anno Domini MCCLXVI [a] quae sic incipit : Ad detestationem et abolitionem [b],

---

6 : $L^1MP^1P^{10}Q$. [a] de : *M*. [b] refundendae : P^1. **7** : $L^1MP^1P^{10}$. [a] *deest M*. [b] ipsum : *M*. **8** : P^1QV. [a] *hoc statutum iam anno praecedenti citatur apud V* ; cf. ann. 1272, n° 58. **9** : $L^1P^1P^{10}QVW$. [a] 1267 : P^1. [b] absolutionem : *Q*.

etc., id addatur [c] : Quod si de cetero aliqua persona Ordinis convicta seu publice confessa fuerit super illo pessimo vitio laborare, ad detestandum illud vitium, eradicandum penitus et omnino extirpandum, ablato ei habitu, ab Ordine penitus evellatur, nec dentur ei litterae tenoris cuiuscumque, et taliter eiecti in quaternione [d] prioris conscribantur, ne eorum factum possit longitudine [e] temporis [f] oblivione deleri.

10. Item, ne facilitas veniae malevolis [a] occasionem praebeat delinquendi, statuit et ordinat Capitulum generale quod si aliquis de capellanis [b] monialium nostri Ordinis cum moniali [c] vel conversa [d] nostri Ordinis deprehensus fuerit carnaliter deliquisse, ablato ei habitu, ab Ordine penitus expellatur, nec in eadem abbatia vel alibi in Ordine denuo habeat licentiam remanendi.

11. Auctoritate Capituli generalis committitur abbati Regalis montis, ut duos de monachis suis quos bonos et idoneos cognoverit, ad dominum regem Siciliae transmittat, qui monachi, auctoritate Capituli generalis, de Fossa nova et de Casaemarii [a] abbates secum associantes, de duobus monasteriis quae intendit idem dominus rex de novo fundare, quorum filiationes ad dominum abbatem Regalis montis et abbatem de Oratorio [b] pertinere dicuntur, eidem domino regi consilium impendant, ut consideratis omnibus quae secundum Deum et Ordinem consideranda occurrerint, etiam si dicto domino regi placuerit, conventum introducant auctoritate Capituli generalis. Hoc abbati de Oratorio committitur, si sibi viderit expedire.

12. Autoritate Capituli generalis iniungitur de Villari et de Valle Dei et de Valle Sancti Lamberti abbatibus ut ad abbatias monialium in dioecesi Lyornensi [1] constitutas, videlicet de Rotan [2], de Beregno [3], de Diste [4] etiam de Onste [5] personaliter accedentes, coniungant et uniant abbatiis de Linstre [6], de Arqueron [7] et de Hostes [8], prout melius viderint expedire. Rebelles et contradicentes auctoritate Capituli generalis et totius Ordinis per excom-

[c] additur : *Q*. [d] quaterno : *QVW*. [e] longitudo : *VW*. [f] abolere : *VW*. **10** : $L^1MP^1P^{10}QV$. [a] malitiosis : *V*. [b] capellanus : $L^1MP^1P^{10}$. [c] monialibus seu conversis : L^1P^1Q. [d] conversis : $L^1MP^1P^{10}Q$. **11** : $L^1MP^1P^{10}$. [a] Casamaria : $L^1P^1P^{10}$. [b] Oratione : L^1. **12-14** : P^1.

1) Leodiensi. 2) Rothem. 3) Ter Beeck, seu Becana. 4) S. Bernardus in oppido Diest. 5) Oriens. 6) Lintrense monasterium, seu Vallis virginum. 7) Argenton, vel Florida vallis apud Archennes. 8) Hocht.

municationem vel separationem ab Ordine, si necesse fuerit, compellendo.

13. Super iis quae proposita sunt Capitulo generali de abbatia de Dora in Anglia, quae dicitur in temporalibus deficere, auctoritate Capituli generalis patri abbati, videlicet Morimundensi, conceditur ut per se vel per alium ordinet in dicta abbatia secundum quod viderit expedire.

14. Item, super iis quae in visitatione Sancti Sulpicii contra abbatem eiusdem loci proposita dicuntur et Capitulo generali relata, statuit et ordinat Capitulum generale quod dictus abbas, infra Nativitatem Domini, eadem quibus agitur monasterio suo ex integro restituat, ita ut dicta domus eius super praemissis penitus indemnis habeatur ex tunc, nisi cesserit, absolvit eum Capitulum generale, et eius pater abbas depositum eumdem denuntiet auctoritate Capituli generalis a regimine abbatiae.

15. Ut parcatur laboribus et expensis, et confusio multitudinis evitetur, statuit et ordinat Capitulum generale ne aliquis abbas vadat ad Curiam, seu mittat monachum vel conversum tempore Concilii generalis. Iniungitur etiam omnibus personis ibidem existentibus, ut ad propria revertantur tempore dicti Concilii inchoante, nisi Concilio generali debeat interesse.

16. Monachi vel conversi qui violenter abstulerunt [a] abbati suo de Aqua frigida in Lombardia sigillum suum, tamquam conspiratores puniantur auctoritate Capituli generalis, et hoc ipsum pater [b] abbas viriliter exsequatur, auxilio et consilio Commensis episcopi ad hoc, si necesse fuerit, invocato ; cui super hoc scribit Capitulum generale.

17. Auctoritate Capituli generalis iniungitur abbati Salvaniensis ut ad capitulum Ruthense personaliter accedat, et eidem capitulo competenter satisfaciat si loesionem aliquam intulit modo aliquo dicto capitulo.

18. Petitio abbatis de Charreto de dispergendo conventum suum per Lombardiam, exauditur.

19. Super querela de Tribus fontibus et de Castellione abbatum contra abbatem de Ripatorio statuit et ordinat Capitulum generale quod illa pecunia, quam abbas de Ripatorio debebat Simoni Piete pro qua fideiussores erant praedicti abbates de Tri-

---

15 : $L^1MP^1P^{10}$. **16** : $L^1MP^1P^{10}$. [a] absciderunt ; *M*. [b] per abbates : L^1. **17-20** : P^1.

bus fontibus et de Castellione, tradat dictus abbas de Ripatorio dictis fideiussoribus in octava sancti Andreae dictam pecuniam cum ipse recognoverit, profitendo coram Diffinitoribus quod praedicta pecunia pro maiori parte penes se habeat, et paratus sit praedictorum Diffinitorum statuto parere in omnibus et etiam voluntatem per omnia adimplere, tali tamen conditione seu pacto quod praedicti fideiussores apud praedictum Simonem creditorem dictum abbatem de Ripatorio illaesum reddant pariter et indemnem.

20. Conceditur etiam abbati de Moris quod grangiam suam, de qua mentio facta est in Diffinitorum praesentia, distrahat ita tamen quod illa pecunia praedicti fideiussores, sicilicet de Tribus fontibus et de Castellione et de Monasterio in Argona abbates liberentur infra festum sancti Ioannis Baptistae.

21. Cum anno praeterito ad aures Capituli generalis nobilis domina Iurith querelam induxerit super abscisione capitis matris suae iam defunctae, quod a quibusdam monialibus abscissum fuisse dicatur, et auctoritate eiusdem Capituli eisdem iniunctum fuerit ut caput reddiderint memoratum, quod adhuc facere distulerunt, dicto Capitulo remanentes inobedientes et rebelles. Auctoritate [a] praefati Capituli prohibetur abbati de Asterbarch [b] [1] visitatori earum, et universis nostri Ordinis personis, ne praedictas moniales visitare audeant, quousque caput memoratum reddiderint, cum adhuc nostro Ordini incorporatae non fuerint.

22. Cum querela aures Capituli generalis pulsaverit super eo quod quidam apostata, quondam niger monachus, grangiam quamdam de Gratia Dei in Burgundia detineat et in eadem mulieres maneant, ut dicitur, in dedecus totius Ordinis et praedictae abbatiae de Gratia Dei non modicum praeiudicium et gravamen, statuit et ordinat Capitulum generale ut praedictus apostata a dicta grangia penitus expellatur, non obstantibus quibuslibet conventionibus seu pactis interpositis inter dictum monasterium et personam aliam seu personas, et hoc praecipitur abbati memorato de Gratia Dei convocato ad hoc, si necesse fuerit, auxilio brachii saecularis.

23. Super depositione abbatis Sancti Nicolai de Grunehem

21 : *MP¹W*. [a] *hic incip. MW*. [b] Astrabach : *MW*. **22-24** : *P¹*.

[1]) Heisterbach seu Vallis S. Petri.

statuit et ordinat Capitulum generale quod quondam abbas de Sichem, quondam pater suus, licet cesserit, quia examinata causa depositionis quodam dicti abbatis de Grunehem, et quia minus iuste deposuit, tribus diebus sit in levi culpa et licet per depositionem processerit contra eumdem abbatem, considerata tamen sui regiminis novitate et simplici intentione, quod causa fervoris et religionis hoc fecerit, dignum duxit Capitulum generale sibi parcere ut legibus salvatur.

Abbates vero de Lapide Sancti Michaelis et de Buc[h], quia assessores fuerunt patris abbatis in memorata depositione, quadraginta diebus sint extra stallum abbatis et sex sextis feriis sint in pane et aqua. Dictus autem abbas Sancti Nicolai depositus restituitur auctoritate Capituli generalis. Abbas vero de Porta in Allemania ipsum restituat et auctoritate Capituli generalis praedicta omnia exsequatur.

24. Cum dudum in Ordine nostro fuerit ordinatum quod nullus abbas visitaturus processum et maxime debitum visitatoris sui impediat et ad aures devenerit Capituli generalis quod abbas de Alpibus se opposuit et in Diffinitorum praesentia per testimonia idonea sit probatum et multa alia probabiliora Ordini nostro contraria de eodem abbati audiverit idem Capitulum generale, et non valens cum honestate Ordinis praedictum abbatem amplius sustinere, eumdem deponit generale Capitulum in instanti et etiam ipsum excommunicat si Ordini modo aliquo voluerit rebellare, et omnes eidem etiam adhaerentes, et hoc abbas de Stamedio ei denuntiet infra festum beati Michaelis in domo de Alpibus vel alibi ubi viderit expedire.

25. Item, abbatibus Lemovicensis dioecesis, ne accedant ad episcopales synodos, nisi causa fidei praedicationis, vel etiam si [a] episcopali debeant fungi officio, per Capitulum generale inhibetur.

26. Cum nonnumquam in relationibus, inquisitionibus et depositionibus vel aliis litterarum generibus quae sub sigillis abbatum Ordinis ad generale Capitulum deportantur manifeste saepius repertae fuerint falsificatae [a], statuit et ordinat idem Capitulum generale quod quicumque abbas scienter falsum sigillaverit vel per sigillum aliquod falsum renuntiaverit [b] generali Capitulo, deponatur.

---

25 : $L^1MP^1P^{10}T^5$. [a] si : *deest* *M*. **26** : P^1QT^5. [a] falsitates : QT^5. [b] a gen. Cap. : T^5.

27. Distributionem undecim millium librarum et quingentarum quatuor primis abbatibus a Diffinitoribus impositam approbat Capitulum generale, et eisdem praecipitur ut inviolabiliter observetur.

28. Committitur auctoritate Capituli generalis de Claromarisco et de Laude abbatibus ut diffinitionem anno praeterito editam a Capitulo generali de situ abbatiae de Acello [1] faciant inviolabiliter observari.

29. Cum anno praeterito inspectio loci de Lavahort de Claro campo et de Sancto Bernardo abbatibus commissa fuerit auctoritate Capituli generalis, et ipsi minus sufficienter rescripserint Capitulo generali, de Bodelo et de Florido campo abbatibus iterato committitur auctoritate Capituli generalis, qui ad dictum locum personaliter accedentes, consideratis omnibus quae secundum Deum et Ordinem consideranda occurrerint, etiam dictum locum incorporent Ordini si viderint faciendum, et quid inde fecerint renuntient Capitulo generali insequenti.

30. Inspectio loci quem intendit fundare comitissa Britanniae, de Begar et de Buzeyo abbatibus committitur auctoritate Capituli generalis, qui ad dictum locum personaliter accedentes, consideratis quae secundum Deum et Ordinem consideranda occurrerint, sequenti anno renuntient Capitulo generali.

31. Auctoritate Capituli generalis committitur domino abbati Claraevallis quod per se vel per alios idoneos, qui ad abbatiam de Hildera [2] personaliter accedant et super destitutione prioris de Esron, quondam abbatis dicti monasterii, et de institutione ipsius abbatis qui nunc est, diligenter inquirant et per depositionem vel alias procedant, secundum quod eisdem videbitur expedire auctoritate Capituli generalis.

32. Cum frater G. Roberth monachus Grandisylvae contra magistrum Gaufridum clericum domini regis Castellae et etiam, ut videbatur, contra abbatem suum scripserit, abbas suus de Grandisylva iniungat poenitentiam quam voluerit extra domum.

33. Super conspiratorum quorumdam revocatione de Aurea valle auctoritate Capituli generalis patri abbati, videlicet abbati de Tribus Fontibus, committitur ut de iis faciat secundum quod viderit expedire.

27-34 : *P*[1].

---

1) Axele, 1271, nº 24 ; Asella, 1272, nº 3. 2) Hilda.

34. Super depositione abbatis de Suryo in Hybernia seu compulsiva cessione, statuit et ordinat Capitulum generale quod abbas de Kyrie [eleyson] in Hybernia, qui se dicebat habere mandatum Capituli generalis, et non habuerit, cum quasi mandato de [Sancta] Cruce et de Tinterna abbates ad depositionem abbatis de Suryo indebite processerunt, dictus vero abbas de Kyrie [eleyson] si cessit, ultimus omnium sit per annum, et tribus diebus in levi culpa, si vero abbas est depositus; praefati abbates de Tinterna et de [Sancta] Cruce, quia indebite ad sententiam processerunt, quadraginta diebus sint extra stallum abbatis et decem sextis feriis hoc anno panis et aquae poenitentia puniantur ; abbas vero de Surio, per praedictos abbates depositus seu ad cedendum compulsus, restituitur auctoritate Capituli generalis, et hoc abbati Kedeney [1], auctoritate Capituli generalis, committitur exsequendum.

35. Petitio domini Portuensis, qui petit ut monasterium suum Sancti Thomae de Reate in praesenti Capitulo incorporetur Ordini, et monasterii Casae novae [a] filia habetur, et de renovatione litterarum de suo anniversario in Ordine faciendo, exauditur.

36. Petitio domini regis Castellae, qui petit ut in omnibus festivitatibus quibus fit sermo in capitulo, de eo specialis inter fundatores et amicos fiat commemoratio et uxore eius ac liberis, exauditur.

37. Item, petitio eiusdem domini regis, de nova militia Ordini nostro incorporanda, cuius paternitas ad monasterium Grandisylvae [a] pertineat, exauditur.

38. Item, petitio dicti domini regis [a], ut monachi Mariae [2] de Cartagine possint uti in processionibus cappis de serico, et diebus solemnibus, exauditur.

39. Item, petitio abbatis de Cupro qui petit semel remanere de Capitulo, exauditur.

40. Petitio abbatis Sancti Thomae de Venetia qui petit quod possit mittere monachos suos in Cretam et ibidem secundum beati

---

35 : *L¹MP¹P¹⁰*. [a] Casae marae : *M*. **36** : *L¹MP¹P¹⁰*. **37** : *L¹MP¹P¹⁰*. [a] Gradis : *L¹* ; Grandis : *P¹*. **38** : *L¹MP¹P¹⁰T⁵*. [a] qui petit quod : *P¹*. **39-47** : *P¹*.

---

[1]) Killeny, seu Vallis Dei. [2]) Leg. Militiae.

Benedicti regulam vivere valeant et secundum nostri Ordinis disciplinam...

41. Item, petitio abbatis Escalliarum, qui petit ut possit facere in domo sua anniversarium bonae memoriae domini Guidonis quondam tituli Sancti Laurentii in Lucina presbyteri cardinalis iam defuncti, exauditur.

42. Item, petitio abbatis de Monte Tyboti [1], qui petit quod fiat commemoratio in domo sua de sancto Tisboto, exauditur.

43. Item, petitio abbatis de Forsabornas [2], qui petit absolvi a susceptione hospitum per triennium, exauditur.

44. Item, petitio abbatis de Clariana, qui petit ut faciat anniversarium in domo sua patris et matris Pontii canonici de Moceto, si hoc petit de consensu conventus sui, exauditur.

45. Petitio abbatis de Bella valle qui petit absolvi a susceptione hospitum per triennium exauditur.

46. Petitio de C[h]armeya et de Sigilleriis abbatum, qui petunt ut possint cantare missam quotidianam pro rege Navarrae et uxore eius defunctis, in domibus suis, exauditur.

47. Petitio abbatis Sancti Thomae qui petit quod possit facere anniversarium domini de Palmo in domo sua, si petit de voluntate conventus sui, exauditur.

48. Petitio domini abbatis Claraevallis ut possit habere luminare coram tumba sanctis Malachiae exauditur.

49. Petitio abbatis de Caladia, qui petit absolvi a susceptione hospitum exauditur.

50. Petitio episcopi Patracensis [a] ut duo monachi et duo conversi eidem concedantur pro custodia [b] cuiusdam hospitalis, quod de novo construxit, ita ut [c] suspectae mulieres excludantur, exauditur.

51. Petitio abbatis de Quintiaco, qui petit a susceptione hospitum absolvi per triennium, exauditur.

52. Petitio abbatis de Caroloco, qui petit absolvi a susceptione hospitum per triennium, exauditur.

53. Petitio abbatis de Cupro, qui petit quod possit facere

---

48 : *L¹MP¹P¹⁰*. **49** : *P¹*. **50** : *MP¹*. [a] Patracuensis : *M* ; Pattraven : *P¹*. [b] *locus vacuus in P¹*. [c] tantum suspectae personae et mulieres : *P¹*. **51-65** : *P¹*.

---

1) Mons Sancti Disibodi. 2) Fossa nova.

festum sancti Medoni in domo sua cum duabus missis, si petit cum consensu domus suae, exauditur.

54. Petitio abbatis Sancti Mauritii, qui petit absolvi a susceptione hospitum per triennium, exauditur.

55. Petitio abbatis Septem Fontium, qui petit absolvi a susceptione hospitum per triennium, exauditur.

56. Querela abbatis de Rosea valle contra abbatem de Arvicampo, de Magio et de Ysionay [1] abbatibus committitur auctoritate Capituli generalis pace vel iudicio terminanda, et quid inde fecerint sequenti anno renuntient Capitulo generali.

57. Querela abbatis Grandisylvae contra abbatem de... *(locus vacuus)*..., de Calertio et de Bono fonte abbatibus committitur pace vel iudicio terminanda, et quid inde fecerint renuntient sequenti Capitulo generali.

58. Querela abbatis de Porta Cœli contra abbatissam de... *(locus vacuus)*... de Lucella et Pa[i]ris abbatibus committitur pace vel iudicio terminanda, et quid inde fecerint renuntient sequenti anno Capitulo generali.

59. Querela abbatis de Thela contra abbatem de Alto Christo [2], de Monte Sanctae Mariae et Boni montis abbatibus committitur, auctoritate Capituli generalis pace vel iudicio terminanda, et quid inde fecerint renuntient sequenti Capitulo generali.

60. Querela abbatis de Vauvelleya [3] contra abbatem de Vallye [4] et quosdam abbates Angliae, de Tinterna et de T[h]ama et de Bruer[n]ia abbatibus committitur, auctoritate Capituli generalis pace vel iudicio terminanda, et quid inde fecerint renuntient sequenti anno Capitulo generali.

61. Querela abbatis Vallis Sancti Lamberti contra abbatem Aureae vallis, abbatis de Signiaco auctoritate Capituli generalis committitur pace vel iudicio terminanda, et quid inde fecerit renuntiet sequenti anno Capitulo generali.

62. Committitur abbatibus de Camberone et de Claromarisco auctoritate Capituli generalis quod diffinitionem anno praeterito factam contra abbatissam et moniales de Asella [5] diligenter faciant observari, ad hoc, si necesse fuerit, abbatissam et moniales praedictas per censuram ecclesiasticam compellendo.

---

1) Killeny (?), Vallis Dei. 2) Altacrista. 3) Waverleia. 4) Whalley, vel. Netley (?), i. e. Locus S. Eduardi. 5) Cf. supra stat. 28.

63. Petitio abbatis de Aurea valle, qui petit quod possit dispergere conventum suum per triennium, exauditur.

64. Pro domino duce Hugone Burgundiae hoc anno defuncto fiat anniversarium per Ordinem universum.

65. Pro domino Papa dicatur collecta *Deus fidelium*, etc.

66. Pro [a] sanctissimo patre nostro summo pontifice Gregorio, qui petit orationes ab Ordine speciales pro se et pro bono statu Ecclesiae Dei, ut Dominus eidem domino Papae et cardinalibus ceterisque praelatis spiritum praestet consilii in instanti Consilio generali, dicatur una missa de Spiritu Sancto, et alia de beata Virgine a singulis sacerdotibus Ordinis universi, et pro ipso domino Papa dicatur collecta *Deus omnium fidelium pastor*, etc., in missa conventuali singulis diebus in loco competenti, et nomen ipsius domini Papae, videlicet Gregorius, in canone conscribatur.

67. Pro domino Portuensi cardinali nostri Ordinis promotore et conservatore ut Dominus det sibi gratiam suam et ipsum Ordini nostro conservet, dicatur una missa de Beata Virgine a singulis sacerdotibus Ordinis universi.

68. Item, pro domino rege Franciae et liberis eius, et pro bono statu regni sui et pro fratribus et sororibus eius dicatur una missa de Spiritu Sancto et alia de beata Virgine et tertia de Sancta Cruce a singulis sacerdotibus Ordinis universi.

69. Item, pro domina regina Franciae matre eius dicatur una missa de beata Virgine et alia de Spiritu Sancto, in singulis domibus Ordinis universi.

70. Item, pro domino rege Siciliae et uxore et liberis eius et pro statu terrae suae dicatur una missa de Spiritu Sancto et alia de beata Virgine, in singulis domibus Ordinis universi.

71. Item, pro rege Castellae et uxore sua et liberis, et pro statu terrae suae, qui tanto affectu et effectu univit sibi Ordinem amplexibus caritatis, et pro magistro Gaufrido, praedicti regis clerico, qui tamdiu ad promotionem Ordinis laboravit, dicatur una missa de Spiritu Sancto, altera de beata Virgine, tertia de Sancta Cruce, in singulis domibus Ordinis universi.

72. Pro rege Arragoniae et eius liberis dicatur una missa de Spiritu Sancto, in singulis domibus Ordinis universi.

---

66 : $L^1MP^1P^{10}$. [a] *Apud* MP^{10} *statuta* 66, 71, 72, 73, 74 *sub una et breviori formula leguntur.* **67-80** : P^1.

73. Pro rege Angliae et uxore eius et liberis eorumdem, et pro bono statu terrae suae, dicatur una missa de Spiritu Sancto, in singulis domibus Ordinis universi.

74. Item, pro duce Burgundiae et matre sua et uxore, et pro bono statu terrae suae dicatur una missa de Spiritu Sancto, et alia de beata Virgine a singulis sacerdotibus Ordinis universi.

75. Item, pro Cabilonensi, Tholosonensi, Spirensi et Agrinensi episcopis dicatur una missa de Spiritu Sancto, in singulis domibus Ordinis universi.

76. Item, pro comite Britanniae et uxore eius et liberis eorumdem dicatur una missa de beata Virgine, in singulis domibus Ordinis universi.

77. Item, pro comitissa Flandriae et eius liberis dicatur una missa de beata Virgine, in singulis domibus Ordinis universi.

78. Item, pro domino duce Burgundiae hoc anno defuncto fiat anniversarium per Ordinem universum.

79. Item, pro domino rege Angliae Henrico dicatur una missa pro defunctis in singulis domibus Ordinis universi.

80. Item, pro magistro Ioanne de Livron quondam canonico Valen[tinensi] defuncto dicatur una missa pro defunctis in singulis domibus Ordinis universi; huic missae associatur ipse Lausannen[sis] et in aliis suffragiis Ordinis universi, et prior Sancti Stephani de Gravier aliis suffragiis universis.

81. Auctoritate Capituli generalis iniungitur abbati de Valle regis ut pro duobus monachis sibi missis causa dispersionis et triginta libris suo tempore non solutis, ut dicebatur [a], in domo sua tribus diebus poenitentiam [b] peragat levis culpae.

1274

Anno [a] Domini millesimo ducentesimo septuagesimo quarto statuta sunt haec apud Cistercium in Capitulo generali.

1. Quoniam exigentibus peccatis populi christiani tam longo tempore extitit Terra sancta in manibus paganorum, et illa loca devotissima quae Dominus Iesus Christus, et gloriosissima [a]

---

81 : *MP*[1]. [a] dicitur : *M*. [b] poenam : *M*.

1274. [a] *Titulus apud P*[1]*QV tantum.* **1** : *L*[1]*MP*[1]*P*[10]. [a] gloriosa : *M*.

mater [b] virgo Maria [c] deifica praesentia multipliciter decorarunt [d], ab infidelibus est [e] vituperabiliter pertractata [f], ut Deus per suam misericordiam succurrat [g] populo christiano et dictam Terram sanctam restituat sacro cultui suo, statuit et ordinat Capitulum generale quod psalmus *Deus venerunt gentes*, cum versu *Exurgat Deus*, etc., et collecta *Deus qui admirabili providentia*, ad missam conventualem more solito dicatur per Ordinem universum, et in missa conventuali quoties nominatur nomen Domini nostri Iesu Christi inclinetur humiliter a conventu, secundum quod dominus Papa constituit in Concilio generali.

2. Auctoritate Capituli generalis praecipitur ut abbates et conventus [a] qui habent duo loca ad manendum, ut [b] altero illorum [c] quem maluerint contenti sint et [d] ab alio [e] penitus abstineant [f].

3. Item, fratribus Ordinis [a] de Carmelo conceditur auctoritate Capituli generalis, ut nullus de Ordine eorum in nostro Ordine recipiatur in posterum quoquomodo.

4. Auctoritate Capituli generalis permittitur [a] abbatibus ut in grangiis et in cellariis Ordinis [b] conversos et servientes in [c] ipsorum praesentia faciant comedere, si voluerint, diffinitione aliqua in contrarium edita non obstante.

5. Item, cum statutum sit [a] ab antiquo ut nullus post Completorium bibere audeat, praecipitur auctoritate Capituli generalis ne quis post Completorium frequentibus potationibus uti audeat, et si quis in praemissis excesserit, poenitentiam peragat levis culpae; alioquin ipso facto suspendatur, donec poenitentiam peregerit supradictam.

6. Item, diffinitio edita anno praeterito quae sic incipit : Cum super illo pessimo vitio, etc., statuit et ordinat Capitulum generale quod non tantum futura respiciat, sed ad praeterita referatur et qui [a] iam [b] pro vitio huiusmodi sunt carceri mancipati in eodem sint [c] carcere [d] usque ad ultimum vitae suae.

7. Abbates qui propter infirmitates continuas et incurabiles

---

[b] sua : L^1P^1. [c] sua : L^1P^1. [d] decoravit : L^1. [e] fuit : P^1. [f] perturbata : L^1P^{10}. [g] parcat : $L^1P^1P^{10}$. **2** : $L^1MP^1P^{10}Q$. [a] *deest* Q. [b] et : L^1 ; ex : Q. [c] *deest* Q. [d] ut : M. [e] in posterum : $P^{10}Q$. [f] abstinentes : Q. **3** : $L^1MP^1P^{10}Q$. [a] omnibus : P^{10}. **4** : $L^1MP^1P^{10}Q$. [a] praecipitur : $L^1MP^1P^{10}$. [b] suos : Q. [c] in sua : Q. **5** : $L^1MP^1P^1QV$. [a] fuerit : L^1P^1. **6** : P^1QVW. [a] *hic incip.* VW. [b] prius : V. [c] semper maneant : VW. [d] diffinitione an. praet. in suo robore permanente : VW. **7** : $L^1MP^1P^{10}V$.

per biennium remanserint a Capitulo generali, praecipitur auctoritate dicti Capituli patribus abbatibus ut ipsi, domibus sic destitutis et dispendiis earum, secundum Deum et conscientias suas provideant, aut per amotionem, vel alio modo iusto et debito prout viderint expedire.

8. Item, auctoritate Capituli generalis praecipitur in virtute obedientiae ut abbates [a] qui celant alios abbates qui remanent a dicto Capitulo, anno et tempore quo debent venire, poenitentiam agant in diffinitionibus [b] constitutam, distinctione quinta [c], capitulo undecimo, quae sic incipit : Abbates [d] qui ad Capitulum generale non venerint, etc.

9. Item, diffinitionem editam contra illos qui bis [a] exierunt ad saeculum sic temperat Capitulum generale, quod si eligantur, seu postulentur in abbates, si sint bonae vitae et honestae conversationis, cum illis poterit Capitulum generale, si voluerit [b], dispensare, et [c] viderit expedire, cum pater proprius dispensationem huiusmodi [d] postulandam duxerit.

10. Item [a], cum olim, abbatibus ad Capitulum generale secum monachos adducentibus, poenitentia inflicta fuerit prout diffinitio edita anno Domini MCCLVIII quae sic incipit : Cum effrenatam multitudinem, etc., praecipitur a Capitulo generali abbatibus universis qui secum hoc anno monachos adduxerunt, vel in posterum adduxerint, ut infra quindenam postquam abbatias suas intraverint, tribus diebus levis culpae poenam peragant, uno eorum in pane et aqua ; alioquin quousque dictam poenitentiam peregerint, ab officio suspendantur.

11. Item, auctoritate Capituli generalis [statuitur] ut abbatiae [a] de Hibernia ad priorem paternitatem redeant, et patres antiqui abbatias [b] suas visitent more solito antiquitus observato, dispositione, ordinatione, vel diffinitione [c] aliqua super hoc edita non obstante.

12. Item, cum [a] praesenti tempore Ordo multam [b] patiatur penuriam conversorum, et ipsos conversos maioribus [c] et honestioribus negotiis deceat occupari, permittitur auctoritate Capituli generalis ut qui voluerint in coquinis per servientes laicos

---

8 : *MP¹QV*. [a] *hic incip. M.* [b] disinctionibus : *M.* [c] 6° : *V.* [d] *hic desin. V.* **9** : *L¹MP¹P¹⁰Q.* [a] *deest M.* [b] *deest Q.* [c] secundum quod : *Q.* [d] videbit : *P¹.* **10** : *MP¹Q.* [a] *paulo aliter apud M.* **11** : *L¹MP¹P¹⁰.* [a] *hic incip. M.* [b] filias : *P¹P¹⁰.* [c] defensione : *L¹.* **12** : *L¹MP¹P¹⁰QV.* [a] cum in : *Q.* [b] multum : *M.* [c] *deest Q.*

non suspectos, sed bonae famae et conversationis honestae [d], sibi faciat deservire [e].

13. Item, cum abbates filii Accubatiae [a] qui diu est ad Capitulum generale non venerunt, nec se legitime excusaverunt, et de hoc constat per patrem abbatem, deponantur auctoritate Capituli generalis.

14. Item, cum sanctissimus pater summus Pontifex hoc anno generale Concilium in Lugduno duxerit celebrandum pro bono statu universalis Ecclesiae sanctae Dei, et ob hoc oportuerit dominum Cisterciensem, et aliquos coabbates suos ad hoc specialiter vocatos [a] nomine totius Ordinis magnas expensas facere, tum propter dictum Concilium, tum propter defensionem libertatum Ordinis in eodem Concilio [1], quas libertates major pars praelatorum ibidem existentium totis viribus impugnabant, et etiam cum multa servitia pro praemissis expeditis in parte [b] et feliciter expediendis facta sint, et restent adhuc facienda maiora, statuit et ordinat Capitulum generale ut summam cuilibet a patre abbate impositam, usque ad feriam quintam infra octavam Paschae, patribus abbatibus solvere non omittant; alioquin illos qui solvere distulerint, ex tunc a die praefixa ipsos excommunicat auctoritate Capituli generalis, et eosdem auctoritate eadem patres abbates per se vel per alios excommunicatos denuntient, et in ipsorum monasteriis conventus abstineat a divinis; nihilominus si ipsam pecuniam sub usuris recipere [c] contigerit, dicti abbates qui ad diem praefixam solvere omiserint, ad dictas usuras et interesse pariter teneantur, et apud Barrum apportent.

15. Item, cum clamosa insinuatio [a] aures propulsaverit Capituli generalis, quod abbatia Bonae vallis ritum et morem vivendi seu computandi de receptis et expensis, et disciplinam Ordinis aliquam non observent, nec servaverit [b] per tempora longiora, secundum formam laudabilem hactenus in aliis abbatiis Ordinis [c] observatam, et ex hoc per patrem abbatem et plures abbates alios Capitulo facta fuerit plena fides, et propter hoc dicta do-

---

[d] *deest Q.* [e] deserviri : $L^1P^1P^{10}$; servire : *V.* **13** : MP^1. [a] de quibus constat : *M.* **14** : $L^1MP^1P^{10}$. [a] convocatos : L^1P^{10}. [b] *deest M.* [c] recipi : P^1. **15** : $L^1MP^1P^{10}Q$. [a] de receptis... *etc* : $L^1MP^1P^{10}$. [b] observaverit : *Q.* [c] *deest Q.*

---

[1] Cf. Ioannis Lemovicensis « *Arenga coram domino papa et cardinalibus....* » in ms. 1534 biblioth. public. civit. Trecensis.

mus ad tam miserabilem statum devenerit et occasum [d], quod nec debeat [e] visitare alios, qui se ipsam visitare et regere non cognovit; et cum filius non potest aliud [f] facere nisi quod patrem viderit facientem, ordinat et diffinit Capitulum generale ut filiae immediatae dictae [g] abbatiae Bonae vallis per abbates Vallis magnae et Mansiadae visitentur auctoritate Capituli generalis, videlicet per quemlibet [h] ipsorum medietas ipsarum [i] filiarum, ita quod per hoc patri abbati nullum in posterum praeiudicium generetur, et ipsi rubore perfusi, ad vivendi formam in Ordine hactenus observatam, approbatam et laudabilem redeant [j]; et cum constiterit evidenter [k], dictus vero abbas Bonae vallis, de Valle magna et de Mansiade more solito visitet tamquam pater.

16. Fratrem Henricum monachum de Bythusin [a] [1] excommunicatum a patre abbate, cuius sententia a Capitulo generali confirmata extitit, qui hac [b] laborans in extremis absente proprio abbate a priore [c] dicti loci de Bythusin, humiliter absolvi petiit, qui ipsum absolvit a dictis sententiis quantum potuit, absolutionem huiusmodi approbat et confirmat Capitulum generale, maxime cum signa contritionis et poenitentiae manifeste [d] apparuerint in eodem [e].

17. Cum abbas Armentariae coram rege Castellae abbatem Vallis viridis in iudicium traxerit, contra [a] iuris ordinem et nostri Ordinis instituta, et [b] cum de hoc per abbatem de Palatiolis, Mathaplanae et Bonae vallis facta fuerit plena fides, non valens [c] Capitulum generale tantum excessum et tantam praesumptionem et audaciam tolerare, eumdem abbatem Armentariae [d] deponit [e] in instanti, et etiam ipsum excommunicat, si Ordini et sententiae voluerit modo aliquo rebellare, et omnes adhaerentes eidem [f]; et hoc abbas Sancti Prudentii ei denuntiet infra mensem, postquam ad propriam venerit abbatiam, et dictum abbatem et conventum compellat auctoritate Capituli generalis ad reddendum et restituendum pecuniam abbati Vallis viridis,

---

[d] *deest Q.* [e] deceat : *Q.* [f] aliter : *Q.* [g] dictae abbatiae Bonae vallis : *deest Q.* [h] quodlibet : *M.* [i] dictarum : *Q.* [j] et observent ; et hoc tamdiu faciant donec de emendatione Bonae vallis... *Q.* [k] *deest MQ.*
16 : MP^1W. [a] Bilthusin : *W.* [b] se : *M.* [c] *deest M.* [d] maximae : *M.* [e] *brevius apud W.* **17** : $L^1MP^1P^{10}T^5$. [a] iurisdictionem : T^5. [b] et cum de... plena fides : *deest* T^5. [c] volens : L^1P^{10}. [d] Armentariae... ipsum : *deest* T^5. [e] idem Capitulum : P^1P^{10}. [f] eidem, etc. : *sic desin.* T^5.

---

[1]) Bildhusium.

quae per sententiam dicti regis Castellae taliter est extorta; et si sententiae dicti Capituli humiliter voluerit obedire, dictus abbas Sancti Prudentii ipsum a sententia excommunicationis, quam incurrit ipso facto, absolvat auctoritate Capituli generalis.

18. Cum bonae memoriae dominus Guido presbyter cardinalis titulo Sancti Laurentii in Lucina, ex gratia speciali concesserit et permiserit, quod mulieres in terra legationis suae domos et claustra monachorum Ordinis nostri intrent pro suae libito [a] voluntatis, inhibetur auctoritate Capituli generalis ne gratia huiusmodi uti audeant, nec praesumant [b] in terra legationis praedictae.

19. Auctoritate Capituli generalis praecipitur abbati de Albis Petris ut in sequenti Capitulo secum afferat omnia instrumenta quae habet super domo Lem..., redditibus et rebus aliis datis et assignatis abbatibus Lemovicensis dioecesis venientibus ad synodos episcopales bis in anno super quo Capitulo generali dicti abbates Lemovicensis dioecesis sunt generali Capitulo pluries conquesti, ut quod iustum fuerit a dicto Capitulo decernatum, et interim dictus abbas de Albis Petris praedictos redditus colligat et conservet.

20. Auctoritate Capituli generalis praecipitur Caraevallis abbati Mediolanensis dioecesis ut abbatem de Cornu, qui monachus fuit Caraevallis et professus, et assumptus de Capitulo in abbatiam de Cornu [1], ipsum recipiat idem abbas in suum monachum, si infra instans festum sancti Andreae regimini cesserit abbatiae, alioquin auctoritate dicti Capituli noverit se suspensum.

21. Committitur auctoritate Capituli generalis abbatibus de Sancta Cruce in Austria, tam in capite quam in membris, et de Cicador [2], et de Runa [a], ut in Hungaria ad abbatias Ordinis personaliter accedentes, diligenter inquirant et attendant qualiter ibidem ordo et religio observetur, cum in multis Ordo in illis partibus exorbitare dicatur, et de personis Ordinis plura inconvenientia fuerint Capitulo generali nuntiata; et quid super hoc invenerint, sequenti anno per suas patentes litteras fideliter referant Capitulo generali; et si in his exsequendis omnes interesse nequiverint, duo nihilominus exsequantur. Abbatiae vero

---

18 : $L^1MP^1P^{10}QT^5$. [a] licito : P^1P^{10}. [b] *deest Q*. **19** : P^1. **20** : MP^1.
21 : MP^1W. [a] Rinea : *M*.

---

1) S. Stephanus de Cornu. 2) B. M. de Czikador.

de quibus inquirentur, de expensis inquisitoribus provideant competenter.

22. Cum frater Ioannes quondam abbas Ieripontis [a] quamdam summam pecuniae a dicta abbatia repetat per iudicem saecularem, contra iuris ordinem et Ordinis instituta, de Voto et de Sancta Cruce abbatibus praecipitur auctoritate Capituli generalis, ut dictum monachum moneant firmiter et efficaciter inducant, ut ab instantia saecularis iudicii contra dictam abbatiam Ieripontis cesset penitus et desistat ; et si [b] vero monitioni dictorum abbatum parere noluerit monachus supradictus, ipsum excommunicatum denuntient auctoritate Capituli generalis, et denuntiari faciant in omnibus abbatiis Ordinis nostri dioecesis Casselen[sis] [c] et dioecesis Dublinensis, in qua dioecesi dictus monachus facit residentiam personalem.

23. Cum abbas de Kyrie [eleison] anno praeterito per litteras quorumdam abbatum Ordinis nostri accusatus fuerit et denuntiatus Capitulo generali super quibusdam intolerabilibus, propter quae ipsum absolvimus a regimine abbatiae, et ipse hoc anno per litteras quorumdam abbatum et testimonio fide dignorum innocens repertus fuerit in praemissis, eumdem abbatem in instanti restituit Capitulum generale, et de Mellifonte et de Dublina abbatibus committitur auctoritate Capituli generalis, ut dictam restitutionem exsequantur, et contra accusatores dicti abbatis diligenter inquirant, et eos puniant secundum quod eis videbitur expedire.

24. Cum abbas et conventus Rivi Sanctae Mariae, quondam filii abbatiae Hersindentae [a] [1], propter monasteriorum distantiam ad paternitatem abbatiae de Reinevel [b] [2] se transtulerint, pacto et conditione centum marcharum intervenientibus, quod simoniacum esse dubitatur ; abbati de Campo praecipitur ut auctoritate Capituli reddi faciat dictas centum marchas cui debentur, et filiationem dicti monasterii Rivi Sanctae Mariae abbati et monasterio Hersidentae [c] restituat, tamquam patri, et cum abbatibus [d] si occasione contractus sententiam aliquam incurrerint, auctoritate Capituli generalis [e] dispenset.

---

22 : *MP*[1]. [a] de Geriponte : *P*[1]. [b] si vero monitioni ipsorum : *M*. [c] *deest M*. **23** : *MP*[1]. **24** : *MPW*. [a] Bisudense : *P*[1] ; Harswinthusen : *W*. [b] Reineval : *M*. [c] de Hersuidens : *P*[1]. [d] abbate... incurrerit : *M*. [e] potestas conceditur dispensandi : *P*[1].

---

[1]) Hardenhusium. [2]) Reinfeld.

25. Cum clamor execrabilis super excessibus enormibus et horribilibus fratris Ioannis monachi de Bello prato aures propulsaverit Capituli generalis, nec non multa alia detestabilia contra Ordinis nostri formam in animae suae periculum, committendo districte praecipit Capitulum generale ut dictus Ioannes nullum officium exsequatur, nec de claustro exeat nisi cum fratribus ad laborem, nec equitet in futurum absque licentia Capituli generalis. Abbati vero et omnibus officialibus dictae domus inhibet Capitulum generale ne dicto monacho contra praemissa licentiam aliquam audeant concedere vel praesumant. Si vero dictus monachus suae salutis immemor aliquod membrum dictae abbatiae occupaverit, vel eidem abbatiae aliquod damnum intulerit, pater abbas per se ipsum vel per alium ipsum excommunicet et excommunicatum denunciari faciat per totam dioecesim et per vicinas abbatias nostri Ordinis, auctoritate Capituli generalis. Si vero in tali statu abbatiam violenter intraverit, quamdiu ibi fuerit divinae laudis organa suspendantur.

26. Cum gravis et taediosa frequenter de Tribus Fontibus, de Monasterio in Argona et de Castellione abbatum querela aures Capituli generalis propulsaverit, super eo quod de Ripatorio et de Moris abbates ipsos a fideiussione, quae pro dictis abbatibus et monasteriis eorumdem Simoni dicto Piete tenentur iamdiu ei obligati, auctoritate [a] Capituli generalis in virtute obedientiae, sub poena suspensionis districte praecipitur de Moris et de Ripatorio abbatibus ut infra instantem Nativitatem Domini a dicta fideiussione praefatos abbates ex toto liberent, alioquin ex tunc suspenduntur ab officiis et in suis monasteriis auctoritate Capituli generalis, divina nullatenus celebrentur donec, etc.

27. Ad petitionem reverendi patris domini Cassellensis archiepiscopi conceditur abbatibus Hiberniae ut, si voluerint, liceat eis facere festum sancti Patricii cum duabus missis et fiat [a] de eo per omnia sicut de sancto Martino. Iidem vero abbates festum principale ecclesiae cathedralis quilibet in sua dioecesi facere teneatur, sicut in diffinitionibus continetur.

28. Cum frater Petrus quondam abbas de Alpibus inobediens extiterit sententiae Capituli generalis, volens Capitulum ad praesens misericorditer procedere contra eum, cum ipse emendatio-

---

25 : *P*[1]. **26** : *MP*[1]. [a] *hic incipit M.* **27** : *MP*[1]. [a] fiat : *deest M.*
28-38 : *P*[1].

nem suorum promittat excessuum, sententiam anno praeterito latam contra eum confirmat et approbat Capitulum generale cum de iure Ordinis posset procedi acrius contra eum.

29. Querela abbatis Vallis Sancti Lamberti contra abbatem Aureae vallis, de Signiaco et de Valle regis abbatibus committitur auctoritate Capituli generalis pace vel iudicio terminanda, et quid inde fecerint sequenti anno renuntient Capitulo generali.

30. Querela abbatis de Charitate contra abbatem de Alpibus, de Bethania et de Monte Sanctae Mariae committitur auctoritate Capituli generalis pace vel iudicio terminanda, et quid inde fecerint, etc.

31. Querela abbatis de Hultone [1] contra abbatem de Deulacesse [2], de Coquessalle [3] et de T[h]ama et de Monte Sanctae Mariae [abbatibus] committitur auctoritate Capituli generalis pace vel iudicio terminanda, et quid inde fecerint, etc.

32. Querela abbatis de Thela contra abbatem de Alpibus, de Alta Crista et de Alta ripa abbatibus committitur in plenaria Ordinis potestate pace vel iudicio terminanda, et quid inde fecerint, etc.

33. Querela abbatis de Brondelo contra abbatem de Castaneola, de Strata et de Sancto Sembo [4] abbatibus committitur auctoritate Capituli generalis pace vel iudicio terminanda, et quid inde fecerint, etc.

34. Querela abbatissae de Esclenchia [5] contra abbatem Bellae aquae, de Bona aqua et de Valle honesta abbatibus committitur auctoritate Capituli generalis pace vel iudicio terminanda, et quid inde fecerint, etc.

35. Querela abbatis Vallium Sarnay contra abbatissam de Portu regio, de Brolio et de Regali monte abbatibus committitur auctoritate Capituli generalis pace vel iudicio terminanda, et quid inde fecerint, etc.

36. Querela abbatis de Bodelo contra abbatissam de Felines [6], de Valcellis et de Capella in Flandria abbatibus committitur auctoritate Capituli generali pace vel iudicio terminanda, et quid inde fecerint, etc.

37. Querela abbatis de Trizagio contra abbatem de Morellia [7], de Bona valle in Pictavia et de Valentia abbatibus committitur

---

1) Hilton. 2) Dieulacresium. 3) Cogeshala. 4) S. Severo. 5) Esclasia. 6) Flinae. 7) Moroliae.

auctoritate Capituli generalis pace vel iudicio terminanda, et quid inde fecerint, etc.

38. Querela fratris Mathei monachi Cisterciensis contra abbatem Ursicampi committitur abbati Claraevallis auctoritate Capituli generalis ut ipse inde faciat quod sibi videbitur expedire.

39. Petitio abbatis de Valni Villario [a] [1] de campanili lapideo faciendo, cum propter ventorum impetum periculosum sit in illa abbatia facere ligneum campanile, exauditur, dummodo quantitatem et formam debitam contra simplicitatem Ordinis non excedat.

40. Petitio illustris domini ducis Lotharingiae, qui petit sibi concedi fratrem Walterum conversum de Stulcebrune [a] [2], exauditur dummodo dictus conversus officiis honestis deputetur.

41. Petitio dominae comitissae Flandriae, quae petit quod habeat moniales secum de diversis abbatiis, exauditur.

42. Petitio abbatis Igniaci [3], qui petit dici unam missam quotidianam pro rege Navarrae defuncto exauditur, si de conventus sui processerit voluntate.

43. Petitio de Sylvano et de Hirs et de Hybernia abbatum qui citra mare infirmitate detenti non potuerunt venire ad Capitulum, et ideo petunt ut excusentur ac si praesentes fuissent, exauditur.

44. Petitio abbatis de (H)eberbac, qui petit quod conversi in domo sua recipiantur, exauditur in hunc modum quod decem tantummodo recipiantur usque ad adventum visitatoris, et tunc visitator taxet ibidem numerum personarum secundum quod videbitur sibi expedire.

45. Petitio abbatis de Dobran [a], qui petit uno anno remanere a Capitulo generali ut aliorum abbatum societatem habeat, exauditur.

46. Petitio abbatis de B[r]unebach qui petit absolvi a susceptione hospitum per triennium, exauditur, dummodo prius conventus ad domum propriam revocetur.

39 : *L¹MP¹P¹⁰T⁵W*. [a] Vallium Villario : *MW* ; Vallim Villario : *P¹⁰* ; Longi Villaris : *T⁵*. **40** : *MP¹W*. [a] Sturceburne : *MW*. **51** : *L¹MP¹P¹⁰W*. **42** : *MP¹*. **43** : *P¹*. **44-46** : *MP¹W*. [a] Dobian : *M*.

[1]) Werneri Villerium. [2]) Sturzelbrunna. [3]) Leg. forsan Irancium, in Navarra.

47. Petitio facta pro monialibus de Clara Stella exauditur in hunc modum, videlicet quod si aliquae abbatissae Ordinis nostri eas voluerint recipere, recipiant de licentia Capituli generalis.

48. Petitio illustrissimae dominae reginae Alemanniae quae petit duos monachos vel [a] duos conversos de Ordine, exauditur, dummodo honestis officiis deputentur.

49. Petitio abbatis de Sancto Prudentio qui petit ut tres colectae dicantur a tribus sacerdotibus, videlicet [a] a quolibet una, pro eo qui aedificat ecclesiam suam, exauditur, si de conventus sui processerit voluntate.

50. Petitio abbatis Claraevallis qui petit ut sermones beati Bernardi legantur in vigiliis sancti Malachiae in domo propria, exauditur.

51. Petitio reverendi patris domini episcopi Tusculani, qui petit quamdam abbatiam monialium incorporari Ordini nostro, ob devotionem quam habet ad nostrum Ordinem exauditur, et sit filia Alcubatiae.

52. Petitio abbatissae Sancti Nicolai in Austria, quae petit quod possit habere aliquas moniales in quadam civitate ad conservandam quamdam [a] domum suam, ad quam confugiunt aliquando propter paganos et comanos, exauditur, ita tamen quod conventus continue non moretur ibidem.

53. Petitio de Lubens [1] et de Coprevinte [2] abbatum in Polonia qui petunt ut semel a Capitulo remaneant ea vice qua tenentur pro eo quod venientes nunc ad Capitulum circa Morimundum infirmi remanserunt, exauditur.

54. Petitio abbatis de Benedictione Dei in Vasconia quod in domo sua fiat anniversarium comitis Convenarum, exauditur, si de conventus sui processerit voluntate.

55. Auctoritate Capituli generalis praecipitur de Mellifonte et de Brime [3] abbatibus ut ad abbatiam de Surio personaliter accedentes, de statu abbatis diligenter inquirant, et quae super statu dicti abbatis invenerint per suas patentes litteras sequenti

---

47 : *P*¹. **48** : *L*¹*MP*¹*P*¹⁰*W*. [a] et : *MW*. **49-50** : *L*¹*MP*¹*P*¹⁰. [a] quilibet unam pro illo qui : *P*¹. **51** : *P*¹. **52** : *L*¹*MP*¹*P*¹⁰*W*. [a] quamdam... comanos : *deest MW*. **53** : *P*¹. **54-55** : *MP*¹. [a] *hic desin M*.

---

1) Luba. 2) Clara provincia. 3) Bective, i. e. Beatitudo.

anno fideliter renuntient Capitulo generali. Abbas vero de Sancto Salvatore hoc eis denuntiet.

56. Petitio domini Casselensis archiepiscopi, quod anniversarium patris et matris suae fiat in domibus Ieripontis et de Rupe Casselensi, quas ipse et progenitores sui fundaverunt, exauditur, si de abbatum et conventuum dictarum domorum processerit voluntate [a]. His anniversariis associatur dominus Clemens, miles defunctus. Eidem domino archiepiscopo conceditur anniversarium suum faciendum post obitum suum, in abbatiis Ordinis per Hiberniam, si placuerit abbatibus et conventibus huius dictae terrae.

57. Inhibetur auctoritate Capituli generalis abbati de Accubatia et ceteris personis domus suae, ne in domibus ipsius abbatiae recipiantur aliquae in sorores, cum propter earum consortium posset bona fama minui et etiam scandalum generari.

58. Auctoritate Capituli generalis committitur de Dalone et de Petrosa abbatibus ut diligenter inquirant in quantum abbatia de Buscanio in contractu inito inter abbatem dictae abbatiae et patrem abbatem sit decepta, et si invenerint dictam abbatiam esse deceptam, compellant dictum patrem abbatem auctoritate Capituli generalis ut praedictas grangias dimittat abbatiae praedictae, et ne quis de cetero similia audeat attentare districtius inhibet Capitulum generale, et quid inde fecerint, etc.

59. Cum frater Petrus, etc. ad longum ut habetur decreto huius praesentis anni 28.

60. Inspectio loci ad quem petit dominus archiepiscopus Casselensis abbatiam de Beatitudine transferri, de Mellifonte et de Dublinia abbatibus committitur auctoritate Capituli generalis, qui ad locum personaliter accedentes, consideratis omnibus quae secundum Deum et Ordinem consideranda occurrerint, de voluntate abbatis et conventus dictae abbatiae faciant super translatione huiusmodi sicut eis videbitur expedire.

61. Inspectio loci in quo intendit fundare abbatiam illustris dominus rex Cornubiae abbatiam monachorum, de Fo[r]da, de T[h]ama et de Hebs [1] abbatibus committitur auctoritate Capituli generalis, ut ad locum personaliter accedentes, consideratis

56-61 : *P*[1].

[1]) Hayles.

quae secundum Deum et Ordinem consideranda occurrerint, sequenti anno quod invenerint per se vel per alios renuntient Capitulo generali.

62. Inspectio loci ad quem se transferri petunt abbatissa et conventus de Camera Sanctae Mariae in Zelandia, abbatibus de Dunis et de Capella committitur, *etc.*, *ut supra*, *n*° 60.

63. Inspectio abbatiae monachorum quam fundavit, ut dicitur, Guorionorgulla [1] de Galevegier, domina de Balliolo, de Olcontran [2] et de Glenlus [3] abbatibus committitur auctoritate Capituli generalis, qui ad dictam abbatiam personaliter accedentes, pensatis omnibus quae secundum Deum et Ordinem pensanda occurrerint, Ordini incorporent et illuc introducant conventum, si videbitur expedire, non expectata ulterius licentia Capituli generalis, etc., et sit filia de Dondrans [4]. Abbas vero de Olcontran hoc denuntiet abbati de Gleulnus exsequendum, et quid inde fecerint sequenti anno renuntiet Capitulo generali.

64. Inspectio loci ad quem debet abbatia monialium de Consilio transferri, de Porta Coeli et de Aurora abbatibus committitur auctoritate Capituli generalis, qui ad locum personaliter accedentes, pensatis omnibus quae secundum Deum et Ordinem pensanda occurrerint, faciant quod viderint expedire, et quid inde fecerint, etc.

65. Inspectio abbatiae monialium quam fundavit nobilis domina ducissa Britanniae, de Claromonte et de Ponte Oltranni abbatibus committitur auctoritate Capituli generalis qui ad dictam abbatiam personaliter accedentes, pensatis omnibus quae secundum Deum et Ordinem sunt pensanda, Ordini incorporent et illuc introducant conventum si viderint expedire, non expectata ulterius licentia Capituli generalis, et quid inde fecerint, etc.

66. Pro sanctissimo patre nostro summo Pontifice [qui petit] ex intimo cordis affectu, orationes ab Ordine speciales pro se, pro bono statu Ecclesiae generalis, et ut Dominus conservet ipsum Ordini per tempora longiora et Ecclesiae suae sanctae, et ut det ei successus prosperos et felices, dicantur tres missae: prima de Spiritu Sancto, secunda de beata Virgine, tertia de Sancta Cruce a singulis sacerdotibus Ordinis universi, et oratio-

---

62 : *MP*¹*W*. **63-65** : *P*¹. **66-67** : *L*¹*P*¹*P*¹⁰.

---

1) Dervogilla, vidua Alani, Galweiae comitis. 2) Holm Cultram.
3) Glenluce, seu Vallis lucis. 4) Dundrainan.

nibus iniunctis pro ipso anno praeterito additur, ut in horis beatae Mariae Virginis dicatur pro ipso collecta : *Deus fidelium*, etc., a singulis personis, tam monachis et monialibus Ordinis universi, et pro defunctis praedecessoribus suis, romanis Pontificibus, dicantur tres missae pro defunctis a singulis sacerdotibus Ordinis universi.

67. Pro reverendis patribus specialissimis Ordinis nostri defensoribus, domino Portuensi, domino Praenestino, domino Guillelmo, domino Huberto [a], domino Gothefrido, necnon pro ceteris Ecclesiae romanae cardinalibus, qui petierunt orationes pro se fieri speciales : duae missae dicantur, una de Spiritu Sancto et alia de beata Virgine a singulis sacerdotibus Ordinis universi. Insuper cardinalium cuilibet praedictorum, post eorumdem obitum, conceditur plenarium servitium per Ordinem universum, et super hoc habeant, qui habere voluerint, litteras, auctoritate Capituli generalis praesentandas [b] cardinalibus supradictis.

1275

Anno [a] Domini millesimo ducentesimo septuagesimo quinto statuta sunt haec apud Cistercium [b] in Capitulo generali.

1. In primis, cum quaestio mota fuerit in Capitulo generali, quid importet suspensio, ordinat [a] et diffinit Capitulum generale quod quicumque suspenditur tantummodo ab officio altaris abstineat, donec cum ipso fuerit dispensatum [b], sicut in isto Capitulo fuit alias ordinatum [c].

2. Item, diffinitio anno praeterito edita de illis qui bis exierunt ad saeculum, si postularentur et eligerentur in abbates, quae sic incipit : Diffinitionem editam, etc., penitus revocatur, diffinitione olim edita in suo robore permanente [a].

3. Item, cum clamosa et taediosa insinuatio aures propulsaverit Capituli generalis quod multi abbates per triennium et amplius non venerunt ad Capitulum, nec se legitime excusaverunt, patribus abbatibus in virtute sanctae obedientiae praecipitur

[a] [Uberto] : L^1. [b] *deest* P^{10}.

1275. [a] *Titulus apud* P^1QV *tantum*. [b] tempore Cap. gen. : *V*. **1** : $L^1MP^1P^{10}QV$. [a] declarat Capit. sic : quicumque : *V*. [b] *hic desin*. *V*. [c] diffinitum : L^1. **2** : $L^1MP^1P^{10}VW$. [a] *brevius apud VW* : Qui bis apostataverint ineligibiles sint amodo in abbates. **3** : MP^1Q.

firmiter et districte quod, in visitationibus diligenter inquirant causas propter quas remanserunt, et quorum causas insufficientes invenerint, hos ex tunc deponit Capitulum generale, ipsos a regimine abbatiarum absolutos denuntient auctoritate Capituli generalis [a], nec praesumat aliquis de cetero accipere veniam pro aliquo conspiratore revocando [b].

4. Item, cum contineatur in Carta Caritatis, quod in qualibet abbatia duodecim monachi cum abbate decimo tertio debeant interesse, et multi abbates praetextu paupertatis ad Capitulum generale non veniant, ordinat et diffinit Capitulum generale quod in abbatiis, in quibus praefatus numerus non poterit inveniri, patres abbates omnimodam ordinationem illarum habeant [a], providentes et ordinantes de eisdem quae secundum Deum et suas conscientias eisdem in omnibus et per omnia viderint expedire ; et illi abbates ad Capitulum generale venire minime teneantur, nisi velint et indiguerint, nisi talis casus emerserit, quae de facili sine consilio Capituli generalis non valeat emendari. Dispositionem autem et ordinationem rerum temporalium omnimodam habeant liberam et quietam, sicut hactenus habuerunt.

5. Ordinat et diffinit Capitulum generale quod conversi nostri Ordinis in Provincia et Vasconia et ultra, non conversi sed fratres nominentur, eo quod nomen illud in dictis provinciis abominabile habeatur propter haereticam pravitatem.

6. Item, statuit et ordinat Capitulum generale, ne de cetero aliqui praelati, etiam de Ordine nostro, sessionibus intersint Capituli generalis, sed expletis breviter suis negotiis exeant, sicut in diffinitionibus continetur.

7. Item, cum aliqui [a] abbates super emissione personarum Ordinis novam formam habeant, videlicet : Si talem [b] retinere non potueritis, vel nolueritis, ad aliam abbatiam mittatis [c]; quia talis [d] forma emissis materiam [e] praebet vagandi [f], inhibetur ne aliquis sub hac forma de cetero emittatur.

8. Item, cum propter evagationes monachorum multa legantur mala monasteriis [a] nostri Ordinis evenisse, auctoritate Capituli generalis districte praecipitur abbatibus, prioribus, suppriori-

---

[a] *hic desin. MP*[1] *qui formulam habent breviorem.* [b] *Cf. infra, n.* 30.
4-6 : *L*[1]*MP*[1]*P*[10]. [a] etc. Abbates vero illarum dispositionem... : *L*[1]*P*[10].
7 : *MP*[1]*QV*. [a] quidam : *Q*. [b] N. : *M*. [c] transmittatis : *V*. [d] taliter : *Q*. [e] manus : *P*[1]. [f] evagandi : *V*. **8** : *MP*[1]*QT*[5]. [a] et monachis : *Q*.

bus [b] et custodibus Ordinis nostri, ut nulli de cetero egrediendi licentia tribuatur, nisi pro certa necessitate et utilitate domus evidenti. Transgressores [c] autem, tam mittentes quam qui mittuntur, tribus diebus pro qualibet vice poenitentiam peragant levis culpae.

9. Item, diffinit et ordinat Capitulum generale ne aliquis monachus [a] vel conversus emittendus pro culpa de cetero ad Hungariam mittatur, nisi ad tales domos, ubi sit conventus, et possit vivere regulariter et secundum Ordinis instituta.

10. Item, cum ad aures Capituli generalis venerit quod quidam nobiles in aliquibus abbatiis ostagia teneant, inhibetur omnibus abbatibus auctoritate [a] Capituli generalis ne de cetero talia ostagia in abbatiis teneantur, quod si secus ab aliquo nobili attentatum [b] fuerit, in illis abbatiis [c] cessetur penitus a divinis.

11. Cum clamor validus aures Capituli generalis pulsaverit [a], quod multi abbates in visitationibus suis a filiis suis abbatibus expensas [b] et deperdita ex debito repetant, inhibetur [c] omnibus ne dictas expensas repetant, nec aliquis [d] eisdem concedere teneatur, nisi de pura [e] et mera liberalitate et gratia ; et quod domus eorum non graventur, sicut [f] in ordinatione domini Clementis Papae continetur.

12. Item, auctoritate Capituli generalis praecipitur [a] patribus abbatibus, ut de omnibus collectis et distributionibus coram filiis suis computent [b], ut ab ipsis omnis suspicio valeat amoveri.

13. Item, cum quidam abusus inoleverit in Ordine, ut dicitur, quod quidam abbates nullos [a] recipiant nisi de gente et natione sua, omnibus abbatibus praecipitur auctoritate [b] Capituli generalis, ut omnes, dummodo boni sint [c], pro indifferenti recipiant, et maxime indigenas, cum ad illos maxime teneantur, cum non sit apud Deum aliqua personarum [d] acceptio ; et, qui teste [e] conscientia secus fecerit, omni sexta feria sit in pane et aqua

---

[b] *deest Q.* [c] Culpabiles : *Q.* **9** : MP^1QVW. [a] *MVW incip.* : Nullus monachus. **10** : MP^1V. [a] *deest V.* [b] acceptatum : P^1. [c] P^1 *addit* : ubi quid tale acceptatum fuerit, in illa cessetur... **11** : $L^1MP^1P^{10}V$. [a] propulsaverit : P^1 ; insonuerit Capitulo gen. : *V.* [b] de perdito et de debito : *V.* [c] *hic incip.* L^1P^{10}. [d] aliud : *V.* [e] patris et matris : P^1 (!). [f] dicit ordinatio Clementina : *V.* **12** : $L^1MP^1P^{10}$. [a] *hic incip.* L^1P^{10}. [b] *hic desin.* P^{10}. **13** : $L^1MP^1P^{10}QV$. [a] ad ordinem : *V.* [b] *deest* L^1P^{10}. [c] si indiguerint : *Q.* [d] personalis : *Q.* [e] Scriptura : L^1.

usque ad sequens Capitulum generale, super hoc in dicto Capitulo veniam petiturus.

14. Quoniam enormis et temeraria [a] Fratrum Minorum praesumptio pluries non solum personas Ordinis nostri infamando in locis pluribus, immo capiendo monachos et abbates, prout clamosa insinuatio aures hoc anno Capituli generalis propulsavit, utpote de abbate de Mataplana in civitate Toleti [b] capto, verberato, incarcerato, catenato, et aliis diris afflicto cruciatibus, aliasque multis personis Ordinis multas insolentias et iniurias inevitabiles [c] inferendo, multos excessus alios in domibus monialium, et in aliis domibus contra honestatem et personas Ordinis faciendo. Verum [d] quia religionis parcentes honestati usque nunc contra dictos fratres querelas multarum Ordinis personarum quasi sub dissimulatione generale Capitulum palliavit, statuit et ordinat dictum Capitulum generale, districte praecipiens et suspendens ab altaris officio transgressores, quod praedictis fratribus usque ad satisfactionem condignam [e] nihil detur, nec recipiantur in domibus Ordinis nostri, quacumque de causa, nisi [f] cum principibus vel aliquibus praelatis venerint, nec in capitulis Ordinis praedicare permittantur ; domos illorum nullus intret, nec eisdem communicet in temporalibus, vel familiaritatem exhibeat quoquo modo, quando tamen, dictante conscientia, bono modo evitari poterit. Illud idem monialibus nostri Ordinis praecipitur, hoc adiuncto, ne eisdem confiteantur Fratribus sub poena excommunicationis, quam in ipsas ferimus, si statuto non paruerint supradicto, capellanos monialium celebrantes, ipsis Minoribus in monasteriis monialium existentibus, praedictae excommunicationis sententia innodando.

15. Item, cum mulieres coniugatae habitare dicantur in aliquibus abbatiis monialium, cum [a] hoc sit contra Ordinis honestatem, inhibetur auctoritate Capituli generalis omnibus abbatissis, ne de cetero aliquas mulieres coniugatas secum habitare permittant ; et si quae sunt modo habitantes, amoveantur in instanti ; alioquin quamdiu in ipsis abbatiis residentiam corporalem [b] fecerint, ibidem divina minime celebrentur.

---

14 : $L^1MP^1P^{10}T^5$. [a] temera : *M.* [b] Toletana : T^5. [c] inexcusabilis : T^5. [d] Verum... palliavit : *deest* T^5. [e] congruam : *M.* [f] nisi... intret : *deest* T^5. **15** : $L^1MP^1P^{10}QV$. [a] *V incip.* : Cum sit contra... [b] personalem : *Q.* ; *deest V.*

16. Cum anno praeterito diffinitum fuerit in Capitulo generali, quod abbates summam sibi impositam a Capitulo generali pro expensis factis in Curia usque ad feriam quintam infra octavas Paschae solverent, et aliqui ipsorum non solverint loco et tempore praefinito, aliqui nec solverunt, nec solvere adhuc velint ; patribus abbatibus praecipitur auctoritate Capituli generalis, quod illos qui solverunt, licet non solverint loco et tempore praefinito, ut dictum est, absolvant iniuncta sibi poenitentia competenti. Illi autem qui non solverunt, abbates sint extra stallum abbatis, et tam abbates quam priores et cellerarii omni sexta feria sint in pane et aqua, donec pecuniam solverint supradictam, sententia excommunicationis in suo robore permanente. Et illos quos patres abbates iam absolverunt vel absolverint, impertitam absolutionem ratificat et approbat Capitulum generale.

17. Statuit et ordinat Capitulum generale ut summam cuilibet a patre abbate impositam pro subsidio Terrae sanctae, usque ad Purificationem beatae Mariae Virginis patribus abbatibus solvere non omittant ; alioquin illos qui solvere distulerint, ex tunc a die praefixa ipsos excommunicat, et eosdem auctoritate eadem Capituli generalis patres abbates per se vel per alios excommunicatos denuntient, et in ipsorum monasteriis conventus abstineat a divinis. Nihilominus si ipsam pecuniam recipi contigerit sub usuris, dicti abbates qui ad diem praefixam solvere omiserint, dictas usuras interesse pariter solvere teneantur, et taliter dictam pecuniam solvant, ut apud Leigne [a] dicta pecunia a patribus abbatibus valeat deportari.

18. Cum anno praeterito negotium abbatis Vallis viridis contra abbatem Armentariae abbati Sancti Prudentii auctoritate Capituli generalis sit iniunctum, et illud pro parte sit exsecutum et pro parte remaneat exsequendum, iterato auctoritate Capituli generalis eidem abbati iniungitur ut abbatem Armentariae compellat ad solvendam pecuniam quae remanet insoluta dicto abbati Vallis viridis per censuram Ordinis auctoritate Capituli generalis.

19. Commissio facta anno praeterito abbatibus Sanctae Crucis in Austria, de Cicador, et de Runa [a] de abbatiis Hungaria, iterato de Pontigniaco, de Claravalle, de Tribus Fontibus abbati-

---

16-17 : *MP*[1]. [a] Seigne : *M*. **18** : *P*[1]. **19** : *MP*[1]*W*. [a] Rhuna : *P*[1] ; Ruthna : *M*.

bus, qui suas habent generationes in illa provincia et filias, committitur auctoritate Capituli generalis, tam in capite quam in membris, ut ad dictas abbatias per se vel per alios accedentes, diligenter inquirant et attendant, qualiter ibidem ordo et religio observetur, cum in multis ordo in illis partibus exorbitare dicatur, et de personis Ordinis plura inconvenientia denuntiata fuerint Capitulo generali, et quid super hoc invenerint, sequenti anno per suas patentes litteras referant Capitulo generali; et si in his exsequendis omnes interesse nequiverint, duo vel unus eorum nihilominus exsequatur. Abbates vero praesentes absentibus denuntient haec praemissa. Abbatiae [b] vero de quibus inquiretur de expensis visitatoribus provideant.

20. Diffinitio anno praeterito edita super immunitate et liberatione abbatum de Tribus Fontibus, de Castellione et de Monasterio in Argona a fideiussione qua tenebantur Simoni dicto Piete, civi Virdunensi, pro abbatibus de Rippatorio et de Moris suspenditur isto modo : Quod si processu temporis solutio dicto civi facta non fuerit, prout inter ipsos ordinatum est et promissum, dicti abbates de Moris et de Ripatorio, si solvere neglexerint, et praedictos abbates indemnes non reddiderint, a damnis et expensis habitis et habendis occasione fideiussionis supradictae, ipsos abbates et eorum monasteria in pristinam retrudit sententiam ipsum Capitulum generale.

21. Inhibetur omnibus abbatibus et personis Ordinis de Anglia, ne de cetero se misceant negotiis saecularibus, maxima in computationibus, praecipiendo patribus abbatibus, ut illos quos culpabiles invenerint, graviter puniant auctoritate Capituli generalis.

22. Cum clamor horribilis ad aures pervenerit Capituli generalis quod quidam conversi de Piscaria in quosdam abbates venientes ad Capitulum manus violentas iniecerint, eosdem rebus suis spoliando, auctoritate Capituli generalis praecipitur abbati dictorum conversorum, ut dictos conversos diro carceri mancipet, in arcto pane et aqua brevi eos detinendo usque ad nutum Capituli generalis ; et praedictus abbas laesis abbatibus satisfaciat de rebus suis praedictis competenter.

23. Cum relatum sit Capitulo generali, quod abbates Nucariae et Sanctae Mariae de Arcu pluries apostataverint, et abbati-

---

[b] abbatiae Verodae : *M*. **20** : *P*[1]. **21-23** : *MP*[1].

zent contra Ordinis instituta, auctoritate Capituli generalis praecipitur de Fossa nova et de Ferraria abbatibus ut ad dicta loca personaliter accedentes, inquirant diligenter et fideliter si relata vera sint ; et si praedicta vera invenerint, ipsos non abbates denuntient, depositos auctoritate Capituli generalis. Abbas Sancti Sebastiani hoc eis denuntiet.

24. Cum ad aures Capituli generalis factum quoddam horribile pervenerit, scilicet quod quidam conversi de Suetia [a] [1] nasum cuiusdam monachi praeciderint, abbati dicti loci praecipit Capitulum generale ut dictos conversos incarceret, nec exeant de dicto carcere absque mandato Capituli generalis [b].

25. Auctoritate Capituli generalis de Pontigniaco, de Claravalle et de Tribus Fontibus abbatibus committitur ut ad domum de Pastouc [2] accedentes, per se vel per alios inquirant diligenter et fideliter, si ea quae in depositione fratris I. quondam abbatis de Pastouc continentur vera sint, et si illa per testes iuratos et diligenter examinatos vera invenerint, sententiam latam a patre abbate in ipsum monachum ratificat et approbat Capitulum generale, patri abbati reddentes talionem secundum Ordinis instituta.

26. Cum frater Thomas monachus de Melros multa mala abbatiae suae intulerit, per falsas litteras mutuum in romana Curia contrahendo, omnibus abbatibus praecipitur ut si dictum monachum ad ipsos vel ad terras ipsorum venire contigerit, ipsum, si possunt, capiant vel capi faciant in expensis dicti abbatis de Melros, invocato ad hoc, si necesse fuerit, brachio saeculari. Hoc idem praecipitur de fratre Milone de Brolio auctoritate Capituli generalis.

27. Cum ad aures pervenerit Capituli generalis, quod abbas de Sylva regali negligenter in pluribus regat abbatiam suam, eidem praecipitur a Capitulo generali quod a primo die quo intrabit abbatiam suam, sex diebus poenitentiam peragat levis culpae, duobus eorum in pane et aqua. Visitatoribus dictae domus nihilominus praecipitur ut statum dictae domus sequenti anno per litteras patentes renuntient Capitulo generali ; et nisi prae-

---

24-25 : *MP¹W.* [a] Suethia : *MW.* [b] *formula brevior apud MW.*
26 : *P¹.* **27** : *MP¹.*

---

1) Zwettl, seu Clara vallis in Austria. 2) B. M. de Paszto.

dictae domus status melioratus fuerit, sciat se dictus abbas de Sylva regali sequenti anno graviter puniendum.

28. Auctoritate Capituli generalis praecipitur abbati de Beatitudine Dei in Hybernia ut monachum suum minus iuste emissum, ut dicitur, quem de mandato visitatoris renuit revocare, ipsum revocet in instanti, si visitatori suo visum fuerit expedire.

29. Super conspiratione quorumdam monachorum de Borbona, de Bona aqua et de Frigido fonte abbatibus committitur in plenaria Ordinis potestate, ut ad locum personaliter accedentes, corrigant et emendent quod eis secundum conscientias suas videbitur expedire.

30. Super conspiratione exorta in abbatia de Claromarisco, de Claravalle et de Camberone abbatibus committitur in plenaria Ordinis potestate ut ad dictum locum personaliter accedentes, inquirant diligenter et quos magis culpabiles invenerint, ipsos sub poena conspiratorum emittant, ceteros autem taliter corrigant ut alii terreantur, nec praesumat aliquis accipere veniam pro aliquo conspiratore revocando.

31. Visitationes omnium filiarum Bonae vallis abbati Vallis magnae auctoritate Capituli generalis committuntur, donec dicta commissio auctoritate dicti Capituli revocetur, ita quod patri abbati nullum inde praeiudicium in posterum generetur. Abbas autem Bonae vallis abbatiam Vallis magnae filiam suam visitet, sicut facere consuevit.

32. Cum abbas de Bolbona communione non recepta, nec ecclesiasticis sacramentis carnes in quadragesima comederit, videlicet in ultima septimana, propter abominationem inauditam deponitur in instanti.

33. Quia de Charmeia [a], de Valle regis, de Castellione, de Valle clara, de Monasterio in Argona, de Cheminone, de Valle Sancti Lamberti, de Sancto Andrea de Gofer, de Barberio abbates in spiritu furoris [b] et fremitu dissoluto coram Diffinitoribus in generali Capitulo coram omnibus contumaciter quaedam exprobrationis verba protulerunt, ipsos Diffinitores quidam ipsorum satrapas appellando ; et cum aliis abbatibus causam schismatis [c] et gravissimae seditionis in gestibus et modo contumaci praebere

---

28-30 : *P*¹. **31** : *MP*¹. **32** : *L*¹*MP*¹*P*¹⁰*T*⁵. **33** : *MP*¹*T*⁵. [a] Canonica : *MP*¹. [b] *deest M.* [c] et gravissimae... posterum : *deest T*⁵, *qui formulam habet breviorem.*

viderentur, quod in subversionem Ordinis vergere posset in posterum; abbates praenominati pro dictis excessibus, prout in diffinitione contra turbatores huiusmodi iam olim edita continetur, auctoritate Capituli generalis deponuntur in instanti, inhibentes ne praefati depositi in abbates eligantur in posterum, nisi de licentia Capituli generalis. Hoc idem statuitur de omnibus, qui eisdem in aliquo contra praedictam sententiam praesumpserint adhaerere.

34. Querela abbatis Sancti Sebastiani contra abbatem Sancti Pastoris, de Monte Amyato et de Falera abbatibus committitur, auctoritate Capituli generalis pace vel iudicio terminanda, et quid inde fecerint sequenti renuntient Capitulo generali.

35. Querela abbatis de Camberone [1] contra abbatissam de Hers, de Oliva et de Petra abbatibus committitur, auctoritate Capituli generalis pace vel iudicio terminanda, et quid inde fecerint, etc.

36. Querela abbatissae de Cognone [2] contra abbatissam de Oratione, de Benedictione Dei et de Bella pertica in Vasconia abbatibus committitur, pace vel iudicio terminanda, et quid inde fecerint, etc.

37. Querela abbatis de Stanles contra abbatem de Brueria, de Benedon [3] et de Donquel [4] abbatibus committitur, auctoritate Capituli generalis pace vel iudicio, etc.

38. Querela abbatis de Dexlacroisse [5] contra abbatem de Combremare [6], de Salleya et de Comba abbatibus committitur, auctoritate Capituli generalis, pace vel iudicio, etc.

39. Querela abbatis de Vaurelee [7] contra abbatem de Medenehen [8], de Betelesden [9] et de Brueria abbatibus committitur, pace vel iudicio, etc.

40. Querela abbatis de Villa longa contra abbatem de Fullentio [10], de... *(locus vacuus)*... et de Benedictione Dei abbatibus committitur, etc.

41. Querela abbatis de Franca valle contra abbatem Silvae regalis, de Valle magna et de Sinacha[11] abbatibus committitur, etc.

34-54 : *P*[1].

[1]) Antiquum nomen abbatiae de Marcilla, in Navarra. [2]) S. Laurentius Goionis. [3]) Bindonium. [4]) Dunkeswell. [5]) Dieulacresium. [6]) Cumbermera. [7]) Waverleia. [8]) Mendham. [9]) Bitlesdenum. [10]) Fulium. [11]) Sinanqua.

42. Querela abbatis de Caladia contra abbatem de Monasterio in Argona, de Castellione et de Aurea valle abbatibus committitur, etc.

43. Querela abbatis de Longo vado contra abbatissam Vallis bonae, de Ripatorio et de Bethania abbatibus committitur, etc.

44. Querela abbatis de Flumine Dei contra abbatem de Buel[l]io, de Gruenardon [1] et de Benedictione Dei abbatibus committitur, etc.

45. Querela abbatissae de Herque[n]rode contra abbatissam de Rameya, de Villari et de Regali monte abbatibus committitur, etc.

46. Querela abbatis de Sar [2] contra moniales de Tusnaniz [3], de Sancta Cruce et de Villegrade [4] abbatibus committitur, etc.

47. Petitio abbatis de Noa, qui petit absolvi a susceptione hospitum per triennium, exauditur.

48. Petitio abbatis Fontis Morum [5], qui petit absolvi a susceptione hospitum, dummodo revocet conventum suum, per triennium, exauditur.

49. Petitio abbatis de Valle Sancti Georgii, qui petit absolvi a susceptione hospitum per triennium, exauditur.

50. Petitio abbatis de Trappa, qui petit dispersionem conventus sui, exauditur.

51. Petitio abbatis de Benifazano, qui petit remanere una vice de Capitulo, exauditur.

52. Petitio abbatis de Brunebach qui petit remanere una vice de Capitulo, exauditur.

53. Petitio abbatis de Stamedii, qui petit absolvi a susceptione hospitum per quinquennium, exauditur.

54. Petitio reverendi patris domini archiepiscopi Trancrensis qui petit unum monachum de Ordine, dummodo honestis deputetur officiis, exauditur.

55. Unio abbatiarum Leodiensis dioecesis, de Camberone et de Villari abbatibus committitur in plenaria Ordinis potestate, ut ad illa loca personaliter accedentes, pensatis quae secundum Deum et Ordinem pensanda sunt, de mandato nostro faciant quid sibi viderint expedire, et quid inde fecerint, etc.

---

55 : *MP¹W*.

---

1) Graignamanagh, seu vallis S. Salvatoris. 2) Fons S. Mariae in Saar. 3) Tischnowitz. 4) Welehrad. 5) Fons Morigniaci.

56. Petitio abbatis de Bouc, qui petit absolvi a susceptione hospitum per triennium, exauditur.

57. Petitio abbatis de Valle florida, qui petit remanere semel a Capitulo, exauditur.

58. Petitio abbatis de Melros, qui petit una vice remanere a Capitulo, exauditur.

59. Petitio episcopi Cameracensis, qui petit unum monachum de Ordine, dummodo honestis deputetur officiis, exauditur.

60. Petitio abbatis de Sancto Albino, qui petit dispersionem conventus sui, exauditur.

61. Petitio abbatis de Ripatorio, qui petit absolvi a susceptione hospitum per triennium, exauditur.

62. Petitio abbatis Bullencuriae, qui petit absolvi a susceptione hospitum per biennium, exauditur.

63. Petitio abbatis de Benedictione Dei in Vasconia, qui petit semel remanere a Capitulo, exauditur.

64. Petitio episcopi Gene[vensis], qui petit unum monachum de Ordine, dummodo honestis deputetur officiis, exauditur.

65. Petitio abbatis de Porta, qui petit dispersionem conventus sui, exauditur.

66. Petitio abbatis Mellifontis, qui petit facere commemorationem beati Malachiae, et beati Patricii et beatae Brigidae, in generatione sua, in horis beatae Mariae, exauditur.

67. Petitio abbatis de Capite lacus, qui petit dispersionem conventus sui, exauditur.

68. Petitio abbatis de Cumba, qui petit semel remanere a Capitulo, exauditur.

69. Petitio domini Edmundi, comitis Cornubiae in Anglia, de solemnitate facienda in domo de Herles [1], de Sanguine Iesu-Christi, exauditur, ut in dicta domo fiat solemnitas, sicut in praecipuis festivitatibus fieri consuevit.

70. Anniversarium bonae memoriae domini Richardi, quondam regis Angliae [a], fiat per totum regnum Angliae quarto kalendas aprilis, sicut fuit sibi concessum antiquitus a Capitulo generali.

71. Inspectio loci in quo fundare voluit abbatiam monacho-

56-65 : *P*[1]. **66** : *MP*[1]. **67-68** : *P*[1]. **69** : *MP*[1]. **70-71** : *MP*[1]*W*.
[a] Alemaniae : *MP*[1]*W*.

[1]) Hayles.

rum reverendus dominus episcopus Pataviensis, de Pomoc [1] et de Hilaria abbatibus committitur in plenaria Ordinis potestate ut ad locum personaliter accedentes, pensatis omnibus quae secundum Deum et Ordinem pensanda sunt, faciant quod sibi viderint expedire, et quid inde fecerint sequenti anno per suas patentes litteras renuntient Capitulo generali.

72. Inspectio loci qui Hospitale dicitur, in quo fundare intendit abbatiam monachorum nobilis vir Castellae, de Buxeto [a] et de Mataplana abbatibus committitur [b] ut ad loca personaliter accedentes, pensatis omnibus quae secundum Deum et Ordinem pensanda sunt, faciant quod sibi viderint expedire, et quid inde fecerint, etc.

73. Inspectio abbatiae nigrorum de Ekmunde Ordinis sancti Benedicti quam Ordini nostro incorporari supplicat reverendus dominus episcopus Traiectensis, assensu abbatis et conventus dicti monasterii, domino abbati Morimundi, abbate sibi adiuncto quem illi negotio viderit expedire [a], qui ad locum accedentes, inspectis et pensatis omnibus quae secundum Deum et Ordinem sunt pensanda, Ordini nostro incorporent, et conventum introducant, si viderint expedire, non expectata ulterius licentia Capituli generalis, ita tamen quod decretum inter ipsos et ordinarium sufficienter exaratum, anno sequenti Capitulo repraesentent, et quid inde, etc.

74. Inspectio loci in quo fundare intendit abbatiam monachorum nobilis vir Marchio Misseniensis, de Porta et de Presne abbatibus committitur in plenaria Ordinis potestate ut ad dictum locum personaliter accedentes, pensatis omnibus quae secundum Deum et Ordinem pensanda sunt, faciant quod sibi videbitur expedire, et quid invenerint, etc.

75. Pro sanctissimo patre nostro summo Pontifice, qui devotissime ab Ordine orationes petiit speciales pro se et suis, et pro bono statu Ecclesiae sanctae Dei dicantur tres missae, prima de Spiritu Sancto, secunda de beata Virgine Maria, tertia de Cruce a singulis sacerdotibus Ordinis universi, et pro ipso domino Papa dicatur collecta *Deus fidelium omnium pastor*, etc., in mis-

---

72 : *MP*[1]. [a] Bureto : *M*. [b] *hic desin. M*. **73** : *MP*[1]*W*. [a] *hic desin. MW*. **74** : *P*[1]. **75** : *L*[1]*MP*[1]*P*[10].

---

[1]) Nepomucum.

sa conventuali in loco competenti, et in horis beatae Virginis dicatur collecta *Deus omnium fidelium pastor* ; et finito Completorio dicatur *Salve Regina,* et *Ave Maria* cum flexione genuum, collecta *Concede nos,* et *Deus omnium fidelium pastor,* tam in conventu quam extra conventum, tam [a] in abbatiis quam extra, a singulis personis tam monachis quam monialibus Ordinis universi. Pro praedecessoribus suis romanis Pontificibus, dicantur tres missae pro defunctis a singulis sacerdotibus Ordinis universi.

76. Pro bonae memoriae Alphonso quondam comite Pictaviensi, qui epistolas suas misit, et etiam reditum annuum legavit Capitulo generali, plenarium servitium persolvatur, et principaliter in aliquo anniversario habeatur.

77. Piae recordationis domino Portuensi, per quam Ordo noster usque nunc multas gratias obtinuit speciales, plenarium persolvatur officium, et habeat anniversarium annuatim.

1276

Anno [a] Domini millesimo ducentesimo septuagesimo sexto statuta sunt haec apud Cistercium [b] in Capitulo generali.

1. In primis diffinitio anno praeterito edita de abbatibus qui minorem habent numerum monachorum, et propter hoc minime tenebantur [a] venire ad Capitulum generale, totaliter removetur.

2. Multiplices [a] et graves excessus monachorum qui mittuntur ad visitandum, quamvis visitatores non debeant nominari, ulterius ferre non valens [b] Capitulum generale, statuit et ordinat idem Capitulum generale ut de cetero non nisi de quadriennio in quadriennium [c] ad partes remotas transmittantur, et per illud quadriennium vicinis abbatibus committantur, qui manus suas taliter ab omni suspecto munere excutiant, ne manum [d] ultionis in eos extendere oporteat [e] Capitulum generale. Additur etiam [f] quod tales monachi, qui culpis suis clarescentibus depo-

[a] tam... extra : *deest M.* **76** : *MP*[1]. [a] anniversarium : *P*[1]. **77** : *L*[1]*MP*[1]*P*[10].

1276. [a] *Titulus apud P*[1]*P*[10]*QV.* [b] tempore Cap. gen. : *P*[1]. **1** : *L*[1]*MP*[1]*P*[10]. [a] teneantur : *M.* **2** : *L*[1]*MP*[1]*P*[10]*V.* [a] Cum multiplices : *V.* [b] sustinens : *L*[1]*P*[1]. [c] *deest M.* [d] manus : *M.* [e] cogatur : *V.* [f] quod si dicti monachi dona aliqua susceperint supra quam dictum est, suspenduntur a Capitulo generali : *V qui sic desin.*

siti a regimine abbatiarum, seu eiecti, vel emissi labem infamiae propter praemissa secum trahere videantur [g], ut illo anno quo visitaverint, in monasteriis in quibus visitaverint minime eligantur in abbates ; et dicti abbates in expensis necessariis eisdem monachis provideant liberaliter et honeste ; et si dicti monachi aliquid receperint, ut supra dictum est, suspenduntur auctoritate Capituli generalis.

3. Diffinitionem anno praeterito latam contra Minores ad preces multorum praelatorum et magnatum sic temperat Capitulum generale, ut in domibus [a] nostris tam in ecclesiis quam in hospitiis more solito [b] liberaliter recipiantur [c], dicta diffinitione in regno Hispaniae, in quo manifeste fuit Ordini facta iniuria, in suo robore permanente.

4. Diffinitioni editae de decima solvenda pro subsidio Terrae sanctae, hoc additur quod patribus abbatibus, quos primos quatuor et dominum Cisterciensem intelligit Capitulum generale, ita infra Pascha a suis filiis persolvatur, et commode et sine periculo usurarum loco et tempore statuto creditoribus [a] persolvatur. Qui vero non solverint summam sibi impositam infra dictum terminum, vel non solverint infra dictum terminum imponendam, pro depositis habeantur auctoritate Capituli generalis.

5. Abbates qui causa infirmitatis remanserint a Capitulo generali in domibus propriis, responsales idoneos mittant sicut in Carta Caritatis continetur ; qui [a] in itinere remanserint [b] per abbates vicinos et litteras se excusent. Responsales autem praedicti, expletis negotiis suis in continenti de Cistercio exeant, et ad propria revertantur.

6. De Bona valle et de Lioncella quondam abbates, qui pro multiplicibus et gravibus excessibus domos sibi commissas male regendo depositionis sententiam meruerunt, nullum omnino officium de cetero exsequantur [a] ; sed ineligibiles habeantur, nisi misericorditer cum eis [b] fuerit a Capitulo dispensatum; et res quas de dictis abstulerunt monasteriis restituant ; alioquin excommunicationis sententiam infra festum Omnium Sanctorum se noverint incurrisse.

7. Sententiam latam contra conspiratores Sancti Martini

---

[g] *deest M.* **3** : $L^1MP^1P^{10}$. [a] nostri ordinis : L^1. [b] *deest M.* [c] suscipiantur : P^{10}. **4** : $L^1MP^1P^{10}$. [a] *deest M.* **5** : MP^1Q. [a] qui vero in via : *Q.* [b] *deest M.* **6** : MP^1T^5. [a] consequantur : T^5. [b] illis : T^5. **7-8** : MP^1.

prope Viterbium ad abbate dictae domus, de consilio cardinalium et quorumdam vicinorum abbatum, ratificat et approbat Capitulum generale, committens nihilominus patri abbati ut ad dictam abbatiam per se vel per alium personaliter accedens, quod minus punitum invenerit puniat et corrigat, prout sibi secundum Deum et Ordinem videbitur expedire. Similiter de iis quae dicta sunt contra abbatem dicti loci inquirat dictus pater vel visitator suus, et faciat quod secundum Deum et Ordinem fuerit faciendum.

8. Abbas Sancti Vi(c)ti de Piscaria, qui de poenitentia [a] a Capitulo generali inflicta conversis suis, qui abbates venientes ad Capitulum generale verberaverunt, et rebus suis spoliaverunt, nihil renuntiavit Capitulo generali, tribus diebus sit extra stallum abbatis, uno eorum in pane et aqua, et dictis abbatibus satisfaciat de rebus praedictis competenter.

9. Quamvis sententiam excommunicationis latam anno praeterito a Capitulo generali, abbas de Pelix [1] incurrerit pro eo quod calicem aureum abbati de Ac(c)eyo patri suo non reddiderit, per generale Capitulum adiudicatum et promissum ab eodem, tamen idem Capitulum, cui proprium est misereri semper et parcere, volens misericorditer agere cum eodem statuit et ordinat ut, nisi infra quindenam Paschae dictum calicem vel valorem reddiderit, ex tunc in antea se depositum noverit auctoritate Capituli generalis, sententia excommunicationis nihilominus interim in suo robore permanente. Hoc ei abbas de Bochan [2] denuntiet.

10. Diffinitioni anno Domini M CC LXI editae de convocatione et contributione facienda pro libertatibus Ordinis contuendis, quae sic incipit : Cum clamor insonuerit, etc., hoc additur, quod illi tres [a] abbates quorum interest convocare, si negligentes extiterint [b], gradum altaris non ascendant usque ad sequens Capitulum generale, super hoc ibi veniam petituri ; et illi qui vocati venire recusaverint, poenitentiae subiaceant supradictae.

11. Quoniam magister grangiae Destorme [a] abbates redeuntes de Capitulo generali anno praeterito in dicta grangia male recepit

---

[a] sibi inflicta : P^1. **9** : P^1. **10** : $L^1MP^1P^{10}$. [a] *deest* L^1. [b] existerint : P^1. **11** : MP^1. [a] de Storme : *M*.

---

1) Pilisium. 2) Çurc in Bokan, seu Zircium.

equis eorum pessimam avenam ministrans, eidem auctoritate Capituli generalis praecipitur, ut infra festum Omnium Sanctorum poenitentiam peragat in diffinitionibus constitutam, distinctione quinta, capitulo primo, quae sic incipit : Tempore quo venitur ad Capitulum generale, etc. Prior et subcellerarius [b] R(e)igniaci poenitentiam sustineant supradictam, eo quod male receperint ad Capitulum venientes, et prior Vallis magnae pro consimili casu similem poenitentiam sortiatur.

12. Cum abbatia de Dalphino in partibus Graeciae, aliis abbatiis in imperio Constantinopolitano in vastitate hostili desolatis, unica remanserit, et propter hoc in visitatione, in institutione, seu destitutione abbatis loci eiusdem abbatum sive abbatis praesentia haberi commode non possit, dispensative a Capitulo generali conceditur patri abbati de Bella valle in Burgundia, ut per monachos ad hoc idoneos in iam dicto monasterio visitet, et instituat abbatem et installet, sive etiam destituat, et omnia alia faciat, in quibus secundum formam Ordinis solet et debet abbatum copia expectari, nisi in dictum abbatem vota sua transtulerint monachi monasterii supradicti.

13. Diffinitioni olim editae [a] distinctione undecima, capitulo secundo quae sic incipit : Mercatores nostri Ordinis, etc., hoc additur ut qui teste conscientia res suas [b] vendiderit ad terminum, ut pro prorogatione termini vendantur carius, tribus diebus sit in levi culpa, uno eorum in pane et aqua quem ex tunc nec proprius abbas possit absolvere, donec poenitentiam peregerit memoratam; et qui vilius emunt [c] ut carius vendant, eamdem poenitentiam sortiantur, illis tamen rebus exceptis, quae sumptibus nostris et industria meliorationis recipiunt incrementum.

14. Auctoritate Capituli generalis de Sancto Martino prope Viterbium et de Fossa nova abbatibus committitur, ut ad domum Casaemariae personaliter accedentes, super amotione abbatis dicti loci et electione postmodum facta, quae multorum testimonio fuisse dicitur vitiosa, inquirant diligenter, et quae correctionis et emendationis officio viderint indigere, statuant et ordinent, quod secundum Deum et conscientias suas viderint expedire, et quid inde fecerint, sequenti anno per se vel litteras

---

[b] cellerarius : *M*. **12** : *L*[1]*MP*[1]*P*[10]. **13** : *MP*[1]*QV*. [a] de mercatoribus, distinct. 6[a], quae : *Q*. [b] *M add* : non. [c] emerint : *Q*. **14** : *MP*[1].

suas renuntient Capitulo generali. Et inquirant etiam de conspiratione monachorum et conversorum auctoritate dicti Capituli generalis.

15. Statuit et ordinat Capitulum generale ut visitatores [a] monialium in suis visitationibus de possessionibus, proventibus et reditibus earum diligenter inquirant, si habeant unde vivere possint regulariter [b] absque rubore mendicandi ; et quid inde invenerint, sequenti anno renuntient Capitulo generali, ut quibus victus defecerit regularis, ab Ordinis consortio abscindantur.

16. Nonnum Petrum quondam abbatem de Alpibus bono nomini et famae volens restituere Capitulum generale, ut sit eligibilis, cum eodem duxit Capitulum generale misericorditer dispensandum, maxime cum post [a] amotionis sententiam religiose, ut dicitur, se habuerit et honeste.

17. Cum diffinitum sit a Capitulo generali, quod in [a] singulis monasteriis [b] singulis mensibus unum celebretur anniversarium, statuit [c] et ordinat Capitulum generale quod omnes celebrent qui poterunt ea die celebrare.

18. De Monte Sanctae Mariae et de Thela abbatibus committitur auctoritate Capituli generalis ut ad domum de Alpibus personaliter accedentes, inquirant diligenter, si abbas dicti monasterii de Alpibus depositionem nonni Petri praedecessoris sui procuraverit, vel procurantibus consenserit, vel fecerit procurari ; et quod inde invenerint sequenti anno renuntient Capitulo generali.

19. Conceditur abbati de Boheriis [a] ut monachum suum emissum pro conspiratione, qui cecus esse dicitur, ipsum revocet, si ita est quod in conventu alio non possit sustineri, nec ipse valeat conventum sustinere, ita quod extra conventum sit, ablato sibi nihilominus habitu monachali [b].

20. Statuit et ordinat Capitulum generale ut [a] quicumque [b] de cetero conventus suos disperserint, licentia [c] Capituli generali non petita [d], quod nulli tales [e] ad se missos recipere teneantur [f].

---

15 : $L^1MP^1P^{10}Q$. [a] *hic incip. M.* [b] rariter : L^1P^{10} ; honeste : *M.*
16 : MP^1. [a] amotionem suam : P^1. **17** : $L^1MP^1P^{10}QT^5V$. [a] *hic incip. V.* [b] nostri Ordinis quolibet mense : *Q.* [c] ut omnes... : *VQ.*
18-19 : MP^1. [a] Broeriis : P^1. [b] regulari : P^1. **20** : MP^1QV. [a] si quis : *Q.* [b] abbas... conventum... disperserit : *V.* [c] absque : *Q.* [d] nec obtenta : *V.* [e] taliter : *Q.* [f] teneatur : *Q* ; tenentur : *V.*

21. Item, quod in ordinatione felicis memoriae domini Clementis Papae continetur, quod prior, supprior et cellerarius convenire debeant de electoribus [a], sic declarat Capitulum generale, quod de consilio seniorum domus et maxime confessorum debent [b] electores nominari. Item, quod in eadem ordinatione continetur, quod electus idoneus et sufficiens sit loco [c], sic declarat idem Capitulum quod idoneitas pertinet ad vitam et conversationem laudabilem; sufficientia vero ad scientiam litteralem et experientiam temporalem [d]; et horum omnium cognitio et approbatio vel [e] reprobatio ad patrem abbatem pertinere dignoscitur. Item, dilapidationem [f] sic intelligit Capitulum generale quando debitis monasterium nimiis aggravatur, nisi causa rationabilis praetendatur [g]. Item, cum persona diutina infamia carnalis contagii laborat a gravibus personis orthodoxis [h], et etiam fide dignis et per signa praecedentia, et pater abbas in conscientia sua vera reputat [i]; ita quod si oporteat [j] iurare [k] sub iuramento verum esse crederet, contra ipsum potest procedere, poenam secundum merita infligendo; ita quod si contra abbatem per depositionem processerit, dictum processum tenebitur sequenti anno nuntiare [l] capitulo, et iurare in verbo sacerdotis causam depositionis esse veram [m].

22. Quoniam de Arc(h)u, de Rocha amatoris, de Rochadia, de Nucaria, de Matina, Aqua formosa, de Sancta Trinitate, de Galesio, de Sagittario, et de Sancto Angelo abbates per duodecim annos et amplius ad Capitulum generale non venerunt, nec se legitime excusarunt, deponuntur in instanti. Abbas de Fossa nova hoc eis denuntiet.

23. Quoniam de Buelio, de Fonte vivo, de Petra fertili, de Samaria et de Claro fonte in Hybernia abbates qui per duodecim annos non venerunt ad Capitulum generale, nec se legitime excusaverunt deponuntur in instanti. Abbas de Sancta Maria de Rupibus coeli hoc eis denuntiet.

24. Cum ad aures Capituli delatum fuerit quod quaedam electio facta fuerit in abbatia de Ruford contra Ordinis instituta, abbatibus de Coquesalle et de Neth committitur ut ad dictam

---

21 : *L¹MP¹P¹⁰QV*. [a] electionibus : *P¹*. [b] debeant : *Q*. [c] *deest V*. [d] experientiam temporalem : *apud QV tantum*. [e] sive : *Q*. [f] de dilapidatione : *V*. [g] *hic desin. V*. [h] orta : *L¹MP¹P¹⁰*. [i] computat : *M*. [j] oporteret : *L¹P¹Q*. [k] iurare verum iuramentum : *M*. [l] annunciare : *M*. [m] iustam : *Q*. **22** : *MP¹*. **23-24** : *P¹*.

abbatiam personaliter accedentes, inquirant de modo electionis et forma, et de repulsione fratris Henrici monachi dicti loci, et quid inde, etc.

25. Abbas [a] Sancti Godardi in Hungaria, qui iam per triennium vel circa substraxerit se a Capitulo generali, nec se nuntio nec litteris sufficienter excusavit, de quo etiam multa sinistra ab abbatibus fide dignis relata sunt Capitulo generali, sicut sortilegium, solemne periurium et domus manifesta dilapidatio, deponitur in instanti. Hoc abbas de Bocham [b] ei denuntiet.

26. Depositionem abbatis Rivi Sanctae Mariae factam a patre abbate Casaemarae pro eo quod anno statuto ad Capitulum generale non venerat, nec se sicut debuerat excusaverat, approbat Capitulum generale et ratificat ; quod [a] si causa profitendi ad domum de qua [b] assumptus est, reverti voluerit, ipsum pater abbas recipere teneatur. Hoc ipsum patres abbates in casu simili facere teneantur per Ordinem universum. Qui vero facere renuerint [c], ipso facto sint suspensi usque ad sequens Capitulum, in ipso Capitulo super hoc [d] veniam petituri.

27. Diffinitio [a] olim edita de lacticiniis non ministrandis saecularibus hospitibus, in domibus nostri Ordinis in vigiliis sanctorum et in quatuor temporibus, revocatur.

28. Redeuntibus [a] abbatibus a Capitulo generali liceat in Divione minusiam comedere, quando ieiunia quatuor temporum ipso die occurrerint, diffinitione olim super hoc edita [b] penitus revocata.

29. Abbatibus et monachis ad Capitulum generale venientibus, vel [a] inde regredientibus conceditur [b] auctoritate Capituli generalis, ut si prandere voluerint intrent hora prandii refectorium, et facto prandio licite exeant, iter coeptum [c] impleturi.

30. Cum iam pluries abbati Caraevellis sit iniunctum a Capitulo generali, ut abbatis de Cornu [1], si vellet cedere, cessionem reciperet, et postmodum in domo sua professionem reciperet,

25 : *MP¹W*. [a] *formula brevior apud MW*. [b] Bolham : *M*. **26** : *L¹MP¹P¹⁰Q*. [a] *hic incip. Q, casus particularis sublata mentione* : Item statuit Cap. gen. ut si quis abbas depositus causa... [b] unde : *Q*. [c] recusaverint : *Q*. [d] *deest M*. **27** : *L¹MP¹P¹⁰QV*. [a] Diffinitionem... editam... revocamus : *M*. **28** : *MP¹Q*. [a] Item ordinat. Cap. gen. et concedit ut redeuntibus... : *Q*. [b] non obstante : *Q*. **29** : *L¹MP¹P¹⁰Q*. [a] sicut : *Q*. [b] concedit ipsum Cap. gen. : *Q*. [c] suum : *Q*. **30-31** : *MP¹*.

[1]) S. Stephanus de Cornu.

utpote ad matris gremium, de quo assumptus fuerat revertentem, nec hactenus fuerit effectui mandatum [a]; abbati de Columba praecipitur auctoritate Capituli generalis, salvo iure patris abbatis, ut dicti abbatis de Cornu, si cedere voluerit, recipiat cessionem; qua suscepta, abbatem de Caravalle per censuram Ordinis, suspensionis et etiam depositionis, si necesse fuerit, compellat ad receptionem professionis monachi supra dicti.

31. Auctoritate Capituli generalis, de Buellio, de Beatitudine, de Samaria, de Albo tractu abbatibus districte praecipitur ut ad locum, ubi quondam abbatia de Valle Dei in Hibernia filia Geripontis [1] fuerat situata, infra Purificationem Beatae Mariae Virginis proximo venturam absque dilatione aliqua per se vel per alium accedentes, inquirant diligenter, et respiciant utrum terrae pertinentes ad abbatiam Vallis Dei possint secundum illius terrae statum competenter sufficere ad conventum ibidem sustinendum. Quod si possint sufficere, illas grangias et terras in abbatiam nomine Vallis Dei filiam Geripontis cum omnibus rebus, aedificiis ibidem inventis redigant, cum ibi corpora multorum praelatorum [b] et magnorum principum et multorum aliorum sint sepulta, et abbas Geripontis ibidem conventum mittere non retardet, et sit filia ipsius, prout diffinitum est, quod tales abbatiae ad matres proprias revertantur. Si autem dictae terrae non sufficiunt ad conventum ibidem sustinendum, tunc dictae terrae ad dictam abbatiam Vallis Dei quondam pertinentes, ad domum Geripontis tamquam ad matrem propriam, cum omnibus aedificiis absque contradictione aliqua convertantur. Si abbas Sancti Salvatoris vel quicumque alius contravenerit vel se opposuerit, vel aliquo [c] modo impedierit, vel per se vel per alium contradicere praesumpserit, praedicti quatuor abbates, vel duo eorum, si alii interesse nequiverint [d], ipsum et alios contradicentes vel impedientes per suspensionis seu excommunicationis, vel si aliter non potuerint, per depositionis sententiam compellant auctoritate Capituli generalis; conventum similiter si contradictorem invenerint, interdicto et suspensioni

[a] mancipatum : P^1. [b] *deest M.* [c] alio : *M.* [d] non potuerint : P^1.

[1]) Jeripons.

supponentes, et quid super hoc fecerint, per suas patentes litteras anno sequenti renuntiet Capitulo generali.

32. Cum pro defensione libertatum Ordinis et aliis negotiis tuendis frequenter emergentibus multiplices et graves expensas oporteat facere, statuit et ordinat Capitulum generale, ut eleemosynae missae vel mittendae Capitulo generali, in domo Cistercii nomine depositi conserventur in arca vel armario quatuor seris et clavibus obfirmato, ita quod quilibet quatuor primorum abbatum clavem habeat, nec liceat alicui de dicto deposito in usus aliquos expendere, consilio et assensu Capituli generalis non obtento. Nos vero frater Ioannes dictus abbas Cistercii [a], Firmitatis, Pontigniaci, Claraevallis et Morimundi sigilla nostra praesentibus litteris in signum testimonii et iuramenti [b] duximus apponenda.

33. Querela abbatis de Sancto Benedicto contra abbatem de Caladia, de Vallibus in Ornois et de Aurea valle abbatibus committitur pace vel iudicio terminanda, et quid inde, etc.

34. Querela abbatis de Melone contra abbatem de Fenalibus, de Superado et de Oya abbatibus committitur pace vel iudicio terminanda, et quid inde, etc.

35. Querela abbatis de Furia [1] contra abbatem de Iuniis [2], de Fenalibus et de Mercaria [3] abbatibus committitur pace vel iudicio terminanda, et quid inde, etc.

36. Querela abbatis de Ursaria contra abbatem de Armentaria, de Monte Ramorum et de Fenalibus abbatibus committitur pace vel iudicio terminanda, et quid inde, etc.

37. Querela abbatis de Monte Ramorum contra abbatem Vallis Paradisi, de Mercaria et de Valle viridi abbatibus committitur pace vel iudicio terminanda, et quid inde fecerint, etc.

38. Querela abbatis de Begar contra abbatem Belli loci in Anglia, de Sancto Mauritio et de Forda abbatibus committitur pace vel iudicio terminanda, et quid inde, etc.

39. Querela Hugonis domicelli de Assanges contra abbatem Ac(c)eyi, de Bethania et de Gratia Dei in Burgundia abbatibus committitur pace vel iudicio terminanda, et quid inde fecerint, etc.

---

32 : *L*¹*MP*¹*P*¹⁰. [a] *apud L*¹ *legitur in margina* : Ioannes 24[s] abbas Cistercii. [b] iuramenta : *L*¹*P*¹. **33-53** : *P*¹.

---

1) Legend. fors. Burio. 2) S. M. de Aquilis. 3) Macenaria.

40. Querela comitis Sabaudiae contra abbatem de Maris Stella, de Lucel[l]a et de Alto Christo [1] abbatibus committitur in plenaria Ordinis potestate, ut ad dictum locum personaliter accedentes, inquirant diligenter super dicto negotio et quid inde invenerint, renuntient sequenti anno Capitulo generali.

41. Querela abbatis Sancti Martini prope Viterbium contra abbatissam Sanctae Trinitatis, de Phalera et de Monte Amiato abbatibus committitur pace vel iudicio terminanda, et quid inde, etc.

42. Querela abbatis de Furnesio contra abbatem Mellifontis, de Iugo Dei et de Buellio abbatibus committitur pace vel iudicio terminanda, et quid inde, etc.

43. Querela abbatis de Dublinia [2] contra abbatem de Egnis [3], de Mellifonte et de Iugo Dei abbatibus committitur pace vel iudicio terminanda, et quid inde, etc.

44. Querela abbatis de Maceriis contra abbatiam de Bello monte, de Bello loco et de Theoloco abbatibus committitur pace vel iudicio terminanda.

45. Petitio archiepiscopi Casel[l]en[sis] contra abbates de Magyo et de Vetenex [4], de Kyrie [eleison] et de Sancta Cruce abbatibus committitur pace vel iudicio terminanda.

46. Querela abbatis Sancti Andreae in Sanis contra abbatem de Rochadia, Sancti Stephani de Bosco et de Sancto Spiritu abbatibus committitur pace vel iudicio terminanda.

47. Querela abbatum de Anglia et de Wallia contra abbatem Mellifontis, de Beatitudine et de [H]ayles abbatibus committitur pace vel iudicio terminanda, et quid inde, etc.

48. Querela abbatis de Columba contra abbatem de Castaneo[la], de Cliento et de Sancto Severo abbatibus committitur pace vel iudicio terminanda, et quid inde, etc.

49. Querela abbatis de Oya contra abbatem de Armentaria, de Fenalibus et de Melone abbatibus committitur pace vel iudicio terminanda, et quid inde, etc.

50. Querela abbatis de Roseriis contra abbatem de Bal[er]na, de Miratorio et de Carit[ate] abbatibus committitur pace vel iudicio terminanda, et quid inde, etc.

51. Querela abbatis Vallis Sanctae Mariae contra abbatem

---

[1]) Altacrista. [2]) S. Maria iuxta Dublinum. [3]) Inis, i. e. Insula Curcii.
[4]) Wethneya, i. e. Woneyum.

Grandis Prati, de Valle Dei et de (H)alna abbatibus committitur pace vel iudicio terminanda, et quid inde, etc.

52. Querela dominae Felicis de Perne contra abbatem de He[i]sterbach, de Veteri Monte et de Villari abbatibus committitur pace vel iudicio terminanda, etc.

53. Querela abbatis Sancti Pastoris contra abbatem Casae novae, de Phalera et de Casae Mariae abbatibus committitur pace vel iudicio terminanda, et quid inde, etc.

54. Petitio domini regis Bohemiae, quod fiat festum de sancta Hedwige [a] exauditur in hoc quod in laudibus et vesperis de ea fiat commemoratio per totam Poloniam et terras regis Bohemiae in singulis domibus Ordinis universi, et in honorem ipsius pro voluntate monialibus solemnizare liceat, in quarum monasterio corpus ipsius requiescit, et fiat de ea sicut de sancta Elisabeth.

55. Petitio abbatis Sancti Mathiae quod fiat festum ipsius sancti exauditur, ita quod conversi in archiepiscopatu Trevirensi, et per totam Alemanniam non laborent.

56. Petitio domini regis Bohemiae quod historia sancti Nicolai decantetur in domo sancti Nicolai de Groem [b], exauditur.

57. Petitio episcopi Metensis, qui petit unum conversum de Alta Sylva, dummodo honestis deputetur officiis, exauditur.

58. Petitio domini Gondiservi, qui petit unum monachum de Hyrentia [1], exauditur dummodo honestis deputetur officiis.

59. Petitio abbatis de Balegrat [2], qui petit semel de generali Capitulo remanere, exauditur, eo quod multum ad Capitulum veniendo laboravit.

60. Petitio abbatum de Galetia qui petunt quod possint cantare historiam sancti Iacobi in domibus suis, si de consensu conventuum processerit, exauditur.

61. Petitio abbatis Grandis prati, qui petit quod possit dispergere conventum suum, exauditur.

62. Inspectio loci ad quem transferre intendit abbatiam de Gratia Dei vir nobilis Haymo comes Campaniae, frater regis Angliae, de Thama et de Neth(z) abbatibus committitur auctoritate Capituli generalis.

54-56 : *MP*[1]*W*. [a] Hevige : *MP*[1]. [b] Groym : *P*[1]. **57-66** : *P*[1].

---

[1]) Irancium. [2]) Welehrad.

63. Inspectio loci in quo fundare intendit abbatiam monachorum comitissa de Venu, de Forda et de Bufestria [1] abbatibus committitur in plenaria Ordinis potestate, et pensatis omnibus quae secundum Deum et Ordinem, etc. et quid inde, etc.

64. Inspectio loci in quo fundare intendit abbatiam monialium comitissa Lemovicensis, de Petrosa, de Bullione abbatibus committitur auctoritate Capituli generalis, ut ad dictum locum personaliter accedentes, consideratis quae secundum Deum et Ordinem consideranda occurrerint, faciant quod eis videbitur expedire, et quid inde invenerint, etc.

65. Inspectio loci ad quem transferre intendit abbatiam de Verruca [2] abbas dicti loci, de Sancto Pantaleone et de Septimo abbatibus committitur auctoritate Capituli generalis.

66. Inspectio loci de Hemmone, in quo fundare intendit abbatiam monialium comes de Marchia, de Herdense [3] et de Campo Sanctae Mariae abbatibus committitur auctoritate Capituli generalis.

67. Pro Humberto cardinali quondam defensore et conservatore Ordinis per universum Ordinem plenarium servitium persolvatur.

68. Pro rege Aragoniae [a] fiat anniversarium in domo de Sanctis Crucibus [b] et habeat servitium plenarium per Ordinem universum.

69. Pro felicis recordationis domino Gregorio quondam summo Pontifice fiat anniversarium annuum in abbatia de Columba, et habeat servitium plenarium per Ordinem [c] universum.

70. Capitulum generale fideles rogat, quatinus pias eleemosynas fratribus de Lucka ad consummanda aedificia tribuant, et benefactoribus participationem bonorum operum concedit.

1277

Anno [a] Domini millesimo ducentesimo septuagesimo septimo statuta sunt haec apud Cistercium [b] in Capitulo generali.

67-69 : *MP*[1]. [a] Aragonum : *M.* [b] omnibus : *M.* [c] totum : *M.*
70 : *W* ex Hodenberg, *Calenberger Urk.-Buch, III*, 117.
1277. [a] *Titulus apud P*[1]*QV tantum.* [b] tempore Cap. gen. : *V.*

---

1) Buckfasta. 2) S. Michael de Verruca. 3) Hardenhusium.

1. In primis [a], diffinitio anno praeterito edita quod monachi non nisi de quadriennio in quadriennium mitterentur ad visitandum, sic temperatur [b], quod secundo anno mitti poterunt, hoc proviso quod tales mittantur, qui verbis et factis se ostendant clari nostri Ordinis [c] zelatores [d]. Monachi vero qui sic missi fuerint, quousque ad proprias domos revertantur, in abbates nullatenus eligantur.

2. Item, diffinitio anno M CC LXI edita de convocatione abbatum de contributione facienda pro libertatibus Ordinis conservandis, inviolabiliter in suo robore perseveret.

3. Item, diffinitioni anno praeterito factae de anniversariis, quae solent fieri in abbatiis singulis mensibus, additur quod qui celebraverint, pro anniversario celebrent illa [a] die.

4. Item, statuit et ordinat Capitulum generale quod nullus [a] in Ordine nostro super causis motis in Ordine vel movendis litteras saecularium audeat impetrare [b], vel processum iudicum impedire. Qui contra fecerit, si abbas vel monachus fuerit, ipso facto noverit se suspensum ; si conversus fuerit, ablato sibi habitu, omni sexta feria sit in pane et aqua usque ad nutum Capituli generalis.

5. Item, quoniam per [a] frequentes emissiones [b] personarum Ordinis clarum nomen ipsius [c] multipliciter denigratur, multarumque [d] propter hoc eveniunt pericula animarum, et Ordo noster propter emissiones huiusmodi apud religiosos et saeculares in opprobium [e] habeatur ; volens [f] huic tanto discrimini Capitulum generale aliquod remedium adhibere, ordinat et diffinit, quod [g] pro furto, carnali contagio, nullus de cetero emittatur ; quicumque vero in carnali contagio deprehensus fuerit vel convictus [h], si monachus fuerit, ablato sibi habitu, per decennium ultimus sit omnium et etiam novitiorum in ecclesia, in capitulo, et alibi [i], et teneatur ad omnes observantias regulares, scapulare curtum cum cappa habeat, et post triennium in tali habitu sacrorum ordinum officium poterit exercere. Si vero conversus fuerit, ablato sibi [j] habitu, grossiori pane vescatur, et ultimus

---

1 : *L¹MP¹P¹⁰QV.* [a] *brevius apud V* : Primo monachi possunt mitti... [b] interpretatur : *L¹.* [c] nominis : *P¹.* [d] *hic desin. L¹P¹⁰.* **2** : *P¹.* **3** : *L¹MP¹P¹⁰Q.* [a] ipsa : *Q.* **4** : *MP¹Q.* [a] *hic incip. M.* [b] implorare : *M.* **5** : *L¹MP¹P¹⁰QV.* [a] ob : *L¹.* [b] monachorum et conversorum : *V.* [c] Ordinis : *Q.* [d] multaque : *V.* [e] est redactus : *V.* [f] volens... adhibere : *deest V.* [g] quod pro furto : *deest Q, et habetur locus vacuus.* [h] conversus vel : *L¹.* [i] *deest M.* [j] ei : *P¹⁰.*

omnium habeatur, et omnibus capitulis conversorum quibus interesit, recipiat disciplinam per totum terminum supradictum [k]. Deprehensi vero in furto [l] vel proprietate poenitentias [m] peragant in diffinitionibus constitutas, videlicet distinctione sexta capitulo septimo decimo [n], quae sic incipit : Monachus vel conversus, etc. Et in eadem distinctione capitulo duodecimo quae sic incipit : In singulis abbatiis, etc. [o] Abbates, priores, suppriores et cellerarii qui in infligendis huiusmodi poenitentiis negligentes fuerint, gradum altaris non ascendant, quousque eis poenas indixerint supradictas ; et si in tali poenitentia adhuc similia [p] commiserint, totaliter emittantur.

6. Item, diffinitioni olim editae super professionibus [a] abbatum, distinctione secunda, capitulo sexto quae sic incipit : Pro benedictione [b] abbatum, etc., additur quod quicumque contra formam in diffinitionibus positam professionem suo dioecesano fecerit [c] ipso facto pro deposito habeatur.

7. Cum per [d] confluentiam multorum mercatorum et nuntiorum principum et baronum venientium ad Capitulum generale, nimis gravetur mater [e] nostra [f] Cistercium, ac impediantur salubria nostri Ordinis negotia propter eos, et turbentur aliquando multi abbates propter praesentiam eorumdem, statuit et ordinat Capitulum generale, ut abbates quorum occasione tales veniunt [g] expensas quas in Cistercio faciunt [h], refundere teneantur.

8. Nullus prosequens causam depositionis suae de cetero intrare Cistercium tempore Capituli generalis permittatur.

9. Omnibus abbatibus nostri Ordinis auctoritate Capituli generalis praecipitur ut summam sibi impositam pro decima Terrae sanctae et pro procurationibus Legati, anno sequenti apportent apud Divionem tempore Capituli generalis, consignandam domino Cistercii et quatuor primis abbatibus de Firmitate, de Pontiniaco, de Claravalle et de Morimundo ; et qui non apportaverint vel miserint pro depositis habeantur ; sententia vero anno praeterito lata contra non solventes in suo robore permanente.

[k] *hic desin.* L^1P^{10}. [l] *deest Q*, et *habetur locus vacuus.* [m] poenitentiam... constitutam : *Q.* [n] septimo : P^1 ; octavo decimo : *V.* [o] *hic legitur apud Q alia diffinitio ad annum seq. pertinens, n*° 4. [p] talia : *Q.* **6-7** : $L^1MP^1P^{10}Q$
[a] confessione : *Q.* [b] benedictionibus : *Q.* [c] emiserit : *M.* [d] post : $L^1P^1P^{10}$; propter : *Q.* [e] *deest Q.* [f] ecclesia : *Q.* [g] venerint : L^1.
[h] facient : L^1P^{10}. **8-9** : MP^1.

10. Abbas Sancti Viti in Piscaria qui nihil renuntiavit de poenitentia anno praeterito suis conversis iniuncta a Capitulo generali, et abbatibus in domo sua per suos conversos spoliatis non satisfecerit sicut a generali Capitulo extitit ordinatum, infra Pascha proximo venturum suos conversos compellat praedictos ad dictam poenitentiam faciendam, et si non satisfecerit, satisfaciat abbatibus spoliatis ; alioquin ex tunc non equitet, et sit extra stallum abbatis existens continue in conventu, donec praemissa fuerint adimpleta.

11. Abbas Vallis magnae qui, ut relatum est fide digna relatione Capitulo generali, inhibuit priori suo ut poenitentiam non faceret ab ipso Capitulo iniunctam [a] eidem, et abbates minus sufficienter recepit ad dictum Capitulum venientes, infra dominicam primam Adventus Domini proximo venturam, sit in pane et aqua sex sextis feriis in conventu.

12. Item, statuit et ordinat Capitulum generale ut cum abbatia de Dalphino abbate caruerit, in patrem abbatem vota sua transferant monachi dictae domus.

13. Abbas de Exterbac [1] qui in quadam summa pecuniae et in quadam quantitate vini tenetur dominae de Peroes, et ipsam pecuniam et vinum saepe promisit solvere et non solvit, infra primam dominicam Quadragesimae satisfaciat dominae supradictae ; alioquin gradum altaris non ascendat, et sit extra stallum abbatis, donec dictae dominae fuerit satisfactum.

14. Cum per inquisitionem factam super electione de Rufford per abbates de Gogessale [2] et de Iora [a] valle constiterit evidenter Capitulo generali quod frater Henricus monachus dicti loci ius in ipsa electione habeat, et repulsus fuerit minus iuste, ordinat et diffinit ipsum Capitulum, quod dictus Henricus pro vero abbate habeatur ibidem, si aliud canonicum non obstet [b]. Abbates de Gogessale et de Ioravalle praedicti hanc diffinitionem exsequentur auctoritate Capituli generalis, patri abbati iniungendo, ut se super hoc in sequenti Capitulo generali recognoscat.

15. Cum gravis querimonia super discordia inter moniales de Villari in Normania [a] et patrem abbatem exorta ad aures Capituli generalis delata fuerit, ac ceterarum monialium de Or-

---

10 : *P*¹. **11-12** : *MP*¹. [a] inflictam : *P*¹. **13** : *MP*¹*W*. **14** : *MP*¹.
[a] Sora : *M*. [b] obsistat : *P*¹. **15** : *L*¹*MP*¹*P*¹⁰. [a] Normantia : *M*.

---

[1]) Heisterbach, seu Vallis S. Petri. [2]) Cogeshala.

dine nostro status reformatione, ordinatione et provisione indigeat, Cisterciensi et Claraevallensi abbatibus committit ipsum Capitulum generale, ut super praemissis reformandi, ordinandi, disponendi, et providendi auctoritatem et potestatem plenariam habeant per se vel alios de voluntate et consensu dicti generalis Capituli.

16. Item, cum detestabilis et horribilis et temeraria praesumptio fratris H. abbatis de Grosso bosco qui se gerit pro abbate Obazinae, nullo consensu et confirmatione patris abbatis vel missorum ab eo interveniente, et enormes excessus conventus dictae domus eiusdem aures propulsaverit Capituli generalis, non valens ipsum Capitulum tot excessus sub dissimulatione transire, ordinat et diffinit quod dictus frater H. a Deo (*sic*) et ab Ordine sententiam excommunicationis incurrat, si se de cetero gesserit pro abbate, et omnes de Ordine adhaerentes eidem, et ab officio alterius abbatiae deponitur in instanti. Super excessus vero monachorum et aliarum personarum dictae domus domino Cisterciensi totaliter committitur ut ipse in praemissis faciat et dictos excessus corrigat, secundum quod sibi videbitur expedire. Si vero conventus dictae domus Obazinae omnino rebellis fuerit, abbatibus et conventibus filiarum suarum inhibetur ne eis obediant in aliquo obedientiae genere usque ad nutum abbatis Cistercii supradicti.

17. Item, super diversis et multiplicibus clamoribus de abbate et monachis Casaemarii ad Capitulum generale delatis, sic ordinat idem Capitulum generale et diffinit quod pater abbas per se vel per alium, abbatem Casaemarii quem ex nunc deponit Capitulum, denuntiet depositum auctoritate Capituli generalis. Si qui vero conspiratores inventi fuerint in eadem abbatia, idem pater abbas per se vel per alium contra ipsos procedat secundum Ordinis nostri formam, et eisdem abbas statuatur auctoritate patris abbatis, ita quod nullus eorum pro quibuslibet dictae dissensiones exortae hac vice abbatizat eisdem.

18. Abbati de Bello prato praecipitur auctoritate Capituli generalis, ut fratrem P. quondam abbatem domus eiusdem, pro eo quod in magna summa pecuniae fideiussorem se constituit contra formam Ordinis, sicut diffinitur [a] anno 1260 quae sic

---

16-17 : *P*[1]. **18** : *MP*[1]. [a] in diffinitione anni MCCLXI : *M*.

incipit : Nullus de Ordine, etc., plenius continetur, faciat carceri mancipari usque ad nutum Capituli generalis.

19. Auctoritate Capituli generalis committitur domino Cistercii ut quandocumque sibi constiterit, quod abbatia Bonae vallis in spiritualibus et temporalibus in melius reformetur, eidem restituat visitationem filiarum suarum iuxta suae beneplacitum voluntatis.

20. Cum multa horribilia et detestabilia et indicibilia de fratre N. abbate Sancti Martini in monte Viterbii et de fratribus Martino, Antonio et Bernardino monachis eiusdem domus aures propulsaverit Capituli generalis, cupiens idem Capitulum in talibus et tantis excessibus congruum remedium adhibere, ordinat et diffinit quod dictus abbas, quem ex tunc deponit Capitulum generale, districto carceri mancipetur usque ad nutum Capituli generalis. Frater vero Martinus prior ad domum unde professus fuit alias revertatur ; fratres vero Antonius et Bernardinus praedicti, tamquam iniquitatis filii, ab Ordine totaliter separantur, et ut sententia robur firmitatis obtineat, de Sancto Galgano et de Falera abbatibus auctoritate Capituli generalis sub poena depositionis et excommunicationis praecipitur ut ad dictam abbatiam Sancti Martini, recepta diffinitione praesenti, personaliter accedentes, dictam sententiam omni occasione remota executioni demandent, contradictores et rebelles per censuram Ordinis compellendo et quid inde fecerint, etc.

21. Cum de abbate Mataplanae multa mala relata fuerint Capitulo generali, scilicet quod carnes comederit in villis vel civitatibus, et in multis aliis se habeat inhoneste, patri abbati et abbati Sacraemoeniae committitur ut super praemissis diligenter inquirant, et si ipsum culpabilem invenerint super istis, ipsum deponant auctoritate Capituli generalis, et quid inde fecerint sequenti anno Capitulo generali renuntiet.

22. Cum abbas et conventus de Columbis [1] teneantur annis singulis usque ad tempus praefinitum solvere Capitulo generali CC libras, pro eo quod ipsum Capitulum ipsos a debitis usurariis relevavit, et non solverunt ut tenentur, eidem abbati praecipitur ut infra kalendas februarii satisfaciat apud Cistercium de

---

19 : *L¹MP¹P¹⁰*. **20** : *P¹*. **21-22** : *MP¹*.

---

1) S. M. della Colomba.

pecunia supradicta; alioquin ex tunc pro deposito habeatur. Abbas Claraevallis Mediolanensis hoc ei denuntiet.

23. Super iis quae dicta sunt de abbate de Ripalta, qui dicitur conspirator fuisse et in abbatem promotus, de Cilieto [1] et de Sancto Andrea abbatibus committitur quatinus ad locum personaliter accedentes, diligenter inquirant, et si invenerint ita esse, ipsum deponant auctoritate Capituli generalis.

24. Auctoritate Capituli generalis praecipitur ut frater Hugo monachus de Escureyo qui propter suum enormem excessum est emissus, non revertatur ad domum propriam sine licentia Capituli generalis.

25. Venerabilium dominorum episcopi Baiocensis, abbatis Dionysii in Francia, et domini Guidonis de Tornebuc et aliorum multorum precibus acquiescens, concedit generale Capitulum ut frater Robertus, quondam abbas de Barberio, eligibilis habeatur.

26. Sententiae latae conta inobedientes et rebelles, per iudices datos a generali Capitulo in causa Geripontis [2] et Sancti Salvatoris, auctoritate Capituli generalis approbantur et etiam confirmantur.

27. Abbati de Charreto [a] [3] praecipitur ex parte Capituli generalis ut domino Cistercii satisfaciat de pecunia in qua eidem tenetur, infra Nativitatem Domini; alioquin pro deposito habeatur.

28. Cum clamor ad aures Capituli generalis pervenerit de converso Fulcardimontis, qui male tractavit familiam domini Cistercii, et eis minas intulit et verba iniuriosa dixit eidem, et abbas dictae domus, qui dictum conversum non corripuit, poenitentiam levis culpae faciat intra Natalem Domini, tribus diebus uno eorum in pane et aqua. Conversus vero pedes ad portam Cistercii veniat, nec officium habeat, nec equitet sine licentia Capituli generalis.

29. Abbati Pruliaci praecipitur auctoritate Capituli generalis ut fratrem Landricum conversum suum, qui est in Curia romana, infra Natalem Domini studeat ad domum propriam revocare.

23-24: *P*¹. **25**: *MP*¹. **26**: *P*¹. **27-28**: *MP*¹. [a] Chaseret: *M*.
29: *P*¹.

---

[1]) Cliente. [2]) Jeripons. [3]) Ceretum iuxta *P*¹, Chesiriacum iuxta *M*.

30. Item, ordinat et statuit Capitulum generale quod quicumque [a] lanas, nisi tantum ad annum vendiderit, si abbas fuerit, a patre abbate deponatur ; cellerarii vero a propriis domibus emittantur.

31. Abbati de Dora misericorditer [a] conceditur ut ipse et filii sui semel remaneant de Capitulo generali. Abbatibus qui imponunt collectam pro libertatibus Ordinis defendendis in partibus illis firmiter iniungitur [b], ut super impositione collectarum huiusmodi, dictos abbatem de Dora et filios suos gravare non debeant ultra modum.

32. Auctoritate Capituli generalis committitur de Campo et de Valle Dei abbatibus ut ad abbatiam de Esterbac [1] personaliter accedentes, convocatis mercatoribus qui fuerint convocandi, et aliis creditoribus dictae domus, et inspectis instrumentis debitorum in quibus est obligata domus praedicta ac ipsius domus facultatibus compensatis, taxent certam quantitatem quae ad usus conventus et sustentationem sufficiat competenter, quarum facultatum residuum cedat in solutionibus debitorum, et quid inde fecerint, etc.

33. Auctoritate Capituli generalis committitur abbati de Bello prato Metensi, ut abbatem de Claro loco compellat ad satisfaciendum mercatoribus metensibus praevia ratione.

34. Cum abbatia Fontis Ioannis in spiritualibus et temporalibus sit multipliciter collapsa, et abbas domus illius de dilapidatione et negligentiis multis, et malo regimine domus eiusdem sit plurimum diffamatus, et contumax et inobediens patri abbati fuerit, deponitur in instanti.

35. Abbas de Voto [2] qui non venit per multos annos ad Capitulum, et abbas de Bullio qui non solvit decimam sibi impositam, deponuntur in instanti. Patres abbates hoc eis denuntient, vel faciant denuntiari.

36. Item, de Arcu, de Rocha amatoris, de Rocadia [a], de Nucharia [b], de Aqua formosa, de Calasio [3], de Sagittario, de Sancto Angelo abbates qui anno praecedenti denuntiati fuerunt depositi, quorum aliqui, ut dicitur, sententiis non obediunt antedic-

---

30 : *$L^1MP^1P^{10}QV$.* [a] *hic incip. M.* **31** : *MP^1.* [a] misericordiam concedit Capit. gen. ut. : *P^1.* [b] iniungendo ne : *P^1.* **32-33** : *P^1.* **34-38** : *MP^1.* [a] Rothadia : *M.* [b] Micharia : *P^1.*

---

1) Heisterbach. 2) Alias Tinterna minor. 3) Legend. Galesio.

tis, tam ipsi quam omnes qui pro abbate se habuerint, excommunicationis sententia innodantur. Patres abbates hoc eis per se vel per alios denuncient.

37. Cum super excessibus enormibus et detestabilibus nonni [c] P. abbatis Callovii clamor validus et horribilis auribus Capituli generalis insonuerit, qui salva conscientia dissimulari non possunt, deponitur in instanti, et additur quod carceri mancipetur usque ad nutum Capituli generalis.

38. Item, de Bono radio, de Thela, de Rupibus, de Domo Dei super Carum, de Pratea, de Fonte morum [d] [1] abbates qui sigillis suis litteras sigillatas ad palliandos dictos excessus confecerunt deponuntur in instanti.

39. Cum ad aures Capituli generalis pervenerit quod abbas de Ripalta in visitatione filiae suae de Aqua longa inordinate processerit et dictum filium sine causa rationabili cedere compulerit, de Sancto Andrea et de Tilieto abbatibus committitur in plenaria Ordinis potestate ut personaliter accedentes ad locum, inquirant sollicite veritatem et quae corrigenda invenerint et statuenda, corrigant, statuant et reforment, tam in capite quam in membris, auctoritate Capituli generalis, et quid inde, etc.

40. Cum ex relatione multorum Capitulo generali constiterit, quod monasterium Clarifontis ad tam intolerabilem paupertatem devenerit, quod, nisi celeriter adhibeatur remedium, locus idem ad irremediabile dissolutionis opprobrium deducetur, abbati Morimundi committitur ut per se vel per alium ad locum accedat et ibidem ordinet et statuat quaecumque ordinanda vel statuenda invenerit [a], secundum quod expedire viderit, et quid inde, etc.

41. Super iis quae de abbate Claraevallis Mediolanen[sis] per visitatorem domus illius relata sunt Capitulo generali, de Sancto Andrea prope Ianuam et de Monte Amiato abbatibus committit Capitulum generale ut ad locum personaliter accedentes, super praemissis diligenter inquirant et quam citius poterint, transmittant dictam inquisitionem apud Cistercium sub sigillis suis fideliter interclusam.

---

[c] domni : *P*[1]. [d] morini : *M*. **39** : *P*[1]. **40**: *MP*[1]. [a] auctoritate Cap. gen. : *M*. **41-42** : *P*[1].

---

[1]) Fons Morigniaci.

42. De Beatitudine et de Galgano abbatibus committitur ut compositionem factam inter abbatem Mellifontis et abbatem de Viridi ligno, auctoritate Capituli generalis faciant observari, sicut in instrumento super hoc confecto dicitur contineri.

43. Cum abbas de Tinterna non potuerit, diu est [a], propter corporis invaletudinem venire ad Capitulum generale, patri abbati praecipitur ut si sequenti anno pro simili causa venire non potuerit ad sequens Capitulum generale, pater abbas eius recipiat cessionem.

44. Abbates Hispaniae qui de commissionibus sibi factis anno praeterito nihil renuntiaverunt Capitulo generali, sequenti anno praedicta renuntient, alioquin ex tunc tribus diebus sustineant poenam levis culpae.

45. Cum excessus graves et enormes fratris Ioannis monachi de Bello prato generali Capitulo frequenter fuerint nuntiati, patri abbati et proprio abbati committitur ut dictum monachum, vel per districtionem carceris vel per emissionem ad extraneas nationes, taliter corripiant et castigent ut ipse de cetero talia non attentet.

46. Querela abbatis de Frigido monte contra abbatissam et conventum monialium de Paradiso iuxta Viterbium, de Monte Amiato et de Falera abbatibus committitur in plenaria Ordinis potestate, et quid inde, etc.

47. Controversia inter abbatem Claraevallis et abbatissam et conventum monialium de Paradiso prope Viterbium, de Sancto Anastasio et de Monte Amiato committitur abbatibus in plenaria Ordinis potestate ut ad dictam abbatiam personaliter accedentes, corrigant et reforment quaecumque ibi repererint corrigenda, contradictores et rebelles per censuras Ordinis compellendo, et quid inde, etc.

48. Querela abbatis de Valle lucenti contra abbatem de Pontigniaco, de Barbello et de Quintiaco abbatibus committitur in plenaria Ordinis potestate, et quid inde, etc.

49. Querela abbatis de Olyva contra abbatem de Novo dobran [1], de Corbaz [2] et de Dobrano abbatibus committitur in plenaria Ordinis potestate, et quid inde, etc.

43-44 : *MP¹*. [a] *deest P¹ et habetur locus vacuus.* **45-61** : *P¹*.

---

1) Alias Polplinum. 2) Colbaz, seu Meravallis.

50. Querela abbatissae de Rameia contra abbatissam de Lymtri [1], de Villari et de Camberone abbatibus committitur in plenaria Ordinis potestate, et quid inde, etc.

51. Querela abbatis de Mellifonte contra abbatem de Viridi ligno super filiatione domus de Comor [2], de Iugo Dei et de Yrmis [3] abbatibus committitur in plenaria Ordinis potestate.

52. Querela abbatis de T(h)ama contra abbatem de Stanleya in Wiltesir, de Dora et de Brueria abbatibus committitur in plenaria Ordinis potestate, et quid inde, etc.

53. Querela abbatis de Sarvantia contra abbatem de Spina, de Sancto Prudentio et de Buxeto abbatibus committitur in plenaria Ordinis potestate.

54. Querela abbatis de Surio(n) contra abbatem de Portu Sanctae Mariae, de Kyrie [eleison] et de Sancta Cruce abbatibus committitur in plenaria Ordinis potestate et quid inde, etc.

55. Querela abbatissae de Foriscon [4] contra abbatem de Villerio, de Wernery villerio, de Sancto Benedicto abbatibus committitur in plenaria ordinis potestate, et quid inde, etc.

56. Querela abbatis Vallis regis contra abbatem Signiaci, de Camberone et Castellione abbatibus committitur in plenaria Ordinis potestate, et quid inde, etc.

57. Querela abbatis de Villa longa contra abbatissam Rivi viridi, de Borbona et de Ardorello abbatibus committitur in plenaria Ordinis potestate, et quid inde, etc.

58. Querela abbatis de Albis petris contra abbatem de Eschalleis [5], de Prato benedicto et de Domo Dei super Charum abbatibus committitur in plenaria Ordinis potestate, et quid inde, etc.

59. Querela abbatis de Rigniaco contra abbatem de Quintiaci, de Ripatorio et de Bello loco Lingonen[sis] abbatibus committitur in plenaria Ordinis potestate, etc.

60. Petitio abbatis de Bergis [6], qui petit semel remanere de Capitulo, exauditur.

61. Petitio de Asil(l)o et de Rancos [7] abbatum qui petunt semel remanere de Capitulo exauditur.

---

1) Lintrense monasterium, seu Vallis virginum. 2) Comber, seu Comererium. 3) Iniscourcey, Insula Curcii. 4) Freisdorf. 5) Scarleiae. 6) Vetus Mons. 7) Runc[l]os (?) i. e. Ruhekloster, Rus Regium.

62. Petitio comitis Cornubiae [a], qui petit unam missam in quadam capella quam ipse aedificavit in monasterio de Elles quotidie celebrari, exauditur.

63. Petitio abbatis de Alna, qui petit quod possit duos monachos emissos revocare, discretioni patris abbatis committitur qui faciat quidquid viderit expedire.

64. Petitio abbatis de Claromarisco, qui petit quod possit aliquos monachos emissos ad domum propriam revocare, discretioni patris abbatis committitur, ita quod secundum consilium eius, qui minus culpabiles inventi fuerint, et idem abbas qui petit absolvi a susceptione hospitum per biennium exauditur.

65. Petitio abbatis de Osseth [1], qui petit absolvi a susceptione hospitum per biennium, exauditur.

66. Petitio abbatis de Oya, qui petit semel remanere a Capitulo, exauditur.

67. Petitio abbatis de Obra, qui petit [semel] remanere a Capitulo, exauditur.

68. Petitio abbatis de Dora, qui petit [semel] remanere de Capitulo, exauditur.

69. Petitio abbatis de Olyva qui petit semel remanere a Capitulo, exauditur.

70. Petitio abbatis de Strata, qui petit semel remanere a Capitulo, de speciali [a] gratia cum intendat aedificare ecclesiam, exauditur.

71. Petitio abbatis de Porta, qui petit absolvi a susceptione hospitum per biennium, dummodo conventum suum revocet, exauditur.

72. Petitio abbatum de Arragonia, qui petunt anniversarium bonae memoriae domini Iac[obi] regis Arragoniae in monasteriis regni illius fieri, exauditur.

73. Petitio abbatis de Monte salutis, qui petit anniversarium pro episcopo Conchensi in domo sua fieri et missam quotidianam pro dicto episcopo celebrari, exauditur.

74. Petitio abbatis Aquae frigidae, qui petit quod possit revocare quosdam monachos et conversos emissos de dicta domo,

---

62 : *MP*¹. [a] de missa... celebranda : *M*. **63-83** : *P*¹. [a] spirituali : *ms*.

---

[1]) Ossecum.

discretioni patris abbatis committitur et faciat quod secundum Deum et Ordinem viderit expedire.

75. Petitio regis Castellae, qui petit quod monasterium de Cartaginia quod aedificavit ad locum, qui vocatur abbatia Sanctae Mariae regalis Murtiae, transferatur cum omnibus libertatibus et gratiis eidem monasterio concessis a Capitulo generali, exauditur, et abbas Grandisylvae pater illius domus dictam domum visitet et abbatem instituat secundum nostri Ordinis instituta.

76. Petitio domini Ambianensis episcopi, qui petit unum monachum de Claravalle, exauditur.

77. Petitio comitis Blesensis, qui petit unum monachum de abbatiis ordinis nostri quarum ipse fundator est, exauditur dummodo vitae sit laudabilis et honestis officiis deputatus.

78. Inspectio loci in quo fundare intendit abbatiam monialium comes Marchiae, de Hers windeusen [1] et de Campo [2] abbatibus committitur auctoritate Capituli generalis, et sit filia Beriensis [3] et si expedire viderint incorporent Ordini, nullo alio mandato super hoc expectato.

79. Inspectio loci, ad quem transferre intendit monialium monasterium Stephanus ministerialis Austriae, de Campo liliorum et de Sancta Cruce abbatibus committitur auctoritate Capituli generalis.

80. Inspectio loci destructi et inspectio loci, in quo rex Bohemiae intendit reaedificare monasterium destructum, abbati Morimundi committitur auctoritate Capituli generalis ita quod per se vel per alium accedat ad loca, et quid inde fecerit, etc.

81. Incorporatio monasterii Cepernulae in Ungaria quod incorporari petit Ordini nostro dominus epicopus Vespraenensis, de Loco Sanctae Mariae et Boqua [4] abbatibus committitur ut ad locum personaliter accedentes, auctoritate Capituli generalis faciant quidquid secundum Deum et Ordinis nostri formam viderint expedire.

82. Inspectio loci, in quo Palatinus Poloniae intendit fundare monasterium, de Colbas [5] et de Chorin abbatibus committitur auctoritate Capituli generalis, et quid inde fecerint, etc.

---

[1]) Hardehausen, Hardenhusium. [2]) Vetus Campus. [3]) Bergensis, i. e. Vetus Mons. [4]) Curc in Bokan, i. e. Zircium. [5]) Alias Mera vallis.

83. Pro felicis memoriae domino Adriano et domino Ioanni quondam Summis Pontificibus reddatur plenarium servitium per Ordinem universum.

1278

Anno [a] Domini millesimo ducentesimo septuagesimo octavo statuta sunt haec apud Cistercium in Capitulo generali.

1. In primis diffinitio de distantia grangiarum inter se, olim facta propter conservandam pacem inter religiosos et propter scandala evitanda [a], penitus revocatur.

2. Item, statuit et ordinat Capitulum generale ut tales [a] personae [b] de cetero gratia studendi mittantur Parisius, qui competentis sint aetatis, vitae laudabilis et honestae conversationis et ita sufficienter [c] in litteratura, quod magis proficiant et non deficiant in studendo ; et si aliter missi fuerint, per abbatem Claraevallis ad propria [d] remittantur.

3. Item, statuitur quod [a] non obstantibus aliquibus antiquis constitutionibus [b], factis [c] inter abbates, quilibet possit acquirere et acquisita retinere, et suos terminos dilatare, salvo iure alieno.

4. Item, diffinitioni anno praeterito editae contra deprehensos in manifesto carnis contagio hoc additur, quod monachi post triennium cum scapulari suo in ordinibus suis poterunt ministrare ; conversi vero toto tempore poenitentiae suae cappam habeant absque caputio et usque ad genua decurtatam. Qui vero iam pro carnis contagio sunt emissi, si ad domos proprias reversi fuerint, residuum poenitentiae peragant secundum quod superius est expressum.

5. Item, diffinitio anno praeterito edita de lanis non distrahendis nisi ad annum, sic declaratur, quod licitum sit lanas vendere ad terminos longiores, dummodo nullus recipiat, nisi quantum valuerint uno anno ; alioquin contra veniens sententiam

---

1278. [a] *Titulus apud* $P^1P^{10}QV$; *in margina habetur apud* L^1 : Nicolao III papa ; *apud* P^{10} : Nicolao III papa, Ioanne I abbate Cistercii 25.
1 : $L^1MP^1P^{10}Q$. [a] evidenter : *Q*. **2** : MP^1QT^5. [a] *hic incipe.* MT^5. [b] *deest* P^1. [c] sufficientes : *Q*. [d] *deest* MP^1. **3** : $L^1MP^1P^{10}$. [a] *deest* P^1P^{10}. [b] diffinitionibus : P^1. [c] factis... abbates : *deest M*. **4** : $L^1MP^1P^{10}QV$. **5** : MP^1Q. *Hoc statutum iam lectum anno praeced. apud Q iterum repetitur.*

depositionis incurrat, quam ex nunc infligit si Capitulum generale.

6. Item, cum [a] beneficiis non debeant [b] decipi, sed iuvari, contra aliquorum abbatum ingratitudinem, statuit et ordinat Capitulum generale, quod abbates qui pecuniam ab aliis [c] abbatibus mutuo receperint vel de cetero recipient, seu eis aliquo [d] modo per litteras fuerint obligati, nisi [e] infra quadrimestre tempus ad plenum satisfecerint creditoribus suis et aliis quibus fuerint obligati, postquam ab ipsis [f] fuerint requisiti, per patres abbates, sive per suspensionem, vel per excommunicationem, vel etiam per aliam poenam legitimam compellantur satisfacere creditoribus suis, prout [g] viderit expedire.

7. Cum non sit malitiis hominum indulgendum, sed potius modis omnibus obviandum, statuit et ordinat Capitulum generale ut omnes abbates et monachi, et aliae quaecumque personae Ordinis, si accusationes seu proclamationes suas ultra duos annos postquam praesentes in monasterio fuerint, quasi ad maius scandalum, quod nequissimum est, praesumpserint reservare; sciant omnem accusandi vel proclamandi, vel etiam testificandi sibi de cetero adimi facultatem et hoc ipsum statuitur de abbatibus existentibus in Capitulo generali.

8. Item, statuit et ordinat Capitulum generale quod litterae [a] suffragiorum nulli de cetero, nisi magnis, honorabilibus et honestis personis humiliter et devote [b] postulantibus concedantur.

9. Item, quaestionem in Capitulo generali propositam, utrum videlicet apostatae [c] Ordinis celebrantes in apostasia sua, cum reversi fuerint, possint in inferioribus ordinibus ministrare, sic declarat idem Capitulum generale, quod tales in sacris ordinibus aliquatenus nequeunt ministrare, donec [d] cum eis fuerit per generale Capitulum misericorditer dispensatum.

10. Item, cum multi hactenus abbatias rexerint qui non norunt gubernare seipsos, propter quod status abbatiarum multarum ad irreparabilis dissolutionis opprobrium est deductus [a]; unde [b] non immerito timendum est [c], ne propter malum regimen

---

6 : *MP*[1]*QV*. [a] cum pro : *V*. [b] debeat aliquis : *P*[1]*V*. [c] *deest MP*[1]. [d] alio : *P*[1]*Q*. [e] nisi... obligati : *deest V*. [f] eis : *P*[1]. [g] prout... expedire : *deest M*. **7** : *L*[1]*MP*[1]*P*[10]*Q*. **8-9** : *L*[1]*MP*[1]*P*[10]*QV*. [a] *hic incip. M*. [b] *deest L*[1]*MP*[1]*P*[10]. [c] *hic incip. V et breviorem habet formulam.* [d] nisi : *V*. **10** : *L*[1]*MP*[1]*P*[10]*QT*[5]*V*. [a] redactus : *V*. [b] unum : *L*[1]. [c] prohibetur ne quis abbas valeat debita contrahere quae superant reditum unius anni, sub poena depositionis; priores... nec possint eligi in abbates : *T*[5].

aliquorum domos contingat totaliter deperire, volens Capitulum generale huic morbo convenienti antidoto subvenire, statuit et ordinat, quod quicumque abbas domum suam ultra quam valeant proventus unius anni praesumpserit obligare, a patre abbate absque retractatione aliqua [d] deponatur, nisi causa legitima potuerit se tueri. Priores vero et cellerarii et bursarii amoveantur a suis officiis, et abbati sic cedenti vel deposito non succedant [e].

11. Item, statuit et ordinat Capitulum generale quod monachi [a] quibus ad studendum vel recreandum scriptoria conceduntur, in ipsis scriptoriis non maneant illis horis quibus monachi in claustro residere tenentur, et illis quibus divina officia in oratorio celebrantur et, hoc idem de prioribus et supprioribus observetur.

12. Item, diffinitio olim edita, in qua [a] cavetur, quod monachi qui procurant depositionem abbatum suorum, immediate abbatibus sic depositis non succedant, sic declarat Capitulum generale, quod non obstante diffinitione praedicta, tales immediate possunt eligi, dummodo ex verisimilibus [b] indiciis [c] probabile [d] appareat quod ad hoc malitiose minime processerunt.

13. Item, ad refrenandos excessus multiplices puerorum [a], qui cum abbatibus veniunt ad Capitulum generale, statuitur ut si tales pueri [b] in Divione vel in Cistercio, vel in aliis locis Ordinis pugnaverint, et inventi fuerint in conflictu, abbates ipsos de servitio suo statim expellere teneantur ; alioquin quamdiu ipsos [c] detinuerint, gradum altaris ascendere non praesumant [d]. Conversus vero abbatis Obazinae, qui rixam fecisse dicitur in Cistercio, de cetero non veniat ad Capitulum generale.

14. Item, inhibetur auctoritate Capituli generalis, ne se apostatae Ordinis litteras apostolicas vel poenitentiariorum eiusdem impetraverint, ut in suis ordinibus postquam ad Ordinem reversi fuerint valeant ministrare, ipsis aliquatenus non utantur, et qui iam impetraverint careant impetratis.

15. Item, conceditur de Accubatia, de Superado, de Morolia et de Spina abbatibus, ut omnes abbates de Hispania in unum conveniant, et inter se statuant et dividant, quod tertia pars

---

[d] reliqua : *M.* [e] *V perp. add. clausulam ad statutum* 12 *pertinentem.*
11 : *$L^1MP^1P^{10}$.* [a] *hic incip. M.* **12** : *$L^1MP^1P^{10}Q$.* [a] quibus : *M.*
[b] verissimis : *Q.* [c] iudiciis : *M.* [d] probabiliter : *L^1Q.* **13** : *$L^1MP^1P^{10}QV$.*
[a] pravorum : *P^1.* [b] pravi : *P^1.* [c] tales : *Q.* [d] *hic desin. L^1QV.*
14 : *$L^1MP^1QT^5V$.* **15** : *MP^1.*

dictorum abbatum singulis annis ad Capitulum generale venire teneatur [a].

16. Item, sententiam depositionis latam contra abbatem Sancti Andreae prope Ianuam, per abbatem Casae novae et abbatem Sancti Petri de Ripalta confirmat et approbat Capitulum generale, addens quod ipse dimiserit Ordinem, sigillo et rebus monasterii quas habere dicitur repetitis, ad consortium Ordinis de cetero nullatenus admittatur. Frater vero Humbertus quondam Casae novae et Guillelmus de Ripalta, de quibus multa enormia dicto Capitulo sunt relata, ad domos remotissimas emittantur.

17. Item, ex relatione multorum significatum fuerit Capitulo generali, quod monasterium de Balantiis [1] per negligentiam proprii abbatis ad statum miserrimum sit redactum, et per desidiam eius et imperitiam tam dicta domus quam filia monialium in temporalibus et spiritualibus grave dispendium patiantur, auctoritate Capituli generalis committitur patri abbati, ut circa dictum abbatem per se vel per alium, et circa correctionem tam monachorum quam monialium faciat quod secundum Deum et dictum Ordinem viderit expedire.

18. Item, statuit et ordinat Capitulum generale quod quatuor [a] primi abbates pecuniam sibi a generationibus suis impositam anno sequenti in Divione faciant transportari [b]; filii vero ipsorum de summa sibi imposita infra instantem Beatae Virginis festivitatem ipsis plenarie satisfaciant, ubi dictis patribus visum fuerit expedire; alioquin ipsos deponit Capitulum generale, et de procuratoribus domini Legati statuitur illud idem, ut qui non solverunt, poenam sustineant ante dictam.

19. Item, abbas de Choro Benedicti, qui per octo annos non venit ad Capitulum, deponitur in instanti.

20. Item, duo filii Scalae Dei, qui non solverunt pecuniam sub anno praeterito impositam sibi pro subsidio Terrae sanctae et pro procurationibus, poenam sustineant contra non solventes praeterito anno constitutam.

21. Abbates de Arcu et de Sancto Severo, de Favali [c] [2] et de Rupe in Anglia, qui per multos annos non venerunt ad Capi

[a] teneantur : P^1. **16** : P^1. **17-21** : MP^1. [a] *hic incip. M.* [b] deportari : P^1. [c] de Favali et de Rupe... : *deest M.*

1) Alias Valloriae. 2) S. Benedictus de Monte Favali.

tulum generale, deponuntur in instanti auctoritate Capituli generalis.

22. Auctoritate Capituli generalis committitur abbati de Morimundo ut circa fratrem Petrum monachum de Bello prato, Deum habendo prae oculis, ordinet et statuat quidquid secundum Deum et Ordinem viderit expedire.

23. Cum casus et excessus horribiles et enormes qui in monasterio de Cal[l]ovio frequentius acciderunt, taediosis clamoribus aures perstreperunt [a] Capituli generalis, qui excessus per negligentiam et desidiam patris abbatis videlicet de Bono radio manserunt hactenus incorrecti, pro quibus excessibus Ordo multipliciter diffamatur, nolens Capitulum generale tantam negligentiam ulterius conniventibus oculis pertransire, paternitate iam dicti monasterii privat eum ; volens et statuens quod ex nunc pro vera filia Pontigniaci habeatur, omne ius et omnem auctoritatem quam abbas de Bono radio in dictum monasterium hactenus habuit, in abbatem Pontigniacensem transferens et devolvens, committens studeat, qualiter poena eorum transeat talibus praesumptoribus in exemplum, et hoc auctoritate Capituli generalis [b].

24. Item, statuit et ordinat Capitulum generale quod illae [a] abbatiae quae olim per domnum Stephanum quondam abbatem Claraevallis sunt translatae, videlicet de Surio, de Sancta Cruce, de Kyrie eleison [b] ad abbatem de Magio cuius antiquitus fuerunt filiae, libere revertant, et ipsas visitet tamquam pater.

25. Item, fratre Nicolao olim abbate Clarifontis, qui in fraudem et praeter [c] voluntatem depositoris expendit depositum, qui etiam domum suam per contractus illicitos et multipliciter [d] damnificavit, committit et iniungit proprio abbati Capitulum generale, ut eidem poenam infligat contra fures in diffinitionibus constitutam. Abbatem vero de Bethania, qui domum suam multis et magnis debitis aggravavit, deponit in instanti idem Capitulum generale, iniugens patri abbati ut ipsum pro excessibus suis puniat, prout viderit expedire.

26. Item, super revelatione confessionis quondam malitiose imposita abbati Claraevallensi Mediolanensi per quosdam con-

22: P^1. **23**: MP^1T^5. [a] perstrepuerint : *M.* [b] *formula brevior habetur apud* T^5. **24-26**: MP^1. [a] *hic incip. M.* [b] Kyriel : P^1. [c] per : *M.* [d] *deest M.*

versos, quia in probatione defecerunt, excusatum habet eumdem abbatem, praecipiens ut dicti conversi ad domos remotissimas emittantur non reversuri, nisi per Capitulum generale, et ultimi sint omnium quod invenerint per annum integrum, et omnibus capitulis [c] quibus interfuerint verberentur.

27. Item, compensationem factam inter abbatem de Geriponte et abbatem de Sancto Salvatore confirmat et approbat Capitulum generale.

28. Item, statuit et ordinat Capitulum generale ut cum abbatia de Paludis in [a] Sardinia caruerit proprio abbate, in patrem abbatem vota sua transferant monachi dictae domus.

29. Item, cum abbas de Cliento [a] in Italia [b] quibusdam privilegiis uti praesumpserit [c] contra communia instituta impetratis, videlicet de permittendo mulieribus ingredi in monasterium [d] supradictum, propter quod ipso facto sententiam depositionis incurrit ; volens Capitulum generale mitius cum eo agere, a praedicta depositionis sententia misericorditer parcit ei, iniungens ei ut pro dicto excessu in domo sua, tribus diebus poenitentiam peragat levis culpae ; conventus vero domus illius sit in pane et aqua, tribus sextis feriis in Adventu. Hoc addito quod si praedictus abbas talibus privilegiis de cetero uti praesumpserit, ex tunc pro deposito habeatur.

30. Item, abbati de Margan praecipitur auctoritate Capituli generalis, ut compositionem factam inter ipsum ex una parte et abbatem de Neth ex altera, inviolabiliter studeat observare.

31. Abbati Casaemarii conceditur quod annus iste quo venit ad Capitulum, et non tenebatur venire, pro anno quo debuerat eidem computetur.

32. Item, statuit et ordinat Capitulum generale quod abbas [a] Regalis Murciae in Hispania eo anno veniet ad Capitulum generale quo vicini domus illus venire consueverunt hactenus [b], conceditur ei tamen quod veniendo ad Capitulum possit adducere dumtaxat [c] quatuor equitaturas usque ad monasterium Grandisylvae, et usque in Divione tribus equis tantummodo sit contentus.

---

[c] *M add.* : generalibus. **27** : P^1. **28** : MP^1. [a] de : *M*. **29** : MP^1T^5. [a] Clicato : *M*. [b] *deest* MP^1. [c] scilicet de permittendo : T^5. [d] parcitur ei a depositione modo privilegiis non utatur, imponitur ei poenitentia... : T^5. **30** : P^1. **31-32** : MP^1. [a] *hic incip. M.* [b] *deest* P^1. [c] *deest* P^1.

33. Item, abbati de Mulbrune [a] praecipitur quatinus [b] monachum suum fratrem Henricum, de quo plura enormia sunt Capitulo generali nuntiata, ad domum suam infra Natale revocet ; quod si reverti noluerit, ipsum excommunicet auctoritate Capituli generalis.

34. In primis, querela abbatis de Valle regis contra abbatem Signiaci, de Claravalle et de Ygniaco abbatibus committitur ut ad dicta loca per se vel per alios accedentes,de iure partis utriusque per monachos et conversos et alios fide dignos et per instrumenta diligenter inquirant et secundum quod invenerint, ponant fines pacem si potuerint, si vero non iudicio Ordinis, de plano et sine strepitu advocatorum illam decidere non omittant auctoritate Capituli generalis, etc., tamen inde faciant quod querelae totaliter sopiantur, et quid inde, etc.

35. Querela abbatissae Pacis Dei contra abbatissas de Accayode [1], Vallis Benedictae et Vineae Beatae Mariae, de Alna et de Camberone abbatibus committitur pace vel iudicio terminanda, et quid inde, etc.

36. Querela abbatis Sancti Urbani contra abbatissam de Lorbano, abbatibus Maris Stellae et Lucellae committitur, etc.

37. Querela abbatis de Stella contra abbatem de Caruca [2], abbatibus de Macenaria et de Accubatia committitur, etc.

38. Querela abbatis de Cliento contra abbatem Sanctae Crucis, abbatibus de Casteneola et de Favali committitur, etc.

39. Querela abbatis Sancti Pauli contra abbatissam de Lorbano, abbatibus de Schytia [3] et de Accubatia committitur, etc.

40. Querela abbatis de Sa[l]leya contra abbatem de Fontibus in Anglia, abbatibus de Bella landa et de Rievalle committitur, etc.

41. Querela abbatis de Ripalta contra abbatem Sancti Andreae prope Ianuam, abbatibus de Morimundo et de Locedio committitur, etc.

42. In primis, petitio regis Angliae, qui petit festum sancti Richardi fieri in monasteriis regni sui, et per totam Walliam, Scotiam, Hyberniam, exauditur, et fiat de eo sicut de sancto Remigio.

---

33 : *MP¹W*. [a] Mullebrune : *MW*. [b] quod : *MW*. **34-41** : *P¹*. **42-46** : *MP¹*.

---

1) Herkenrode. 2) S. Joannes de Tarouca. 3) Ceica.

43. Petitio episcopi Ebroicensis, qui petit festum sancti Taurini fieri in sua dioecesi, exauditur, et fiat de eo sicut de sancto Remigio.

44. Petitio abbatis Caroliloci qui petit unam historiam beati Guillelmi Bituricensis episcopi, qui fuit abbas dicti monasterii, in sua ecclesia decantari, exauditur.

45. Petitio reverendi patris archiepiscopi Tarentasiensis, qui petit ut historia beati Petri decantetur in domibus Ordinis per suam dioecesim, exauditur.

46. Petitio abbatis de Asprune [a] [2], qui petit in monasterio suo fieri festum Corporis et Sanguinis Domini, sicut fit in illa dioecesi, exauditur.

47. Petitiones illustris viri Bohemiae regis, qui petit festum sanctae Havodis [a] fieri in domibus Ordinis per totam Poloniam, cum officio ad hoc deputato ; petit etiam ut nulla monialis de monasterio Trebeniciae, quae de sanguine fundatorum dictae domus lineatim exierint [b], si ad aliam domum, vel etiam in ipsa electa fuerit in abbatissam, per censuram Ordinis ad suscipiendum regimen abbatiae compellatur ; petit etiam ut religiosa domina Agnes monialis dicti loci administrationem temporalium in dicta domo habeat, sicut habere hactenus consuevit, dummodo procedat de voluntate [c] abbatissae suae et consensu, totaliter exaudiuntur.

48. Petitio abbatis Sancti Pauli, qui petit semel remanere de Capitulo, exauditur.

49. Petitio abbatis de Stella, qui petit semel remanere de Capitulo, exauditur.

50. Petitio abbatis de Curatio, qui petit semel remanere de Capitulo, exauditur.

51. Petitio abbatis Veteris Montis, qui petit dispergi monasterium suum, exauditur.

52. Petitio abbatis Sancti Angeli, qui petit quod possit facere commemorationem sancti Michaelis in domo sua, exauditur.

53. Petitio abbatis de Cameth [2], qui petit semel remanere de Capitulo, exauditur.

---

[a] Aspreuno : *M*. **47** : *MP¹W*. [a] Havoidis : *P¹* ; Hadvigis : *W*.
[b] exierit : *W*. [c] de volente abbatissa sua : *M*. **48-70** : *P¹*.

---

[1]) Heilsbronn, i. e. Fons salutis. [2]) Camencium.

54. Petitio abbatis de Cornu [1], qui petit semel remanere de Capitulo, exauditur.

55. Petitio abbatis de Brio[s]tel [2], qui petit absolvi a susceptione hospitum per triennium, exauditur.

56. Petitio abbatis Lavacii [3], qui petit semel remanere de Capitulo, exauditur.

57. Petitio abbatis de Sigilleriis, qui petit absolvi a susceptione hospitum per triennium, exauditur.

58. Petitio abbatum de Navarra, qui petunt anniversarium regis Theobaldi in suis monasteriis fieri, exauditur.

59. Petitio abbatis Belli loci in Cypro, qui petit semel remanere de Capitulo, exauditur.

60. Petitio abbatis de Cumba, qui petit semel remanere a Capitulo, exauditur.

61. Petitio abbatis de Quinlos [4], qui petit semel remanere de Capitulo, exauditur.

62. Petitio abbatis de Alba domo, qui petit semel remanere de Capitulo, exauditur.

63. Petitio abbatis de Buellio, qui petit semel remanere de Capitulo, exauditur.

64. Petitio abbatis de Nuhon [5], qui petit semel remanere de Capitulo, exauditur.

65. Petitio abbatis de Moris, qui petit absolvi a susceptione hospitum, dummodo conventum suum revocet, per triennium, exauditur.

66. Petitio comitissae de Vonia, quae petit habere conventum de Karreyra [6] pro domo quam de novo fundavit, exauditur, et sit filia Karreyrae.

67. Petitio abbatis de Maris stella qui petit conventum dispergi, dummodo prius dispergantur feminae commorantes prope portam monasterii, exauditur.

68. In primis, inspectio loci in quo intendit fundare monasterium monachorum N. nobilis vir de Cervilione, de Grandisylva et de Bona valle abbatibus committitur auctoritate Capituli generalis, et quid inde fecerint, etc.

69. Incorporatio monasterii in Optoer [7], de Cobal [8] et de Co-

---

1) S. Stephanus de Cornu. 2) Alias Alnetum. 3) Labaciae. 4) Kinloss. 5) Newham. 6) Quarraria. 7) Legend. forsan Creuerstorp, ubi sita erat abbatia Locus coeli, Himmelstädt. 8) Colbaz, seu Mera vallis.

rim [1] abbatibus committitur in plenaria Ordinis potestate, qui ad locum personaliter accedentes, Ordini incorporent et conventum introducant si viderint expedire, et sit filia Paradisi.

70. Inspectio loci, in quo fundare intendit abbatiam monialium nobilis domina Dominica Suerii, de Macenaria et de Scitia [2] abbatibus committitur, et quid inde fecerint, etc.

1279

Anno [a] Domini millesimo ducentesimo septuagesimo nono statuta sunt haec apud Cistercium [b] in Capitulo generali.

1. In primis, statuit et ordinat Capitulum generale quod diffinitioni anno praeterito factae contra conversos in carnali contagio deprehensos, hoc additur; quod propter deformationem habitus, cappae fiant eisdem [a] aliquantulum longiores.

2. Item, diffinitioni anno praeterito factae de [a] venditione lanarum hoc additur, quod poterunt vendi ad terminos longiores, et maior quantitas pecuniae quam valeant uno anno recipi, dum tamen in aliis usibus quam in solvendis debitis a quacumque persona Ordinis expendi minime praesumatur.

3. Diffinitio facta anno praeterito de scriptoriis penitus revocatur.

4. Diffinitio anno praeterito facta de abbatibus Hispaniae penitus revocatur, sed veniant ad Capitulum sicut ab antiquo consueverant [a].

5. Auctoritate Capituli generalis iniungitur abbati Grandisylvae, ut praecipiat coabbati suo de Regali Murciae qui dicitur verberasse quemdam conversum de Firmitate, ut veniat ad Capitulum anno quo tenetur, et in dicto Capitulo super hoc se recognoscat. Abbas autem de Bella pertica infra festum Omnium Sanctorum hoc denuntiet eidem abbati de Grandisylva, auctoritate Capituli generalis; et si percussit, abstineat a divinis quousque cum ipso fuerit dispensatum.

1279. [a] *Titulus apud P^1V tantum.* [b] tempore Cap. gen. : *V*. **1** : *$L^1P^1P^{10}Q$.* [a] *deest Q.* **2** : *$L^1MP^1P^{10}Q$.* [a] *hic incip. Q.* **3** : *P^1.* **4** : *$L^1MP^{10}P^1$.* [a] *$L^1P^1P^{10}$ add.* : diffinitione super hoc anno praeterito edita totaliter revocata. **5-6** : *MP^1.* [a] Multiae : *P^1.*

[1]) Chorinum. [2]) Ceica.

6. Auctoritate Capituli generalis praecipitur abbati de Kykistal[b] [1], ut summam pecuniae in qua tenetur reverendo patri domino Iordano cardinali solvat eidem integraliter infra Pascha, alioquin ex tunc noverit se suspensum.

7. Compositionem factam inter abbatem de Sancto Salvatore et abbatem de Geriponte [2] confirmat et approbat Capitulum generale, prout in eorum litteris continetur.

8. Compositionem factam inter abbatem Mellifontis et abbatem de Magio, videlicet quod abbatia de Sancta Cruce sit de cetero filia Mellifontis, et abbatiae de Kyrie eleison et de Surio[a] sint filiae de Magio, confirmat et approbat Capitulum generale.

9. Abbas de Abraham qui non venit ad Capitulum anno quo debuit, nec solvit decimam, deponitur in instanti.

10. Fratri Guillelmo quondam abbati de Sancto Andrea prope Ianuam ad supplicationem bonorum[b] de misericordia conceditur, ut in aliqua alia domo Ordinis valeat profiteri.

11. Super promotione abbatis de Buxeria [3] qui fuit conspirator, ut dicitur, de Coquessale [4], de Forda, et de Tinterna[c] et de Neth abbatibus committitur ut ad dictum locum personaliter accedentes, correctione praevia, faciant quod secundum Deum et Ordinem viderint expedire auctoritate Capituli generalis.

12. Item, quaestionem in Capitulo factam, quod[a] importet illud quod dicitur : per censuram Ordinis, sic intelligit Capitulum generale quod abbas et omnes officiales maiores domus possint suspendi et etiam excommunicari.

13. Diffinitio facta quod monachi non possint mitti nisi de biennio in biennium ad visitandum, totaliter revocatur.

14. Cum abbas de Camberone conquestus fuerit Capitulo generali quod abbas et conventus de Dunis iniuriantur eidem super viginti bonariis mori occasione cuiusdam compositionis seu divisionis factae inter ipsos et quosdam alios, patri abbati committitur, scilicet domino Claraevallis, auctoritate Capituli generalis, ut per se vel alios negotium ipsum fine debito terminare procuret.

---

[b] Riristal : *M.* **7** : *P*¹. **8** : *MP*¹. [a] Iurio : *M.* **9** : *MP*¹*W.* **10-11** : *MP*¹. [b] misericorditer : *M.* [c] Tintana : *M.* **12** : *MP*¹*Q.* [a] Quid importat : *Q.* **13-15** : *P*¹.

---

1) Kirkstall. 2) Jeripons. 3) Legend. Boxeleia. 4) Cogeshala.

15. Diffinitio anno praeterito edita contra fratrem Humbertum quondam Casaenovae, et fratrem Guillelmum de Ripalta abbates, sic temperatur quod possint in finibus Lombardiae licite remanere.

16. Abbas de Locedio qui summam sibi impositam pro subsidio Terrae sanctae plenarie non solvit, deponitur in instanti. De Stapharda et de Sancto Severo et de Sancto Andrea abbates hoc eidem denuntient. Si rebellis fuerit, ipsum excommunicent auctoritate Capituli generalis.

17. Sententiam anno praeterito latam contra fratrem Nicolaum quondam abbatem Clarifontis, ad preces magnatorum mitigare volens Capitulum generale, abbati suo praecipit firmiter iniungendo ut dictum Nicolaum in claustro teneat ita quod de cetero nec equitet, nec extra monasterium pernoctet.

18. Committitur abbati de Morimundo ut per se vel per alium ad locum Sanctae Coronae in Bohemia accedat, de monachis et conversis eiusdem domus, qui locum suum inconsulte dimisisse dicuntur, ordinet et disponat quod secundum Deum et Ordinem viderit expedire, ita quod conventum ibidem introducat, si viderit opportunum, et paternitatem dicti monasterii conferat loco cui fundatores ipsius voluerint applicari, non obstante si quando aliud a Capitulo generali extiterit ordinatum, et faciat circa dictum negotium quidquid fuerit faciendum.

19. Cum clamor validus graviter effrenatae praesumptionis monachorum Prulliaci horribiliter auribus insonuerit Capituli generalis, utpote qui in tantum se disciplinae et obedientiae subduxerint, quod ipsum monasterium venerabile membrum Ordinis, per eos qui famae suae prodigi sunt nimium et salutis, velociter proximat ad ruinam, nisi celeriter eorum malitiis obvietur, ne in immensum impunita temeritas extollatur, domno abbati Cistercii, de Pontigniaco, de Echalleis [1], de Vallesarnei [2], de Ioyaco, de Ripatorio abbatibus committit idem Capitulum generale, ut ad locum personaliter accedentes, ibidem statuant et corrigant quae secundum Deum et Ordinem viderint expedire, tam in capite quam in membris, et quos invenerint [a] magis culpabiles taliter punire studeant quod poena eorum ceteros a tam damnabili praesumptione compescat.

16-17 : *MP*¹. **18** : *MP*¹*W*. **19** : *MP*¹. [a] viderint : *M*.

---

1) Scarleiae. 2) Valles Sarnay.

20. Cum olim causam quae inter abbatem Longivadi et abbatissam Bahonis[1] vertitur Capitulum generale abbatibus de C(h)rista et de Ripatorio duxerit committendum, quia firmius est iudicium quo plurimorum sententia confirmatur, abbatem de Albaripa in dicta causa duxit idem Capitulum generale tertium adiungendum.

21. Excessus monachi de Gratia Dei puniendos, qui litteras saecularium principum super promotione sua dicitur impetrasse, patri suo abbati committit Capitulum generale, ut ipsum animadversione condigna puniat secundum Ordinem et sui demeriti quantitatem.

22. Auctoritate Capituli generalis praecipitur personis [a] Ordinis universi quod monachum parricidam de Ioravalle, qui relegato a se pietatis officio, abbatem proprium interemit, capiant vel capi faciant, ubicumque [b] inventus fuerit, et perpetuo carceri mancipent et teneant in expensis dicti monasterii, invocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis, et hoc ipsum statuitur de aliis homicidis.

23. Abbas de Almentaria qui, sicut ex relatione fide dignorum constitit, contra visitatores suos in Capitulo generali se tam imprudenter quam impudenter erexit, qui etiam bona dicti monasterii non solum dilapidat et consumit, verum etiam propriae salutis oblitus vitam ducit enormiter dissolutam; insuper citatus per iam dictos visitatores suos, ut veniret ad Capitulum generale pro meritis recepturus, non solum venire contempsit, immo et moram suam hucusque voluit excusare, deponitur in instanti.

24. Quoniam abbas de Brunebach permisit mulieres ingredi monasterium contra Ordinis instituta, abbati Morimundi et patri abbati committitur auctoritate Capituli generalis, ut ad locum personaliter accedentes contra eumdem abbatem faciant quod secundum Ordinem et Deum viderint [c] expedire.

25. Quaestionem in Capitulo generali propositam, videlicet quid sit agendum si [a] festivitas Annunciationis Beatae Virginis Mariae sabbato ante Ramos Palmarum contigerit [b] evenire, sic [c]

---

20 : *P*1. **21-24** : *MP*1. [a] *hic inip. M.* [b] ubicumque... monasterii : *deest P*1. [c] faciendum : *P*1. **25** : *L*1*MP*1*P*10*QVW*. [a] *VW incip.* : Si annunciatio... [b] continget : *L*1 ; evenerit : *QV*. [c] decernit : *V*.

---

[1]) Vallis baonis.

determinat Capitulum generale, quod in ipso sabbato fiat [d] de cetero secundum quod in veteribus [e] Usibus continetur.

26. Abbas de Superado qui propter invaletudinem corporis in suscepto nequit regimine ministrare, qui etiam a sex annis et citra non venit ad Capitulum generale, deponitur in instanti.

27. Abbas de Benedictione Dei qui se et suos subditos in temporalibus et spiritualibus [a] hactenus male rexit, per cuius etiam negligentiam disciplina Ordinis in eodem loco quam plurimum est collapsa, et fama bona multipliciter denigrata, deponitur in instanti.

28. Inhibetur [a] abbatibus Ordinis universi, ne de cetero [b] reclusis habitum monialium conferant, vel ipsis aliquatenus benedictionis munus impendant.

29. Abbas de Keirk [1] et abbas de Leni[no] qui non venerunt ad Capitulum generale quando venire debuerunt, nec solverunt summam sibi impositam, deponuntur in instanti.

30. Auctoritate Capituli generalis praecipitur [a] abbati de Castro Dei, ut expensas resarciat quas abbas Frigidi montis pro monacho suo falsario capiendo, et etiam retinendo, super sua conscientia dixerit se fecisse, et hoc infra sequens Capitulum generale.

31. Abbas de Me(l)lone de quo multa enormia Capitulo generali nunciata sunt, deponitur in instanti.

32. Statuit et ordinat Capitulum generale quod quando [a] fratres de Ordine sancti Guillelmi in Ordine nostro de cetero continget [b] recipi, in probatione complere annum integrum sicut ceteri teneantur, nisi secundum regulam sancti Benedicti fecerint professionem.

33. Statuit et ordinat Capitulum generale quod monachi [a] studentes in Monte pessulano abbati Vallis magnae per omnia obedientes existant, sicut studentes Parisienses abbati Claraevallis tenentur per [b] omnia obedire, et omnem iurisdictionem et

[d] sicut in : *QV*. [e] antiquis : *V*. **26-27** : *MP*¹. [a] benedictionibus : *P*¹. **28** : *L*¹*MP*¹*P*¹⁰*QVW*. [a] Praecipitur : *VW*. [b] dent inclusis habitum nec eas benedicere audeant : *VW*. **29-31** : *MP*¹. [a] *hic incip. M*. **32** : *L*¹*MP*¹*P*¹⁰. [a] *hic incip. M*. [b] contigerit : *M*. **33** : *L*¹*MP*¹*P*¹⁰*QT*⁵. [a] *hic incip. MQT*⁵. [b] in omnibus obedire : *Q qui sic desin.*

[1]) Kerz.

coercitionem [c] habeat super eos, quam dictus abbas Claraevallis super Parisienses hactenus noscitur habuisse [d].

34. Statuit et ordinat Capitulum generale quod quando [a] legitur Biblia in refectorio pronuntietur capitulorum numerus a lectore.

35. Quoniam non absque dolore cordis casus horribilis terribiliter intonuit auribus Capituli generalis, videlicet quod quidam filii iniquitatis non timentes Deum, non homines reverentes, in abbatem de Lucella anno praeterito a Capitulo revertentem manus sacrilegas iniecerunt, et ipsum de equo turpiter deponentes, ignominiose detraxerunt per terram diutius, et tandem [a] detruserunt in carcerem, ipsum ibidem per aliquot dies impie detinentes ; unde Capitulum generale eidem abbati valde condolens, et non solum illi, sed etiam toti collegio iniuriam reputans esse factam, committit abbati de Loco crescenti quatinus cum litteris Capituli generalis personaliter accedat ad dominum archiepiscopum Bisuntinensem et ad dominum comitem Burgundiae, et ad alios principes in communibus expensis procuret pro viribus, quod tantus excessus animadversione congrua puniatur, et passo iniuriam conveniens [b] fiat satisfactio secundum Deum et Ordinis honestatem.

36. Statuit et ordinat Capitulum generale quod monachi [a] vel conversi, qui de nocte de monasterio egredi convincuntur, tamquam deprehensi [b] in manifesto carnis contagio puniantur.

37. De fratre Stadeo [a] monacho de Fonte vivo, de quo multa enormia [b] sunt Capitulo nuntiata, abbati patri et abbati proprio praecipitur quatinus dictum monachum ad claustrum revocent tenendum in arctissima [c] disciplina, advocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis, et ipsum digne puniant pro excessibus iam commissis.

38. Quaestionem in generali Capitulo propositam, videlicet qualiter se habere debeant [a] monachi qui de dispersione in monasteriis [b] remanserint [c], sic determinat [d] idem Capitulum gene-

---

[c] correctionem : T^5. [d] *apud* P^{10} *legitur textus omnino corruptus.*
34 : $L^1P^1P^{10}Q$. [a] *hic incip.* Q. **35** : MP^1W. [a] eumdem : M. [b] competens : P^1. **36** : $L^1MP^1P^{10}QV$. [a] *hic incip.* MQV. [b] comprehensi : M. **37** : MP^1. [a] Stadio : M. [b] dicuntur : M. [c] altissima : P^1. **38** : $L^1MP^1P^{10}QV$. [a] debent : MV. [b] monasterio : QV. [c] remanserunt : M. [d] declarat : Q ; decernit : V.

rale, quod in claustro [e], dormitorio, oratorio [f], silentium more solito teneant, et [g] omnes in refectorio comedant, nec comedant pisces emptos, post Completorium nullus loqui [h] audeat, missa in conventu quotidie celebretur, pulsetur ad omnes horas canonicas, et in oratorio solemniter decantentur, et si fuerint duodecim monachi [i] vel amplius [j] observantias Ordinis per omnia prosequi teneantur.

39. Inhibetur fratri Michaeli, qui sibi hactenus abbatis officium in domo de Spano irrationabiliter usurpavit, ne se gerat ulterius pro abbate.

40. Auctoritate Capituli generalis committitur abbati de Valvalee [1] ut abbatem de Dora, et alios qui solvere renuunt portionem sibi impositam pro eximio facto domino regi Angliae et etiam imponendam pro libertatibus Ordinis defendendis, per censuram Ordinis [compellere] non omittat.

41. Diffinitioni olim editae de mutuo non contrahendo ad usuras [a] hoc additur, quod nullus audeat mutuum ad usuras contrahere, nec sigillum suum aliquatenus obligare [b], nisi de patris abbatis licentia speciali [c], et quod monachi vel conversi non recipiantur aliquatenus in abbatiis quae obligatae fuerint ad usuras. Patres vero abbates vel visitatores, si invenerint quemquam mutuum ad usuras contraxisse, seu post talem contractum aliquem recepisse, eodem anno causam mutuandi et quantitatem mutui [d], et si quem receperint, teneantur renuntiare [e] Diffinitoribus [f] Capituli generalis.

42. Cum Ordo nec [a] velit, nec debeat sustinere, quod illustrissimum regem Francorum, cuius beneficiis vivit Ordo, et plus per eum quam per aliquem alium principem de mundo in bono statu dignoscitur conversari, ne quisquam praesumat ausu temerario blasphemare, auctoritate Capituli generalis visitatoribus Obazinae committitur ut personaliter accedentes ad dictum locum, inquirant diligentius utrum abbas Obazinae verba blas-

---

[e] monasterio, refectorio : *Q*. [f] et refectorio : *V*. [g] et omnes... emptos : *deest V*. [h] loquatur : *Q*. [i] apud *V tantum* ; L^1 *add.* : lectiones. [j] ibidem : *V*. **39** : MP^1. **40** : P^1. **41** : MP^1QT^5V. [a] nec sigillum... hoc additur : *Q*. [b] sine patris abbatis consilio : *V*. [c] *hic desin.* T^5 [d] per se vel per suas litteras seq. anno in Cap. gen. : *V*. [e] nuntiare : *Q*. intimare : *V*. [f] fideliter : *V*. **42** : $L^1MP^1P^{10}$. [a] nil : *M*. ;

---

1) Waverleia.

phemiae contra dominum regem Francorum protulerit, et si ipsum invenerint culpabilem, ipsum debita animadversione secundum discretionem suam studeant castigare.

43. Cum quidam casus enormis acciderit in domo de Scala Dei, abbati Morimundensi committitur quod per se vel per alium, quos in illo casu culpabiles invenerint puniat secundum quod viderit expedire.

44. Finem litibus cupiens imponere Capitulum generale, ne partes ultra modum graventur laboribus et expensis super querela quae inter abbatem de Grandi prato et abbatissam de Valle Beatae Mariae ordinat et diffinit quod utraque pars per iuramentum suum offerat in medium quidquid de bonis illius matronae defunctae habuit quoquo modo, quo facto per abbatem Veteris Montis et Loci Sancti Bernardi ad hoc eligendum utrique parti media pars omnium bonorum dictorum integraliter et fideliter assignetur, et ne altera pars expensas in lite factas alteri respondere teneatur, sententiae et processus hactenus habiti revocantur.

45. Super excessibus gravissimis abbatis de Alcubacia nuntiatis Capitulo generali patri abbati committitur, ut per se vel per alium in sua visitatione super his inquirat diligentius veritatem, et ipsum per depositionem aut alio modo puniat secundum quod demeruerit eius culpa.

46. De mittendo ad Curiam romanam, discretioni domini abbatis Cistercii et quatuor primorum abbatum committitur quod ibidem mittant quando viderint expedire.

47. Petitio abbatis de Brolio, qui petit absolvi a susceptione hospitum per triennium, exauditur.

48. Petitio abbatis de Porta Coeli, qui petit absolvi a susceptione hospitum per triennium, exauditur.

49. Petitio abbatis de Valle salutis, qui petit semel remanere de Capitulo, exauditur.

50. Petitio abbatis de Prato [benedicto], qui petit quod domina Migella nuper defuncta possit habere missam quotidianam pro defunctis in domo sua, exauditur.

51. Petitio abbatis de Trap[p]a, qui petit absolvi a susceptione hospitum per triennium, dummodo revocet conventum suum, exauditur.

43-44 : *P*¹. **45** : *MP*¹. **46-52** : *P*¹.

52. Petitio abbatis de [S. Benedicto in monte] Favali, qui petit semel remanere de Capitulo, exauditur.

53. Petitio comitissae Flandriae, quae petit quod filia sua monialis F(e)linensis non transferatur ad aliud monasterium, nec contra voluntatem suam assumatur ad alicuius monasterii regimen, exauditur.

54. Petitio abbatis Sancti Galgani [a], qui petit historiam sancti Galgani decantari in domo sua, exauditur.

55. Petitio abbatis de Caritate, qui petit anniversarium comitissae Antissiodorensis fieri in domo sua, exauditur.

56. Petitio comitissae Britanniae, quae petit quod abbatia sua monialium quam fundavit in Britannia sit filia Eleemosynae, exauditur.

57. Petitio abbatis de Bethania, qui petit dispersionem conventus sui, exauditur.

58. Petitio abbatis de Alto fonte qui petit absolvi a susceptione hospitum per quinquennium, exauditur.

59. Petitio comitis Alaconensis [a], qui petit unam missam pro defunctis post obitum suum a singulis sacerdotibus Ordinis universi, exauditur.

60. Petitio abbatis de Dunis, qui petit dispersionem conventus sui, exauditur.

61. Petitio abbatis Vallium Sarnay, qui petit absolvi a susceptione hospitum per triennium, exauditur.

62. Petitio abbatis de U(l)trina valle, qui petit dispersionem conventus, sui exauditur.

63. Petitio comitis et comitissae Drocarum, qui petunt anniversarium suum fieri in Ordine post obitum suum, et in rotulo annotari, exauditur.

64. Petitio abbatis Amelonon [1], qui petit quod possit recipere conversos in domo sua, exauditur.

65. Petitio regis Maioricarum, qui petit unum conversum de domo Fontis frigidi, dummodo honestis deputetur officiis, exauditur.

---

53 : *MP¹W*. **54-55** : *MP¹*. [a] de historia... decantanda : *M*. **56-58** : *P¹*. **59** : *MP¹*. [a] Alenconensis : *M*. **60-62** : *P¹*. **63** : *MP¹*. **64-66** : *P¹*.

---

[1]) Amelongesborna.

66. Petitio nobilis viri domini Petri Torneline, qui petit unum monachum de Sancto Albino, exauditur.

67. Petitio abbatis de Loco Dei, qui petit quod possit mittere conversum suum qui interfecit hominem corpus proprium defendendo, ad impetrandum absolutionis beneficium [a], exauditur.

68. Petitio abbatis de Galneri [1] Villerio, qui petit absolvi a susceptione hospitum per triennium, exauditur.

69. Petitio abbatis [Vallis] Sancti Lamberti, qui petit dispersionem conventus sui, exauditur.

70. Petitio abbatis de Forda, qui petit semel remanere de Capitulo, exauditur.

71. Petitio domini Ioannis de Kirkemby, clerici domini regis Angliae, qui petit quod anniversarium antecessorum suorum fiat per totum Ordinem, exauditur.

72. Petitio comitis de Lucemboch, qui petit unum monachum de Aurea valle, exauditur.

73. Petitio abbatis de Beatitudine, qui petit semel remanere a Capitulo, exauditur.

74. Petitio abbatis de Rupe Casselii [2], qui petit semel remanere a Capitulo, exauditur.

75. Petitio domini Mathaei cardinalis, qui petit habere plenum servitium per totum Ordinem post eius obitum, exauditur. Item, conceditur eidem quod una missa de Beata Virgine dicatur pro eo in singulis domibus Ordinis universi.

76. Auctoritate Capituli generalis praecipitur abbatibus Ordinis universi, quatinus de summa pecuniae sibi imposita pro subsidio Terrae sanctae anno futuro in Divione satisfaciant ante recessum Capituli generalis; alioquin sententiam depositionis noverint se incurrisse.

77. Petitio domini episcopi Sedunensis qui petit unum monachum et unum conversum de Ordine exauditur, ita quod conversum de Alto Cresto habeat et monachum de alio monasterio ubi duxerit eligendum.

78. Compositionem factam inter abbatem de Signiaco et abbatem de Valle regis confirmat et approbat Capitulum generale.

79. In primis, querela abbatis de Voto [3] in Hybernia contra

---

67 : *MP*¹. [a] officium : *M*. **68-74** : *P*¹. **75-76** : *MP*¹. **77-92** : *P*¹.

---

1) Werneri. 2) Rupes, seu Hore abbey. 3) i. e. Tinterna minor.

abbatem de Vandonay [1], de Arvi campo et de Kyrie [eleison] committitur, etc.

80. Querela abbatis de Surio contra abbatem de Portu Sanctae Mariae, de Arvi campo et de Voto in Hybernia abbatibus committitur, etc.

81. Querela abbatis de Stella contra abbatem de Fonte Ioannis, de Misericordia Dei et de Bona valle in Pictavia abbatibus committitur, etc.

82. Querela abbatis de Maceriis contra abbatem de Benedictione Dei, de Monte petroso et de Septem Fontibus abbatibus committitur, etc.

83. Querela abbatis de Varennis contra abbatem de Pratea, abbati de Albis petris committitur, etc.

84. Querela abbatis de Alta cumba contra abbatissam de Bitumine, de Bona valle et de Chasreto [2] abbatibus committitur, etc.

85. Querela abbatis de Choro Benedicti contra abbatem de Albo tractu, de Arvi campo et de Voto in Hybernia abbatibus committitur, etc.

86. Querela abbatis Populeti contra abbatissam Vallis bonae, de Crucibus et Fontis clari abbatibus committitur, etc.

87. Inspectio loci in quo fundare abbatiam monachorum nobilis vir dux Rusciae, de Andrea [3] et de Vascoriis [4] abbatibus committitur, etc.

88. Inspectio loci, in quo fundare intendit abbatiam monialium archiepiscopus et scabini Colonienses, de [veteri] Campo et de Valle Dei abbatibus committitur, etc.

89. Inspectio loci in quo fundare intendit abbatiam monachorum Iohemto Ioseph et Andreas fratres barones de Polonia, de Buch [5] et de Paradiso abbatibus committitur, etc.

90. Inspectio loci in quo fundare intendit abbatiam monachorum nobilis vir Bondoac in Bohemia, de Pomo [6] et de Hilaria abbatibus committitur, etc.

91. Inspectio loci in quo fundare intendit abbatiam monachorum episopus Constantiensis, de Lucel[l]a(n) et de Porta coeli abbatibus committitur, etc.

92. Inspectio locorum ad quos transferre intendit abbas Sancti

---

1) Woneyum, alias Abbington. 2) i. e. Chesiriacum. 3) Andrejovia. 4) Vanchoscum. 5) Vallis S. Aegidii. 6) Nepomucum.

Galgani duo monasteria monialium, videlicet de Sancta Maria Magdalene in Cellibus, et de Sancto Bernardo, de Septimo et de Mir[t]eto abbatibus committitur, etc.

1280

Anno [a] Domini millesimo ducentesimo octogesimo statuta sunt haec apud Cistercium in Capitulo generali.

1. In primis, propter [a] bonum Ordinis, pacem pariter et honorem, statuit et ordinat Capitulum generale ut personae de Ordinibus Mendicantibus ad nostrum Ordinem venientes, de cetero [b] non promoveantur ad aliquas dignitates, nisi de licentia Capituli generalis.

2. Item, abbati de Castro Dei, quia non satisfecit secundum quod eidem a Capitulo generali mandatum fuerat, abbati Frigidi montis de expensis monachi sui, ibidem pro falsitate incarcerati, iniungitur ut poenam peragat levis culpae tribus diebus, uno eorum in pane et aqua, et nihilominus nisi ei satisfecerit infra Pascha, gradum altaris non ascendat, quousque dicto abbati plenarie satisfecerit de expensis secundum mandatum Capituli generalis, et hoc eidem abbas de Sancto Salvatore per se vel per alium denunciet.

3. Item, abbati de Salt[e]re[ia] praecipitur auctoritate Capituli generalis ut infra Pascha abbati de Bona requie satisfaciat plenarie de summa pecuniae de qua eidem tenetur annuatim. Et si contra ipsum causam aliquam senserit se habere, petat iudices secundum quod inter personas Ordinis etiam ab antiquo fieri consuevit.

4. Item, frater Theobaldus monachus Frigidi montis qui abbates a Capitulo revertentes male recepit, propter suam malitiam infra festum sancti Dionysii poenam peragat levis culpae.

5. Abbas de Petra fertili in Hybernia qui non venit ad Capitulum anno quo venire debuit nec se legitime excusavit, poenam sustineat a Capitulo generali constitutam, distinctione 5[a], capitulo 2º, quae sic incipit : Abbates qui ad Capitulum non venerint, etc., et hoc eidem abbas de Beatitudine denuntiet.

1280. [a] *Titulus apud* P^1QV; *apud* P^{10}. S. Sede vacante. **1** : $L^1MP^1P^{10}QV$. [a] propter... generale : *deest Q.* [b] *deest M.* **2** : MP^1. **3** : P^1. **4** : MP^1. **5** : P^1.

6. Abbas de Bella valle qui permisit ministrare carnes in suo infirmitorio archiepiscopo Bisuntino contra Ordinis instituta, auctoritate Capituli generalis [a] tribus diebus poenam peragat levis culpae, uno eorum in pane et aqua, sciens [b] quod ei parcitur hac vice.

7. Item, ordinat et statuit Capitulum generale ut Petrus de Tolosa et Remundus Tosquar garciones laici, pro eo quod inventi sunt interfuisse decaudationi et vulnerationi equorum abbatis Scalae Dei, a servitio totius Ordinis totaliter expellantur, et numquam ad serviendum in Ordine ab aliquo de cetero admittantur.

8. Cum nullus secundum Dei iudicium de sua malitia commodum debeat reportare, inhibet Capitulum generale, ne frater [a] Bernardus quondam abbas Scarpii qui male se habuit in regimine domus suae, eam magnis debitis obligando, non equitet in futurum, nec exeat de abbatia, nisi cum conventu, et ultimus sit omnium [b], et omni sexta feria in pane et aqua, nisi gravi infirmitate, sive grandi solemnitate ei misericordia sit facienda, et hanc poenam sustineat usque ad sequens Capitulum generale.

9. Statuit et ordinat Capitulum generale ut dominus abbas Cluniacensis cum eius Ordine universo nostro Ordini societur, et in rotulo Cistercii conscribatur, et de ipsis fiat commemoratio cum aliis amicis Ordinis, annis singulis die ultima Capituli generalis, et pro ipsis iniungatur oratio specialis. Hoc idem conceditur abbati de Sancto Albano [a] in Anglia conservatori privilegiorum Ordinis universi [b].

10. Cum quibusdam monachis de speciali gratia intrare Cistercium tempore Capituli generalis conceditur, et ipsi ab ecclesia et divino servitio se absentent, etsi alias fuerit in Capitulo generali diffinitum, quod conventum sicut alii claustrales tenerent, et horis canonicis [c] interessent ; iterum generale Capitulum ordinat et diffinit, quod omnes monachi huiusmodi ad omnes horas canonicas veniant quamdiu in Cistercio fuerint, et qui venire neglexerint, vel sine licentia prioris vel supprioris remanserint, ducantur in capitulum monachorum, et ibidem coram omnibus vapulent, et ad nutum prioris de Cistercio expellantur, si ei vi-

---

6 : MP^1. [a] auct. Cap. gen. : *deest M.* [b] sciens... vice : *deest M.*
7 : P^1. **8** : MP^1T^5. [a] pater : *M.* [b] omnibus : *M.* **9-10** : $L^1MP^1P^{10}$.
[a] Albasio : L^1. [b] nostri : L^1. [c] P^1 *statim transit ad* : quamdiu in...

sum fuerit expedire, exceptis notariis, quibus ingressus eo tempore per diffinitiones Capituli est concessus.

11. Quoniam propter bonorum temporalium distractiones saepe contingit imminere pericula et iacturas, Capitulum [a] generale duxit [b] statuendum, ne de cetero aliqua persona Ordinis nostri absque licentia speciali dicti Capituli generalis praesumat aliquam vendere personis saecularibus pro pecunia pensionem, nisi illa pecunia in [c] emptionem alicuius possessionis, ex [d] qua fructus percipiat qui pecuniam in praesenti tradidit, totaliter convertatur.

12. Diffinitioni olim editae distinctione 7[a], capitulo 12° quae sic incipit: Qui pro abbatis creatione vel aliqua [a] ordinatione, etc., hoc additur quod abbates quicumque contrarium [b] fecerint eo ipso pro depositis habeantur, quia hoc videtur aperte secreta Ordinis saecularibus revelare.

13. Quoniam servientibus Domino in timore non expedit [a] omni [b] strepitu saecularium molestari, nec decet religionis innocentiam publicis actibus immisceri, auctoritate [c] Capituli generalis prohibetur [d], ne de cetero publice poenitentes pro peragenda sua poenitentia in nostris monasteriis ullatenus admittantur; quicumque [e] contra fecerint, abbates et priores a divinis abstineant, quamdiu apud eos tales contigerit commorari [f].

14. Auctoritate Capituli generalis abbati [a] de Lanvanciis [b] [1] praecipitur ut abbati de Begar in Britannia quolibet anno in centum solidis Turonensibus satisfacere teneatur, quamdiu conversum eius in suo carcere detinebit pro crimine falsitatis, et de tempore praeterito secundum taxationem praedictam satisfaciat.

15. Abbatibus novis de Sicilia, qui hoc anno non venerunt ad Capitulum generale, indulgetur hac vice, ob reverentiam domini regis Siciliae specialem, eis tamen praecipitur ut anno sequenti venire ad idem Capitulum teneantur.

16. Cum iuxta modum et quantitatem criminis extendi

---

11 : *MP¹QV*. [a] *Q incip.*: Item prohibet Cap. gen. [b] statuit : *V*. [c] intentionem : *P¹*. [d] ex qua... tradidit : *deest V*. **12** : *P¹Q*. [a] *deest Q*. [b] contrafecerint : *Q*. **13** : *L¹MP¹P¹⁰QT⁵V*. [a] licet : V. [b] omnino: *P¹T⁵V*. [c] *hic incip. Q*. [d] inhibetur : *Q*. [e] si quicumque : *Q*. [f] immorari : *P¹*. **14** : *MP¹T⁵*. [a] *hic incip. M*. [b] Lenhi : *MP¹*. **15-16** : *MP¹*.

---

1) Landavallis.

debeat severitas ultionis, et nulla maior sit iniustitia quam iniquitas, statuit et ordinat Capitulum generale, ut omnes sententiae, correctiones, ordinationes factae per dominum Cistercii et suos collegas iuxta commissionem anno praeterito ab eodem Capitulo generali eis factam, super gravissimis excessibus monachorum et conversorum de Prulliaco, inviolabiliter teneantur, et eas approbat idem Capitulum generale et confirmat, hoc adiuncto, quod octo de illis videlicet Ioannes de Colomiers, Simon de Voio, Ioannes de Bombonio, Ioannes de Barbero [a], Petrus de Guisa [b], Nicolaus Picardus [c], Petrus de Scaute, Laurentius quondam supprior, qui plus ceteris culpabiles sunt reperti, sub poena conspiratorum a domo propria emittantur, usque ad nutum Capituli generalis. Tres vero conversi dictae domus, videlicet Guillelmus Burgundus, Adam de Bombonio et Petrus de Bombonio, qui de eodem crimine sunt convicti, eliminentur sub eadem poena a domo propria, numquam nisi de speciali licentia Capituli generalis reversuri.

17. Super dispersione conventus Vallis Sancti Lamberti, quae denigrat bonam famam Ordinis apud bonos, abbati praecipitur dicti loci ut infra instans Capitulum generale conventum suum teneatur totaliter revocare.

18. Quoniam fugitivorum nostrorum effrenata praesumptio et discursus puritatem Ordinis enormiter dehonestant, auctoritate Capituli generalis praecipitur universis abbatibus, per totam provinciam Moguntinam, ut fratres Ludovicum [a] et Hermannum monachos de Belthuza [b] [1], qui Dei timore postposito, salutis suae immemores, famae suae prodigi, discurrunt per magnatum curias, et per saeculum evagantur, ad expensas abbatiae ipsorum capiant seu capi faciant, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis, et nihilominus donec redeant ad domum propriam, pro qualitate criminis poenitentiam, recepturi, omni die quo fit sermo in capitulis nostris, eos pro excommunicatis, abbates solum de Moguntinensi et Epipolensi [c] [2] dioecesibus denuntiare teneantur publice in suis capitulis.

19. Creationem abbatis de Valle Dei generale Capitulum ap-

---

[a] Barbeto : *P*¹. [b] Guizia : *P*¹. [c] Preardus : *P*¹. **17-19** : *MP*¹*W*.
[a] Lodoicum : *MW*. [b] Belthaza : *M* ; Belhiza : *P*¹. [c] *deest M. ubi locus vacuus.*

---

1) Bildhausen. 2) Herbipolensis.

probat et confirmat, ordinans, statuens et committens [d] idem Capitulum patri abbati suo coercitionem, et correctionem inobedientium et rebellium monachorum suorum et conversorum, prout secundum Deum et Ordinem iudicaverit faciendum, ad hoc etiam, si necesse fuerit, brachii saecularis auxilio invocato.

20. Quia sicut [a] nec iustificari impius, ita nec debet innocens condemnari, abbatem de Obazina super verbo blasphemiae in dominum regem Francorum sibi imposito, immunem iudicat generale Capitulum et denuntiat innocentem.

21. Item, quia non decet sanctum dare canibus, nec tribuere insipienti [a] honorem, inhibet [b] et defendit generale Capitulum, ne aliqua persona Ordinis, quae pro culpa sua egerit publicam [c] poenitentiam, ad actus legitimos [d] admittatur ; quos quidem [e] actus tales dicimus, videlicet, quod non admittatur ad accusationem, vel testificationem [f], et quod non possit eligere vel eligi, nec in priorem, suppriorem, cellerarium, aut etiam confessorem.

22. Item, ut negotiis futuris provideatur, ordinat et statuit Capitulum generale quod tempore sequentis Capituli generalis solvatur apud Divionem quarta pars pecuniae quae soluta hoc anno fuit, pro subsidio Terrae sanctae, eamdem poenam sustineant qui non solverint anno praeterito diffinitam.

23. Super depositione fratris Augeri quondam abbatis de Bruer[n]ia in Anglia, qui minus iuste a Capitulo generali depositus extitit denuntiatus ; de Tinterna et de Me[nd]ham et de Heles abbatibus committitur auctoritate Capituli generalis, ut ipsi ad dictum locum personaliter accedentes, diligenter inquirant causas depositionis fratris Augeri quondam abbatis superius nuntiati, et quid invenerint anno sequenti renuntient causas [a] et formam Capitulo generali.

24. Abbas Vallis lucidae, quem pater abbas posuerat in manu Capituli generalis propter excessus multiplices, qui de ipso dicebantur, quia vero non venit ad Capitulum generale, nec se legitime excusavit, immo fraudulenter de dicto Capitulo generali dicitur remansisse ; committitur abbati Aquae bellae auctoritate Capituli generalis, ut ipse cum patre proprio abbatis supradicti

---

[d] commonens, praecipit abbati suo correctionem et cohibitionem : *M*.
20 : $L^1MP^1P^{10}$. [a] *deest M*. **21** : $L^1MP^1P^{10}QT^5V$. [a] incipienti : *M*. [b] *hic incipit Q*. [c] positam : P^1. [d] de cetero : L^1. [e] item : L^1 ; *deest M* ; dem : P^1 ; ideo : T^5. [f] falsificationem : *M*. **22** : P^1. **23-24** : MP^1.
[a] causam et sententiam : *M*.

ad dictum locum personaliter accedat, et si supradictum abbatem de suis excessibus non invenerit emendatum, eumdem puniat secundum quod fuerit teste conscientia puniendus.

25. Super rebellione monachorum de Kristquestal[1] contra patrem suum de Fontibus in Anglia et conspiratione orta inter seipsos, de Rievalle et de Rufort abbatibus committitur ut personaliter accedant ad dictum locum et ibidem simul faciant, corrigant et ordinent ea quae secundum Deum et profectum animarum viderint facienda et corrigenda auctoritate Capituli generalis, et quid inde fecerint, etc.

26. Petitionem nobilissimi viri comitis Cornubiae, qui petit propriis sumptibus aedificare studium nostri Ordinis Oxoniae [a] in Anglia, Capitulum generale plenis gratiis prosequens, approbat et confirmat, committens executionem negotii abbati de Thama in plenaria Ordinis potestate, ita quod eisdem libertatibus, iuribus, et dispensationibus per omnia gaudeat ille locus, quibus gaudet studium beati Bernardi Parisiense [b], et studentes monachi in dicto studio de diversis abbatiis congregati, et dictus [c] abbas de Thama curam habeat dictae domus, sicut habet et studii sancti Bernardi venerabilis pater dominus [d] Claraevallis.

27. Super vitio simoniae abbati Scalae Dei imposito ratione venditionis cuiusdam ecclesiae, patri suo abbati committitur, ut tempore visitationis per se vel per alium causas et formam diligenter inquirat, et quid inde invenerit renuntiet anno sequenti Capitulo generali.

28. Super querela abbatis de Bodelo(s) contra abbatem de Dunis, de Camberone et de Capella abbatibus iudicibus a Capitulo datis, abbas de Loco Sancti Bernardi pro tertio adiungitur, ut cum duobus aut altero illorum causae illorum debitum finem imponant auctoritate Capituli generalis.

29. De Tinterna et de Thama abbatibus ordinatio abbatiae Gratiae Dei committitur, ut ad locum personaliter accedentes, de causis ruinae dictae domus et de auctoribus ipsius diligenter inquirant, et tam in capite quam in membris, quam etiam in

---

25 : *P*¹. **26** : *L*¹*MP*¹*P*¹⁰*T*⁵. [a] Auxoniae : *L*¹*P*¹⁰. [b] Parisii : *M* ; Parisiis : *P*¹. [c] dominus : *L*¹. [d] domus ; *M*. **27** : *MP*¹. **28** : *P*¹. **29-30** : *MP*¹.

---

[1]) Kirkstall.

rebus ordinent, et faciant auctoritate Capituli generalis secundum Deum et dictae domus utilitatem quae iudicaverint facienda.

30. Petitio illustrissimi domini regis Castellae, qui petit ut possit fundare abbatiam monachorum apud Hispalim, et ut incorporentur Ordini nostro fratres qui illic habitant Ordinis Penitentiae Iesu Christi, totaliter exauditur, ita quod dicti loci inspectio de Grandisylva et Regali Murcia abbatibus auctoritate Capituli generalis committitur, ut ad dictum locum accedant, et si eis et domino regi visus fuerit sufficiens, conventum ibi per se vel per alios introducant, prout ipsis secundum Deum et Ordinem viderint expedire.

31. Petitio nobilis comitissae de Ioniaco, quae petit a Capitulo generali sibi concedi ut in domo Eschallearum [1] una missa pro ea celebretur quotidie, exauditur.

32. Petitio abbatis de Dulci corde, qui petit semel remanere de Capitulo, exauditur.

33. Petitio domini episcopi Wintoniensis iam defuncti, qui petit ut fieret mense februario anniversarium eius in Ordine, exauditur.

34. Petitio abbatis de Insula, qui petit unam missam decantari in sua abbatia quotidie, exauditur.

35. Petitio abbatis de Clariana, qui petit semel remanere de Capitulo, exauditur.

36. Petitio abbatis de Bredela(th)[r], qui petit dispersionem conventus sui, exauditur.

37. Petitio abbatis Sancti Salvatoris in Hibernia, qui petit semel remanere de Capitulo, exauditur.

38. Petitio abbatis Alcobatiae, qui petit anniversarium fieri in domo dua pro rege Portugalliae, et unam missam quotidie, exauditur.

39. Petitio abbatis de Vavverulle [2], qui petit semel remanere de Capitulo, exauditur.

40. Petitio abbatis de Sacramoenia, qui petit anniversarium cuiusdam nobilis fieri in domo sua, exauditur.

41. Petitio abbatis de Tola [3], qui petit dispersionem conventus suis, exauditur.

31-58 : *P*¹.

---

1) Scarleiae. 2) Waverleia. 3) Thela.

42. Petitio domini Ioannis de Bastoy, domini regis consiliarii, qui petit quod fiat anniversarium pro se post mortem et domina Agnete matre sua iam defuncta, per universum Ordinem, exauditur.

43. Petitio domini regis Siciliae, qui petit unum monachum de Ursicampo exauditur, dummodo honestis deputetur officiis.

44. Petitio abbatis de Valle Dei in Anglia de dispergendo conventum suum, et quod semel remaneat de Capitulo, et quod capi faciat fugitivos domus suae, exauditur.

45. Petitio domini episcopi Convenarum, qui petit unum monachum de Benedictione Dei, exauditur.

46. Petitio abbatis de Salseda, qui petit semel remanere de Capitulo, exauditur.

47. Petitio abbatis de Comor [1] in Hibernia, qui petit semel remanere de Capitulo, exauditur.

48. Petitio abbatis Clari loci, qui petit dispersionem conventus sui, exauditur.

49. Petitio abbatis de Ru(i)na, qui petit semel remanere de Capitulo, exauditur.

50. Petitio abbatis de Men[d]ham, qui petit semel remanere de Capitulo, exauditur.

51. Pro domina comitissa Flandriae iam defuncta persolvatur plenarium servitium, et habeat anniversarium per Ordinem universum.

52. Querela abbatis de Sacramoenia contra abbatem de Spina, de Superado et de Monte salutis abbatibus committitur, etc.

53. Querela abbatis de Bodel(es)[o] contra abbatissam de F(e)linis, de Loco [S. Bernardi] et de Laude abbatibus committitur, etc.

54. Querela abbatis de Bivio [2] contra abbatissam de Lo[r]bano, de Seytia [3] et de Sancto Paulo abbatibus committitur auctoritate Capituli generalis, et quid inde, etc.

55. Querela abbatis Fontis Ioannis contra abbatissam de Nemoso [4], de Sacro portu [5] et de Sacra cella abbatibus committitur, etc.

56. Querela abbatis Sancti Andreae iuxta Ianuam contra abbatem de Rochadia, abbati Sancti Stephani de Bosco committitur, etc.

---

1) Cumber, Comererium. 2) Burio. 3) Ceica. 4) Gaudium prope Nemosium. 5) Alias Barbellum.

57. Querela abbatis de Comor in Hybernia contra abbatem de Viridi ligno, de Mellifonte et de Beatitudine abbatibus committitur, etc.

58. Querela executorum testamenti Mariae quondam civis... contra abbatem Leucellis [1], de Quintiaco et de Castenia [2] abbatibus committitur, etc.

59. Abbas de Krikistal qui non solvit secundum mandatum Capituli generalis pecuniam, in qua tenebatur domino Iordano cardinali amico Ordinis speciali, nec aliquid rescripsit eidem Capitulo, deponitur in instanti. Hoc [a] eidem pater eius de Fontibus de mandato Capituli generalis denuntiet. Successor vero suus satisfaciat ei infra Pascha, alioquin poenam sustineat in diffinitione anni praeteriti super hoc constitutam.

60. Depositionem factam anno praeterito de domno Petro dicto de Alpibus, de abbatia de Locedio auctoritate Capituli generalis, ratificat et approbat Capitulum generale, maxime quia coram Diffinitoribus sufficienter est probatum, quod idem Petrus occasione dictae depositionis in vocem appellationis prorupit contra ius et nostri Ordinis instituta. Conceditur autem ei quod eligibilis habeatur.

61. Abbas de Ponto [3] qui insidias armatorum procuravit patri suo, sicut et per fide dignos in generali Capitulo veraciter est probatum, deponitur in instanti.

62. De Bullione et de Bethania abbates, qui vendiderunt grangiam Clarifontis contra Deum, contra ius et contra Ordinis instituta, deponuntur in instanti. Abbas vero quondam Loci crescentis, qui praedictae alienationi interfuit cum eisdem, ultimus sit omnium usque ad Pascha, et omni sexta feria sit in pane et aqua usque ad terminum supradictum ; abbatiae vero de Loco crescenti, cui pater abbas providere potuit et neglexit, abbas Dulcis vallis auctoritate Capituli generalis hac vice provideat de pastore.

63. Abbas Sylvae regalis qui fuit depositus vel cessit metu poenae, et iterum sine licentia Capituli generalis abbatizat, deponitur in instanti, et hoc ei pater abbas per se vel per alium denuntiet.

59-64 : *MP*[1]. [a] Hoc... denuntiet : *deest P*[1].

---

1) Lucella (?). 2) Cassania (?). 3) Pons altus.

64. Abbas Sanctae Mariae de Gondonio [a], cui nuntiatum fuit a patre abbate ut veniret ad Capitulum generale, pro diversis transgressionibus responsurus, et non venit, deponitur in instanti. Pater eius de Obazina hoc eidem denuntiet.

65. Abbatem dictum de Oya in Hispania [a], qui se intrudi in abbatiam per manum regiam procuravit, non esse abbatem denuntiat Capitulum generale. Hoc adiungitur quod de cetero non possit eligi in abbatem, nisi de eiusdem Capituli licentia speciali [b]. De Superado et de Spina abbates hoc eidem denuntiare ex parte Capituli generalis teneantur.

66. Abbas Sancti Petri de Gomella [1], qui existens abbas unius abbatiae, se fecit in aliam per potestatem saecularem introduci, et quamdam suam grangiam alienavit, et plurima alia mala suo monasterio intulit, deponitur in instanti. De Superado et de Metaplana abbates hoc eidem denuntient auctoritate Capituli generalis.

67. Abbas Alcubatiae in Lusitania [a], qui proterve suis visitatoribus se opposuit, et eorum processum commissum a generali Capitulo per se et per alios impedivit, nec non bona abbatiae suae enormiter dilapidavit [b], deponitur in instanti.

68. Cum abbas de Valle Paradisi in abbatem institutus sit per eum qui nec ius nec potestatem instituendi habuit, generale Capitulum ipsum denuntiat non abbatem. De Superado et de Metaplana abbates hoc ei in abbatia ipsius denuntient auctoritate Capituli generalis.

69. Quoniam de abbate de Boheriis multa turpia et inhonesta pervenerunt ad aures Capituli generalis, et quia male monasterium suum rexerit, auctoritate dicti Capituli deponitur in instanti.

70. Abbas Vallis bonae, de quo multa enormia frequenter pulsaverunt aures Capituli generalis, deponitur in instanti. De Superado et de Buxeto abbates hoc eidem denuntient ; et si sententiae inobediens fuerit aut rebellis, auctoritate dicti Capituli per ipsos excommunicationis sententia percellatur.

71. Inspectio abbatiae Novae Cellae quam intendit fundare

---

[a] Gorgonio : *M*. **65** : *MP¹T⁵*. [a] *deest MP¹*. [b] *hic desin. T⁵*. **66** : **67** : *MP¹T⁵*. [a] *deest MP¹*. [b] dissipavit : *P¹*. **68-70** : *MP¹*. **71-76** : *P¹*.

---

1) S. Petrus de Gumiel.

dominus marchio Missionensis, de Paradiso et de Broloh [1] abbatibus committitur auctoritate Capituli generalis, et si eis videbitur expedire introducant ibi conventum de abbatia de Cella [2], auctoritate dicti Capituli minime expectata, et sit filia de Cella.

72. Inspectio loci ubi intendit fundare abbatiam monachorum Richardus nobilis de Bohemia, de Pomoch [3] et Plazs [4] abbatibus committitur, etc.

73. Inspectio loci qui est apud Tolosam ubi intendit fundare seu aedificare studium Ordinis abbas Grandisylvae, de Berdonis et de Villa longa abbatibus committitur ut ad locum accedant, et quid invenerint renuntient sequenti anno Capitulo generali.

74. Inspectio abbatiae Novae salutis in Polonia incorporandae Ordini nostro, de Paradiso et de Boch [5] abbatibus committitur ut ad dictum locum personaliter accedant et Ordini si sufficiens fuerit, incorporent, non expectata licentia Capituli generalis, et sit filia de Borisbrach [6].

75. Inspectio abbatiae quam intendit fundare dominus Andreas, cancellarius ducis Poloniae, de Paradiso et de Lucna [7] abbatibus committitur, etc.

76. Inspectio loci monialium quas petit dominus Latinus cardinalis incorporari nostro Ordini, de Sancto Galgano et de Sancto Martino in Viterbio abbatibus committitur, etc.

77. Pro episcopo quondam Vintoniensi fiat anniversarium, sicut concessum fuerat mense februario.

1281

Anno [a] Domini millesimo ducentesimo octogesimo primo statuta sunt haec apud Cistercium [b] in Capitulo generali [c].

1. In primis, cum facti vel iuris ignorantia culpas delinquentium extenuare plerumque [a] soleat, aut penitus excusare, idcirco quaestionem [b] in generali Capitulo propositam, qui sint [c] illi quos Ordo [d]

---

77 : *MP*¹.
1281. [a] *Titulus apud P¹P¹⁰QV tantum.* [b] tempore Cap. gen. : *V.* [c] *apud L¹ legitur in margina* : Martino IV Pp. ; *et insuper apud P¹⁰* : Ioanne I abbate Cist. 25°. **1** : *L¹MP¹P¹⁰QT⁵V.* [a] plurimumque : *P¹.* [b] *hic incip. Q.* [c] sunt : *L¹P¹P¹⁰.* [d] noster : *Q.*

---

1) Dobraluca. 2) Vetus cella. 3) Nepomuum. 4) Plassium. 5) Buch, seu Vallis S. Aegidii. 6) Dobraluca (?). 7) Alias Wagroviecium.

iudicat [e] ab actibus legitimis repellendos sic determinat [f] Capitulum generale, quod quicumque culpis suis exigentibus per Superiorum suorum sententiam iam [g] fuerunt vel in posterum fuerint privati habitu regulari pro furto, carceri mancipati seu etiam mancipandi, de conspiratione, de incendio, de homicidio, de falsitate litterarum, de solemni periurio publice [h] confessi aut legitime [i] convicti, omnes tales tamquam infames ad actus legitimos nullatenus admittantur.

2. Item, quoniam universus Ordo per vigorem et ordinationem Capituli generalis in fervore religionis et decore honestatis assidue conservatur, statuit [a] et ordinat dictum Capitulum, ut abbates qui remanserunt de praesenti Capitulo non mittentes idoneos responsales, vel in posterum remanebunt, aut in via infirmitate praepediti [b], et per abbates vel litteras excusare se legitime non curaverunt, vel in posterum non curabunt, omnes poenitentiam peragant levis culpae.

3. Item, scrupulosa interpretatio diffinitionis olim editae de acquisitis, apud multos varios generat intellectus, idcirco ut omnis dubietatis materia auferatur, declarat sic eam Capitulum generale, quod illa diffinitio respiciat tantummodo [a] ad futura.

4. Item, ut pseudoreligiosorum, qui sub honestatis pallio Ordinem maculant, et tamquam angeli satanae in angelos lucis se transfigurant, possint astuciae deprehendi et eorum malitiis obviari, duxit [a] generale Capitulum provide statuendum, ut diffinitioni anno Domini MCCLXXIX editae de illis qui inordinate de abbatiis exeunt de nocte hoc additur quod illi qui de grangiis Ordinis et cellariis simili modo de nocte exierint, poenam consimilem sortiantur.

5. Item, quoniam libertatis [a] gratia, quae ab Ordine pauperibus et oppressis conceditur in subsidium, per nonnullos convertitur in abusum [b], diffinitioni olim editae de dispersione conventuum, ordinat et statuit Capitulum generale hoc addendum, quod abbates huiusmodi dispergentes omnem provisionem, quae in usus [c] dispersorum cederet, si adessent, in evidentem utilitatem

---

[e] T^5 *incip.* : Cap. gen. determinat illos ab actibus... [f] declarat idem Cap. : *Q.* [g] *deest M.* [h] publice... convicti : *deest V.* [i] *deest M.*
2 : MP^1Q. [a] *hic incip. Q.* [b] impediti : *M.* **3** : MP^1. [a] tantum : *M.*
4 : MP^1Q. [a] *hic incip. Q.* **5-6** : $L^1MP^1P^{10}Q$. [a] *deest Q.* [b] albusum : *Q.* [c] usum : L^1P^{10}.

domorum suarum convertere teneantur, et coram visitatoribus suis computare.

6. Item, cum beatissima Dei Genitrix Virgo semper Maria singularis excellentiae dignitate merito sanctis omnibus super laudabilis ab omnibus fidelibus sit multipliciter honoranda, et principaliter ab Ordine nostro, qui speciali ipsius patronatu ac patrocinio prae ceteris Ordinibus insignitur, ordinat [d] et statuit Capitulum generale, quod quotiescumque festivitas alicuius sancti quae habeat in Ordine duas missas, diebus sabbatorum occurrerit, si proprium etiam officium missae matutinalis intitulatum habeat, prima missa in honore ipsius Beatissimae Virginis solemniter [e] celebretur, nisi forte ipsa die sermo in capitulis habeatur.

7. Item, cum sancta mater Ecclesia filiis suis ad se humiliter revertentibus non claudat viscera pietatis, idcirco abbatibus [a] Ordinis universi duxit generale Capitulum misericorditer concedendum [b], ut quotiescumque eiectos [c] de Ordine cum litteris absolutionis [d], seu totaliter dimissos, poenitentia ductos contigerit velle ipsis abbatibus confiteri, auctoritate [e] Capituli generalis possunt eos audire, et a peccatis suis absolvere, ac iniungere poenitentiam salutarem.

8. Item, quoniam iuxta censuram iustitiae, sicut humiles absolvit obedientia, sic mulctare debet [a] rebelles [b] et contumaces, statuit [c] et ordinat Capitulum generale, quod abbates qui citati fuerint a patribus suis ut accedant ad Capitulum generale, veniam super certis [d] excessibus petituri, et facturi quod iustitia Ordinis suadebit, si venire contempserint, in ipso generali Capitulo deponantur.

9. Item, cum insipientia [a] mentis stultitiam simul pariat et errorem, et e contrario scientia ab omnibus [b] naturaliter appetatur, concedit Capitulum generale ut in maioribus abbatiis ubi [c] octoginta [d] monachi vel amplius fuerint, possit haberi [e] studium, non solum in theologia, verum etiam in qualibet alia facultate, et de ceteris abbatiis possint illuc mittere monachi ad studendum [f], dum tamen pro se [g] satisfaciant in expensis.

---

[d] *hic incip. Q.* [e] *apud Q tantum* **7** : MP^1QT^5V. [a] *hic incip. Q.* [b] annuendum : *M* ; indulgendum : *V*. [c] citatos : *M*. [d] absolutoriis : P^1Q. [e] dicti : *Q*. **8** : MP^1QV. [a] dicitur : P^1. [b] rebellio contumacis : P^1V. [c] *hic incip. Q.* [d] ceteris : MP^1. **9** : $L^1MP^1P^{10}T^5V$. [a] inscientia : P^{10}. [b] approbatur : *M*. [c] T^5 *incip.* : Statuit ut in abbatiis ubi sunt... [d] octo : *M*. [e] studia theologiae et philosophiae, etc. : T^5. [f] propriis in expensis : *V*. [g] per : *M*.

10. Item, quoniam quanto frequentius superioris iussio iteratur, tanto gravior eius transgressio iudicatur ; idcirco cum saepius generale Capitulum prohibuerit quod abbates venientes ad ipsum Capitulum secum monachos non adducant, praecipit [a] idem Capitulum generale firmiter et districte quod omnes abbates qui ad praesens Capitulum secum monachos adduxerint, vel de cetero adducent, cum ad domos proprias redierint, agant poenitentiam levis culpae.

11. Item, super depositione abbatis de Bruer[n]ia anno praeterito per generale Capitulum facta, cum eidem Capitulo facta fuerit plena fides, quod usquequaque non sunt vera illa quae contra ipsum proposita fuerunt Capitulo generali, seu obiecta, volens ipsum ex gratia Capitulum honorare, concedit, quod in eadem domo vel in alia eligibilis habeatur ; monachi vero inobedientes et rebelles, scilicet Guillelmus de Bristolt[a], Robertus de Rinquested [b], Henricus de Hoch [c], Alanus de Stesmeseter [d], Guillelmus de Abindone [e], omni sexta feria per annum sint in pane et aqua, et ultimi omnium habeantur.

12. Item, quia non est iustificare impium, sicut nec innocentem condemnare ; ideo abbatem de Scala Dei, cui a quibusdam impositum fuerat crimen simoniae, diligenti inquisitione praemissa, per commissionem generalis Capituli ipsum iudicat dictum Capitulum et denuntiat totaliter innocentem.

13. Item, ad instantiam illustrissimi domini regis Castellae, cuius dignis precibus contradicere non debemus, factum abbatis Vallis bonae patri abbati a Capitulo generali committitur in plenitudine potestatis.

14. Item, cum creatio abbatis de Valle Dei anno praeterito per Capitulum generale tamquam facta legitime fuerit approbata, et monachi dicti loci inobedientes eidem fuerint ac rebelles, prout auribus dicti Capituli fuit intimatum ; ad convincendam eorum [a] malitiam duxit eos idem Capitulum iterum misericorditer admonendos, ut omnes et singuli suo vero abbati profiteantur et obediant infra instans Natale Domini ; alioquin patri abbati praecipitur ut eos [b] excommunicatos publice denuntiet ex parte Capituli generalis.

---

10 : *MP¹Q*. [a] *hic incip. Q.* **11-13** : *MP¹*. [a] Bristall : *M.* [b] Ringueste : *M.* [c] Roch : *M.* [d] Stenelot : *M.* [e] Albindom : *M.* **14** : *MP¹W*. [a] *deest M.* [b] omnes : M.

15. Item, cum totus Ordo gaudere debeat de multiplicatione suae propaginis et augmento, concedit Capitulum generale quod locus dictus de Flumine vivo restituatur in abbatiam Ordinis, et resurgat, et sit filia, sicut olim fuerat Fontis vivi.

16. Item, cum summus iudex omnium esse dedecus culpae non decore iustitiae non promittat, statuit et ordinat Capitulum generale quod monachus [a] de Fonte vivo, dictus Thadeus, qui rebellis et apostata quasdam possessiones iniuste occupat domus suae, et multipliciter in partibus illis Ordinem dehonestat, per omnes Hiberniae abbatias omnibus diebus quibus fit sermo in capitulis nostris, tamquam proprietarius et conspirator excommunicetur publice, et ab omnibus personis evitetur. Idem statuitur de monacho de Castro Dei in Hibernia, dicto Nicolao, qui furatus est equos abbatis sui, ut dicitur, et multa enormia in illis partibus operatur. Quaecumque etiam personae Ordinis cum habitu nostro inobedienter per saeculum evagantur, poena [b] consimili percellantur, propriis tamen abbatibus conceditur a Capitulo generali potestas absolvendi eos ab excommunicationis sententia, si quando ad Ordinem revertantur.

17. Item, concedit Capitulum generale quod frater Arnaudus quondam abbas de Ponte alto, ad instantiam multorum fide dignorum ferentium eidem bonum testimonium, eligibilis habeatur.

18. Item, abbati quondam de Favali [1] deposito, eo quod non solverat summam pecuniae sibi impositam a Capitulo generali, denuo ut sit eligibilis indulgetur.

19. Item, ob specialem reverentiam et honorem nobilis viri comitis Cornubiae, quem tenetur eidem exhibere merito totus Ordo, concedit Capitulum generale, quod abbas de T[h]ama in loco ubi dictus comes aedificare decrevit studium Ordinis apud Oxoniam abbatem instituat auctoritate Capituli generalis, quando sibi videtur opportunum, et anno sequenti renuntiet Capitulo generali.

20. Item, ad petitionem illustris quondam regis Bohemiae, et nunc [a] ad petitionem reginae et tutoris dictae terrae, quam ob sui reverentiam et honorem, multaque genera meritorum tenetur

---

15 : $L^1MP^1P^{10}$. **16-18** : MP^1. [a] *hic incip. M.* [b] poenitentia : *M.*
19 : $L^1MP^1P^{10}$. **20** : MP^1T^5W. [a] et nunc... Capit. quod : *deest* T^5.

---

[1]) S. Benedictus de Monte Favali.

Capitulum generale exaudire, decernit idem Capitulum, quod paternitas loci qui dicitur Sanctae Coronae, abbati de Plassio [b] de cetero applicetur, non obstante quo dicta paternitas ante destructionem loci fuerit abbatis Sanctae Crucis [c].

21. Item, cum abbas de Dora saepe conquestus fuerit quod super diversis contributionibus sibi impositis saepius sit gravatus, concedit idem dictum Capitulum quod sit de Wallensibus et ad contributiones Cantuariensis de cetero minime teneatur.

22. Item, quoniam ex ignorantiae vel simplicitatis nubilo qui frequenter humanum obnubilat intellectum, nonnullis in dubium vertebatur, utrum [a] abbatibus qui ceperint et detinuerint Ordinis fugitivos, abbates illi quorum sunt ipsi fugitivi expensas eisdem solvere tenerentur; illud dubium lucide declarando generale Capitulum ordinat et diffinit quod tempore quo dictos fugitivos noverint esse captos, ad expensas [b] teneantur totaliter detentoribus eorumdem.

23. Item, cum statum domus filiae pater abbas non debeat ignorare, diffinitioni [a] olim editae de abbatibus qui monachis visitatoribus adiunguntur hoc additur auctoritate Capituli generalis, quod abbates huiusmodi renuntiare [b] debent [c] patri abbati sub sigillis suis statum domus illius quae fuerit visitata.

24. Item, cum a vexatione et gravamine domorum abstinere debeamus [a] quantum possumus, ac etiam personarum, statuit [b] et ordinat Capitulum generale quod illi abbates quibus conceditur a Capitulo generali licentia dispergendi conventus suos, extra provinciam in qua habitant personas emittere non praesumant.

25. Item, cum secundum Apostolum ad hospitalitatem omnium et maxime domesticorum fidei teneamur, statuit [a] et ordinat Capitulum generale, quod fratres de Ordine Praemonstratensium cum ad abbatias nostras declinaverint, caritative recipiantur, et eisdem liberaliter et honeste ministretur.

26. Item, cum conversi monialium Ordinis nostri conversis nostris in professione et habitu per omnia sint conformes, statuit [a] et ordinat Capitulum generale ut quotiescumque dicti conversi

---

[b] Platz : *M* ; Platzs : *P*¹ ; quae prius ad abbatem S. Crucis pertinebat : *T*⁵. [c] *brevior formula apud W.* **21** : *P*¹. **22** : *MP*¹*V*. [a] ut cum : *M*. [b] solvere tenentur : *V cuius formula brevior est.* **23** : *P*¹*QT*⁵*VW*. [a] *hic incip. Q.* [b] renuncient : *T*⁵. [c] tenentur : *Q*. **24** : *MP*¹*Q*. [a] teneamur : *P*¹. [b] *hic incip. Q.* **25** : *L*¹*MP*¹*P*¹⁰*QV*. [a] *hic incip. Q.* **26** : *MP*¹*Q*. [a] *hic incip. Q.*

monialium pro culpis suis ad abbatias monachorum missi fuerint per visitatores, ordinate ipsos in collegiis conversorum abbates admittere teneantur.

27. Item, cum sanctorum gloria sit nobis pro viribus extollenda, populique saecularis devotio ad amorem Ordinis excitanda; idcirco petitio reverendi patris domini episcopi Magalonensis, qui petit ut monachi studentes in Monte pessulano festum translationis cuiusdam virginis de undecim millibus, cuius corpus ibidem habetur, et per quod locus ipse crebris miraculis illustratur, et crescente devotione populi quotidianis muneribus honoratur, possint facere commemorationem eius ad laudes et vesperas quotidie, pro sua reverentia exauditur.

28. Item, auctoritate Capituli generalis praecipitur abbati de Sarcetia [1] in Anglia ut abbati de Bona requie infra instans Pascha satisfaciat plenarie de summa pecuniae in qua eidem annuatim tenetur cum damnis et expensis quae per defectum solutionis dicitur incurrisse; alioquin idem abbas, prior, supprior, et cellerarius et bursarius auctoritate Capituli generalis suspendantur.

29. Item, abbati de Petra fertili iniungitur auctoritate Capituli generalis ut in sequenti anno ad generale Capitulum accedere personaliter non omittat.

30. Item, super facto horribili quod nuper accidit in monasterio Dargonensi [2] et terribiliter insonuit auribus Capituli generalis, de [Veteri] Campo et de Lapide Sancti Michaelis abbatibus committitur auctoritate eiusdem Capituli generalis in plenitudine potestatis, ut ambo simul seu alter eorum adiuncto sibi aliquo de vicinis abbatibus, ad locum personaliter accedant, faciant prout secundum Deum et Ordinem videbitur expedire.

31. Item, incorporationem monialium Sancti Donati, factam per abbates Sancti Martini et Sancti Galgani, approbat et confirmat Capitulum generale, dummodo dioecesani sui assensum obtineant et favorem.

32. Item, abbati de [Veteri] Cella committitur auctoritate Capituli generalis, ut in abbatia monachorum Novae cellae introducat conventum, et abbatem instituat, non expectato altero

---

27 : *MP*¹. **28-30** : *P*¹. **31** : *MP*¹. **32** : *MP*¹*W*.

---

[1] Saltereia. [2] Dargunium.

mandato vel licentia Capituli generalis, et sit perpetuo filia dictae Cellae.

33. Item, cum secundum iuris lineam malitiis sit hominum obviandum, et secundum decretum Leonis Papae, abiicienda sunt prorsus pestifera haec ab ecclesiastico vigore, patientia [a] qua sibi ipsi parcens aliorum sibi non parcit, ordinat et diffinit Capitulum generale, ut monachi et conversi de Locedio qui suis visitatoribus temere se opposuerunt, ad incrementum et fulcimentum suae malitiae saecularibus convocatis, sententiae conspiratorum per omnia supponantur; qui si inobedientes praecepto Capituli generalis fuerint aut rebelles, quamdiu tales in monasterio vel in grangiis fuerint praesentes, ibidem non celebrentur, et hoc eis denuntient de Sancto Andrea, de Columba, et de Cerreto [b] abbates.

34. Item, abbatissae de Sancto Hilario prope Hyllerdam praecipitur auctoritate Capituli generalis, ut duas sorores quarum progenitores dicti monasterii praecipui benefactores, ut dicitur, extiterunt, in ipsa domo ad communionem temporalium, prout consueverunt, admittere teneantur, dummodo impedimentum aliud non obstet.

35. Item, de mittendo ad romanam Curiam vel eundo, domino Cistercii et quatuor primis abbatibus committitur auctoritate Capituli generalis, ut ordinent prout eis videbitur expedire.

36. Petitio abbatis de Porta qui petit dispersionem conventus sui per triennium exauditur.

37. Petitio abbatis de Hebebet [1], qui petit absolvi a susceptione hospitum per triennium, exauditur. Hoc idem conceditur abbati de Herdosa [2] per biennium.

38. Petito abbatis de Kriquestal [3], qui petit dispergi conventum per quinquennium, exauditur.

39. Petitio abbatis de Bella valle, qui petit absolvi a susceptione hospitum per triennium, exauditur. Hoc idem conceditur de Fulcardi monte, de Buxeria Eduensis dioecesis, de Capella, de Beul [4] abbatibus.

40. Petitio abbatis Grandisylvae super studio ordinando in

33-34 : *MP*¹. [a] patientia... parcit : *deest M.* [b] Corecto : *M.* **35-39** : *P*¹. **40** : *L*¹*MP*¹*P*¹⁰.

---

1) Eberbacum. 2) Hardenhusium. 3) Kirkstall. 4) Bulium.

civitate Tolosa taliter exauditur, ut infra duos annos proximos [a] ibidem construere [b] necessaria aedificia et habere lectorem idoneum teneatur, omnibusque libertatibus ac privilegiis studentes ibi gaudeant, quibus gaudent scholares qui apud Sanctum Bernardum Parisius commorantur.

41. Petitio abbatis de Cedelith [1], qui petit dispersionem conventus per triennium, exauditur. Hoc idem de Charmeya, de Malabruna [2] et de Maris stella abbatibus conceditur.

42. Petitio nobilis viri comitis Cornubiae qui pro anima patris sui iam defuncti, pro cuius salute fundavit studium Ordinis apud Oxoniam, quod ibidem in missis eius memoria quotidie et perpetuo habeatur, prout abbas dicti loci ordinabit [a], exauditur.

43. Petitio abbatis de Fonte vivo, qui petit semel remanere de Capitulo, exauditur. Hoc idem conceditur abbati de Sylio [3] et de Monte (D)amiato, et Sanctae Mariae iuxta Dubliniam abbatibus conceditur, ut possint semel remanere a Capitulo.

44. Petitio civium Coloniensium, qui petunt translationem monialium de Prato fieri ad alium locum, exauditur ; de He[i]sterbach [a] et de Valle Dei abbatibus committitur ut ad locum personaliter accedant, et quid inde invenerint inde anno sequenti renuntient Capitulo generali, dummodo consensus domini Coloniensis archiepiscopi litteratorie intercedat.

45. Petitio abbatis de Castaneola, quod possit recipere novitios, exauditur.

46. Petitio abbatis de Dargon [4], qui petit istum annum sibi computari et ascribi pro anno quo venire ad Capitulum tenebitur, exauditur.

47. Petitio abbatis de Fonte vivo, qui petit quod possit recipere novitios, exauditur.

48. Petitio illustrissimi regis Angliae qui petit anniversarium pro domino Henrico patre suo, domina Margareta regina Scotiae, et domina Beatrice comitissa Britanniae, sororibus suis defunctis, fieri annuatim in crastino sancti Edmundi regis et martyris in regno suo, exauditur.

---

[a] primos : *M.* [b] constituere : *M.* **41** : *P*¹. **42** : *L*¹*MP*¹*P*¹⁰. [a] *hic desin. L*¹. **43** : *P*¹. **44** : *MP*¹*W.* [a] Estrebach : *M.* **45** : *MP*¹. **46** : *P*¹. **47-48** : *MP*¹.

---

1) Sedlecium. 2) Mulbrunnum. 3) Sulejovia. 4) Dargunium.

49. Petitiones abbatis de Strata florida, de Tallion [1], de Stranaqua [2] qui petunt semel remanere a Capitulo exaudiuntur.

50. Petitiones de Ripalta in Pede montis, de Porta, de Valle Sancti Georgii, de Bello prato, de Valle Sancti Lamberti abbatum, qui petunt absolvi a susceptione hospitum per triennium, exaudiuntur.

51. Petitio abbatis de Sancto Stephano de Bosco, qui petit commemorationem de sancto Stephano fieri in domo sua ad laudes et vesperas, exauditur.

52. Petitio illius clerici, qui petit memoriam sui in altari quod fundavit in abbatia Boni fontis, quotidie perpetuo fieri, exauditur.

53. Petitio illustrissimi viri domini Alphonsi filii excellentissimi regis Castellae, qui petit quod frater Petrus quondam abbas Sancti Petri de Gomella [3] sit eligibilis, exauditur; dum tamen eidem aliud canonicum non obsistat.

54. Petitio abbatis de Cupro, qui petit semel remanere a Capitulo, ob reverentiam illustrissimi regis Scotiae, exauditur.

55. Petitio abbatis de Nova valle, qui petit semel remanere a Capitulo exauditur ; similiter de Fenalibus.

56. Petitio abbatis de Surio, qui petit semel remanere a Capitulo, exauditur ; similiter de Castro Dei in Hybernia.

57. Petitio abbatis [Vallis] Sancti Georgii, qui petit quod possit semel remanere a Capitulo, exauditur ; similiter de Ruda et de Andre[j]o[via].

58. Petitio abbatis de Valle regali in Anglia qui petit semel remanere a Capitulo exauditur ; similiter de Seyp [4].

59. Petitio abbatis Neubotis [5], qui petit semel remanere a Capitulo, exauditur ; similiter de Granat [6] et de Monte ramo.

60. Petitio abbatis de Dorbellis [7], qui petit absolvi a susceptione hospitum per biennium, exauditur.

61. Petitio abbatis de Herdosa [8], qui petit absolvi a susceptione hospitum per biennium, exauditur.

62. Petitio abbatis de Dora, qui petit semel remanere a Capitulo, exauditur ; similiter de Tinterna.

49-50 : *P*[1]. **51-53** : *MP*[1]. **54-72** : *P*[1].

---

1) Karlionum. 2) Strata Marcella. 3) S. Petrus de Gumiel. 4) S. M. de Scepusio. 5) Neubottleium. 6) Alias Lerha seu Abbeylaragh. 7) Dobraluca. 8) Hardehusium.

63. Petitio de Balerna, de Flaselee [1], de Alto fonte, de Vitescola, de Roseriis, Gradis [2] abbatum, qui petunt dispersionem suorum conventuum per triennium, exauditur.

64. Querela abbatis de Savigniaco contra abbatem de Bildenas, de Mellifonte et de Belguinglas [3] abbatibus committitur.

65. Querela abbatis de Fossa nova contra abbatem Sancti Anastasii de Urbe, de Falera et de Sancto Martino prope Viterbium abbatibus committitur.

66. Querela liberorum et heredum Guillelmi dicti... contra abbatem de He[i]sterbach eisdem iudicibus qui olim dati fuerunt eis a Capitulo usque ad finem causae committitur.

67. Querela abbatis de Monte ramo contra abbatem Vallis Paradisi, de Nucariis et de Meyra abbatibus committitur.

68. Querela abbatissae de Oratione Dei contra abbatem de A[r]dore[l]lo, de Eluig [4] et Villa longa abbatibus committitur.

69. Querela abbatis de Coquesalle [5] contra abbatem Selleette [6], de Strafort et de Boselee [7] abbatibus committitur.

70. Querela abbatis de Vlacresse [8] contra abbatem de Hultone, de Flasseleya [9] et de Valle regali abbatibus committitur.

71. Querela abbatissae Boni loci contra abbatissam Bituminis, de Cheseriaco et de Leoncello abbatibus committitur.

72. Factum abbatis de Fontibus de vallibus et mercatorum quibus obligatur auctoritate Capituli generalis patri abbati committitur, videlicet domino Claraevallis.

73. Concedit Capitulum generale ut abbas de Accobatia anno praeterito a Capitulo generali depositus, cui sicut idem Capitulum generale intellexit, per abbates Ordinis fide dignos vitae merita suffragantur, eligibilis habeatur.

74. Super factum Benedictionis Dei in Burgundia committitur ex parte Capituli generalis domino abbati Claraevallis, ut ad domum personaliter accedat cum aliquibus abbatibus discretis et fidelibus sibi iunctis, et ibidem statuat, ordinet et reformet, destituat et emittat, et quaecumque facienda decreverit, faciat in plenitudine potestatis tam in capite quam in membris, et quid inde fecerit, etc.

73-77 : *MP*[1].

---

1) Flexleya. 2) Gradicium. 3) Baltinglass, i. e. Vallis salutis.
4) Elnis. 5) Cogeshala. 6) Tiltey. 7) Boxleya. 8) Vallis crucis.
9) Flexleya.

75. Abbati Sanctarum Crucium praecipitur quod conversus ille quem tradiderat ad custodiendum gregem saecularium personarum, ad domum propriam revocet, cum non sit honestis officiis deputatus.

76. Cum laborans infamia delinquentium non debeat a praelatis conniventibus oculis pertransiri, abbas de Portaglonia [a] de quo multa enormia delata fuerunt ad aures Capituli generalis per abbates Ordinis fide dignos, propter intolerabilem infamiam deponitur in instanti, et praecipitur eidem ut reddat libros et omnia alia quae asportavit vel asportari fecit de domo, in qua prius abbatizavit, infra festum Omnium Sanctorum; alioquin ex tunc pro excommunicato habeatur auctoritate Capituli generalis.

77. Abbas de Combremare qui citatus est ad Capitulum per patrem abbatem, nec se aliquatenus excusavit, et venire contempsit, de quo etiam sinistra aliqua referuntur, auctoritate Capituli generalis deponitur in instanti. Hoc eidem de Valle regali et de Bildevaux [1] abbates denuntient ex parte Capituli generalis.

78. Abbas de S. Godardo [a], qui citatus a patre suo venire ad Capitulum generale contempsit [b], nec se aliter excusavit, neque summam pecuniae sibi impositam per duos annos solvere noluit, deponitur in instanti.

79. Abbas de Bono Monte qui sine licentia et consensu patris sui et Capituli generalis, duas grangias vendidit et distraxit, deponitur in instanti.

80. Abbati de [H]e[i]sterbach praecipit et iniungit Capitulum generale quod Richardo mercatori summam vini vel pecuniam in qua tenetur, eidem tam pro anno praeterito quam etiam pro praesenti infra instans festum beati Andreae apostoli solvere non omittat, secundum quod continet instrumentum; alioquin ipse ex nunc auctoritate Capituli generalis pro deposito habeatur.

81. Anniversarium comitissae Flandriae iam defunctae in die sanctae Scholasticae virginis semper fiat auctoritate Capituli generalis.

---

[a] Portaglonna : *M*. **78** : *MP*¹*W*. [a] propter eamdem causam et propterea quod summam... : *M*. [b] et summam : *W*. **79** : *MP*¹. **80** : *P*¹. **81** : *MP*¹*W*.

---

1) Bildewasium.

1282

Anno [a] Domini millesimo ducentesimo octogesimo secundo statuta sunt haec apud Cistercium in Capitulo generali.

1. In primis, ut ab ambitionis vitio pestiferae velut a [a] fermenti veteris corruptela nostrae religionis sinceritas expurgetur, statuit [b] et ordinat Capitulum generale, quod monachi missi ad abbatias, visitandi gratia, eo quo visitaverint anno, in eisdem abbatiis non possint in abbates nec debeant promoveri, et si promoti fuerint, deponantur.

2. Cum servos Domini deceat ambulare cum consensu in domo Domini, et vinea Domini sabbaoth suos debeat palmites ubertim dilatare, duxit Capitulum generale provide statuendum, quod scolares Ordinis studentes apud Oxoniam abbati loci eiusdem per omnia obedientes existant; in moribus autem et modo studendi et etiam in gratia libertatum, scolaribus apud Sanctum Bernardum Parisius [a] studentibus sint conformes; ad hospitalitatem vero ibi vel alibi in locis suis minime teneantur. Qui vero missi fuerint aliunde, sibi provideant in expensis [b]. Conceditur eis insuper ad humilem petitionem nobilis viri comitis Cornubiae dicti loci fundatoris quod sit filia de T(h)ama, et quod Sancta Maria de regali loco de cetero nuncupetur, et quod pro eodem comite suisque parentibus ibidem missa quotidie celebretur.

3. Ut os iniqua loquentium cautius obstruatur et praesumptionis temeritas [a] rigore iustitiae reprimatur, generale [b] Capitulum ordinat et diffinit, quod quotiescumque monachus vel conversus iactando seu comminando dicere praesumpserit in audientia ceterorum se velle ab Ordine exire, aut habitum deponere regularem, cum tale saepe colloquium corrumpat et inficiat bonos mores, per custodem Ordinis in catenis, vinculis aut carceri [c] retrudatur, tamdiu retinendus, donec ausui temerario poenae vexatio tribuat [d] intellectum [e]. Hoc idem statuitur de illis [f] qui a saeculo revertentes, suum habitum resumere recusabunt. Nec aliquis abbas aliquem monachum [g] vel conversum de saeculo

---

1282. [a] *Titulus apud* P^1QV *tantum.* **1** : $L^1MP^1P^{10}QT^5$. [a] velata : *M.* [b] *hic incip. Q.* **2** : $L^1MP^1P^{10}$. [a] Parisiis : L^1P^1. [b] *hic desin.* L^1P^{10}. **3** : $L^1MP^1P^{10}QT^5V$. [a] vel : *M.* [b] *hic incip. Q.* [c] *deest V.* [d] habeat : *V.* [e] *hic desin. V.* [f] iis : P^1; eis : *Q.* [g] monachum vel conversum : *deest Q.*

revertentem, infra abbatiam vel extra permittat aliquod officium exercere in habitu saeculari [h].

4. Item, ad exhibenda liberaliter caritatis officia, iuxta verbum apostolicum, communiter omnibus et maxime fratribus ac domesticis Ordinis nostri teneamur, generale [a] Capitulum praecipit firmiter et iniungit personis Ordinis universi quod quicumque in villis, oppidis vel ubi [b] proprias habent domos, in quibus personae Ordinis commorantur, et ibidem possessiones habentur aliquae [c] seu proventus, omnes [d] pauperes Ordinis seu pro dispersione seu causa alia quavis pedites [e] incedentes, cum ad eos declinare contigerit, benigne recipere et honeste [f] tractare, et eisdem caritative saltem una die ministrare victus necessaria teneantur [g]. Quicumque vero monachus vel conversus facere recusaverit, panis et aquae poenitentiae per unum diem subiacebit.

5. Item, quoniam iuxta Cartam caritatis quae est nostri Ordinis fundamentum, in officio divino per universum Ordinem debet uniformitas observari, statuit et ordinat Capitulum generale quod collecta de undecim millibus virginum [a] per totum Ordinem dicatur, sicut in domo Cistercii dicitur, videlicet tali modo [b] *Deus* [c], etc., hymnus communis virginum et non alius decantetur.

6. Quoniam plerumque fructus parit inutiles urbanitas onerosa, et minus proficit bonum alterius officiosissimum, Capitulum [a] generale quantum potest inhibet et defendit [b], ne aliquis dare praesumat alicui personae seculari vel alterius religionis litteras de conductu, nisi forsan pro negotiis Ordinis mitteretur.

7. Cum in dubium verteretur utrum abbas inferior, cui commissa fuerit visitatio superioris in eadem linea, debeat locum tenere ratione officii, vel patri abbati superiori suo in sua linea ratione antiquitatis ordinis sit cedendum, sic causam [a] lucide decernit [b] Capitulum generale quod abbas iunior [c] in ordine suo antiquiori in sua linea ratione antiquitatis debet in omnibus

[h] *brevior formula apud* T^5 : qui dixerit se velle ab Ord. exire... detrudatur in carcerem ne alios inficiat. **4** : $L^1MP^1P^{10}WV$. [a] *hic incip. Q.* [b] ubi ubi : $L^1P^1P^{10}V$; ubi ibi : *Q.* [c] *deest M.* [d] omnes... alia : *deest M.* [e] quamvis pedites : *M.* [f] honeste tractare : *deest M.* [g] *hic desin. Q.* **5** : $L^1MP^1P^{10}V$. [a] virginibus : L^1P^1. [b] tantummodo : *M.* [c] *V pergit* : qui nos beate Ursule martyris tue sociarumque eius, etc. **6** : $L^1MP^1P^{10}Q$. [a] *hic incip. Q.* [b] *deest* P^{10}. **7** : $L^1MP^1P^{10}T^5V$. [a] eam : *M.* [b] terminat : *M* ; determinat : P^1P^{10}. [c] senior : *M.*

cedere, prout in Ordine semper extitit observatum [d], commissione aliqua non obstante.

8. Cum clamor taediosus et intolerabilis frequenter pervenerit ad aures Capituli generalis super obligationibus et debitis infinitis, in quibus abbatia de He[i]sterbach [a] diversis creditoribus diu extitit obligata; volens generale Capitulum illud quod potuit [b] remedium adhibere, duxit firmiter ordinandum, quod abbas Claraevallis, qui primus est pater in illa generatione, una cum abbate de Claustro illius domus patre immediato, bona mobilia et immobilia dicti loci accipiant, vendant, tradant ipsis creditoribus pro legitimo pretio usque ad valorem debitorum, vel alienent seu in usus proprios convertant, prout commodius viderint expedire, de ipsis bonis vel de ipsorum pretio Richardo mercatori domini regis Angliae de debito suo, et cuidam dominae de duobus vini doliis conquerenti [c] ac ceteris creditoribus universis plenarie satisfaciant de omnibus debitis, prout in eorum instrumentis viderint contineri, taliter quod Ordo noster occasione huius apud graves personas et nobiles non possit ulterius diffamari.

9. Quoniam sicut innocentium opera solet recta simplicitas commendare, sic e regione perversorum iniquitas non debet de malitia commodum reportare, Capitulum generale ordinat et diffinit quod abbati [d] Belifontis in Hungaria, qui innocens manibus et mundo corde a suis quibusdam monachis perversis tam multipliciter est offensus, et in prisione [e] per eos aliquamdiu detentus, quem [f] denique sigillum suum per violentiam et mortis metum reddere compulerunt, sigillum praedictum debeat iterato reddere pater abbas, et de cetero pro abbate vero dicti loci et legitimo habeatur; principales vero auctores tanti excessus ad arbitrium visitatorum auctoritate Capituli generalis per censuram Ordinis puniantur.

10. Cum abbas de Fonteneto male receperit abbates ad Capitulum generale venientes, et eosdem minus sufficienter in necessariis procuraverit, auctoritate Capituli generalis iniungitur ei, quod tribus diebus continuis, uno eorum in pane et aqua, poenam sustineat levis culpae. Patri vero abbati nihilominus com-

---

[d] consuetum : *V*. **8-9** : *MP¹W*. [a] Estrebach : *MW*. [b] poterit : *P¹*. [c] con... : *M* ; *deest W*. [d] *hic incip. W*. [e] pressione : *P¹*. [f] quoniam : *P¹*. **10** : *MP¹*.

mittitur eadem auctoritate poena pro huiusmodi suis officialibus infligenda.

11. Statuit et ordinat Capitulum generale quod paternitas Speciosae vallis ad abbatem de Caesarea qui omnia debita dictae domus solvit, pertineat pleno iure; et hoc fiat de patris abbatis primi consilio et consensu, et anno sequenti [a] deferant litteras de consensu conventus matris domus Capitulo generali.

12. Super facto monachorum de Voto, statuit et ordinat Capitulum generale quod monachi dicti loci tamquam fugitivi debent recipi in propria abbatia, quia hoc importat cum dicitur: Salva Ordinis disciplina.

13. Ad honestatem Ordinis et gravitatem conservandam, Capitulum [a] generale inhibet [b] firmiter et defendit [c] ne aliquis de cetero sine cuculla audeat equitare, alioquin tribus diebus [d], uno eorum in pane et aqua, subeat [e] poenitentiam levis culpae.

14. Quoniam latum pandit deliquentibus aditum qui iungit cum pravitate consensum ; idcirco Capitulum [a] generale ordinat et diffinit quod abbates qui de cetero scienter celaverint abbates alios tempore quo tenentur venire ad [b] Capitulum generale remanentes, cum ipsi celando videntur in hoc maleficio consentire, infra mensem postquam ad propriam reversi [c] fuerint, tribus diebus continuis poenitentiam peragant levis culpae ; alioquin abstineant a divinis, donec poenitentiam peregerint antedictam.

15. Quoniam relatum est ad aures Capituli generalis, quod quidam tamquam filii Belial viam obedientiae deserentes, et inventionum suarum malitiis adhaerentes [a], visitatorum et superiorum suorum ordinationes occulte et caute per se vel per alios impediunt, et nos auxiliante Deo desideramus futuris casibus occurrere, et statui nostri Ordinis, ne rediviva, quod absit, mala redeant [b], praecavere, statuit [c] et ordinat Capitulum generale quod omnes personae Ordinis quae de cetero processum visitatorum aut iudicum a Capitulo generali concessorum in visitationibus, electionibus, ordinationibus, correctionibus, executionibus, seu aliis ordinationibus impedierint, vel [d] ipsis aut proprio abbati se opposuerint, aut ista facientibus consenserint per se vel per

11 : *MP¹T⁵W*. [a] etc. : *T⁵*. **12** : *P¹*. **13** : *L¹MP¹P¹⁰QT⁴V*. [a] *hic incip. Q*. [b] prohibet : *M*. [c] ordinat : *Q*. [d] sit in levi culpa : *L¹*. [e] subiaceat : *P¹Q*. **14** : *MP¹Q*. [a] *hic incip. Q*. [b] a Capitulo : *Q*. [c] redierint : *Q*. **15** : *L¹MP¹P¹⁰Q*. [a] inhaerentes : *P¹⁰*. [b] videat : *M*. [c] *hic incip. Q*. [d] vel... opposuerint : *deest Q*.

alios, litteras, preces, minas, insidias vel auxilia potentum [e] aut saecularium procurando, in Ramis palmarum annis singulis cum illis quos Ordo consuevit excommunicare solemniter per singulas domos Ordinis universi excommunicationis sententia percellantur, et in prolatione sententiae specialiter prae [f] ceteris exprimantur, ut quicumque super hoc fuerit confessus publice [g] vel convictus, poenam conspiratorum sustineat auctoritate Capituli generalis.

16. Quoniam omnium religiosorum [a] tam excellens est conditio, quod ea quae in ceteris membris Ecclesiae non notantur ad culpam, in ipsis tamen illicita [b] reputantur, et generali Capitulo datum est intelligi quod quidam abbates muliebrem molliciem [c] imitantes [d], in curribus et lecticis gestatoriis [e] se faciunt portari, statuit [f] et ordinat Capitulum generale quod nullus abbas aut monachus de cetero talibus uti audeant vel praesumant ; alioquin quamdiu talibus usi fuerint, in pane et aqua ieiunent auctoritate Capituli generalis.

17. Ut in Ordine nostro semper laudabilis uniformitas [a] observetur, statuit et ordinat Capitulum generale ut collecta *Ineffabilem*, etc. quae in quibusdam abbatiis ad missam de Cruce dicitur, in conventu totaliter omittatur.

18. Quoniam indignum est eos quos Dominus tamquam pacis angelos et exemplar in Ecclesia, vitae suae pacis insigniis religionis vestibus insignivit, contraria arma sumere, et decorem religionis actu contrario deturpare, auctoritate [a] qua potest prohibet Capitulum generale, licet [b] prohibitum sit a canone longe ante, ne aliquis [c] monachus vel conversus praesumat secum arma deferre, sumere, vel habere, videlicet enses, vel gladios, falciones, siccas, aut cultellos acuminatos, aut cetera armorum genera, quae religionis nostrae non conveniunt puritati ; transgressores, si officiales fuerint, deponantur ab officiis ; alii autem non habentes officium usque [d] ad visitatoris nutum ultimi omnium habeantur.

19. Quoniam illa specialis gratia, quae concedi solet aliquibus

---

[e] parentum : *M*. [f] cum : *P¹Q*. [g] *deest M*. **16** : *L¹MP¹P¹⁰QT⁵*. [a] religionum : *MP¹⁰*. [b] illa ita : *M*. [c] mallitiam : *L¹*. [d] imitantur : *T⁵*. [e] *deest M*. [f] *hic incip. Q*. **17** : *L¹P¹P¹⁰*. [a] conformitas : *P¹P¹⁰*. **18** : *L¹MP¹P¹⁰QV*. [a] *hic incip. Q*. [b] *V incip.* : Quoniam licet prohibitum... [c] quis : *M*. [d] usque... nutum : *deest Q*. **19-25** : *MP¹*.

de remanendo semel a Capitulo generali, a nonnullis per fraudem aliquando et dolum vertitur in abusum, ut ab illa cessione excludatur penitus fraus et dolus, sic eam declarat Capitulum generale quod quotiescumque alicui conceditur semel a Capitulo remanere, post illam remansionem anno immediate sequenti teneatur modis omnibus se Capitulo praesentare, nisi cum causa legitima potuerit se tueri.

20. Quoniam iuxta decreta sanctorum canonum dignum est ut severitatem sentiant ecclesiasticae disciplinae, qui mandatis, quae sunt a suis sanctis patribus statuta [a] salubriter, contemnunt contumaciter obedire, statuit et ordinat Capitulum generale quod de Carreceto [b] et de Morolia abbates ad monasterium de Valle Dei personaliter accedentes, ibidem abbatem instituant auctoritate Capituli generalis, praecipientes priori et conventui domus eiusdem, quod eidem instituto tamquam suo vero et legitimo abbati obediant; alioquin eosdem auctoritate Capituli puniant, prout viderint expedire, pro eo quod dicti prior et conventus anno praeterito ad mandatum Capituli generalis abbatem proprium recipere noluerunt, sed inhoneste, sicut Capitulo extitit relatum, expulerunt et alium licet excommunicatum [c] elegerunt, vel potius intruserunt, quem pater abbas de Superado, pater dicti monasterii, tam inconsulte quam indebite confirmavit, ut sic conventus iure electionis, et pater iure confirmationis, hac vice privati [d] utrorumque insolentia puniatur.

21. Quoniam abbas de Cheseriaco [e] in causa sibi anno praeterito per Capitulum commissa non processit, propter suam negligentiam vel contemptum, quae partibus ad quas causa spectat multum, ut dicitur, extitit sumptuosa [f] eidem iniungitur auctoritate Capituli generalis ut postquam ad propria redierit, tribus diebus continuis poenitentiam peragat levis culpae.

22. Quoniam iuxta sententiam sancti Ambrosii, qui uni parcit indigno, ad prolapsionis contagium provocat universos, statuit et ordinat Capitulum generale quod frater P. quondam abbas de Alcubatia, qui bona sui monasterii dissipando et evagando sine licentia et habitu regulari per saeculum, foetere nostrum Ordinem [g] facit coram principibus et praelatis, singulis diebus quando habetur sermo in capitulo, per singulas abbatias illius

---

[a] instituta : *P*¹. [b] Carrecto : *M*. [c] excommunicati : *P*¹. [d] pro votis : *M*. [e] Chesniaco : *M*. [f] quod... damnorum : *M*. [g] odorem : *P*¹.

provinciae denuntietur excommunicatus auctoritate Capituli generalis, donec ad claustrum rediens ubi professus est, sub manu abbatis sui humiliet semetipsum, et tunc per abbatem proprium absolvatur. Si autem professus non est, pro fugitivo Ordinis habeatur.

23. Cum innotuerit Capitulo generali de Benefezano et de Saltu novali abbates per plures annos a Capitulo generali sine licentia remansisse, eisdem iniungitur ut sequenti anno, omni occasione postposita, Capitulo generali se praesentent, causas suae remorationis in medium prolaturi ; alioquin ex tunc pro depositis habeantur.

24. Quoniam fide digna relatione innotuit Capitulo generali, abbatem Scalae Dei carnes contra instituta Ordinis et regulam comedisse, auctoritate Capituli generalis tribus diebus uno eorum in pane et aqua, poenitentiam peragat levis culpae.

25. Quoniam iuxta beati Augustini sententiam, sicut poenitentibus misericordes esse iubemur, sic impoenitentibus et obstinatis in malo misericordiam impendere prohibemur, statuit et ordinat Capitulum generale quod frater M. qui se gerit pro abbate de Thoppior [1], licet non sit, auctoritate Capituli generalis pro non abbate de cetero habeatur, et super aliis multis excessibus eius in quibus, ut dicitur, impunitus hucusque perseverat, per patrem abbatem puniatur, de restitutione autem alterius abbatis, qui metu mortis cessisse dicitur, patri abbati committitur, et quid inde, etc.

26. Diffinitio anno praeterito facta de conventibus dispersis non mittendis extra provinciam revocatur.

27. Quoniam error cui non resistitur approbatur, et ovium [a] culpa sive evagatio pastoris negligentiae imputatur, statuit et ordinat Capitulum generale quod frater Ioannes de Bono, quondam abbas de Oya, qui, ut dicitur, inhoneste per saeculum evagatur, si in aliquo monasterio vel alicui abbati professus est, ad claustrum suum per abbatem revocetur, sin autem pro fugitivo habeatur.

28. Quoniam datum est intelligi Capitulo generali, quod quidam visitatores in suis visitationibus praecipiunt ut conventus

---

26 : P^1. **27** : MP^1. [a] omnium : P^1. **28** : $L^1MP^1P^{10}QT^5$.

---

1) Toplica.

quater [a] in anno carnes comedant et permittunt in visitationibus suis de victualibus facere mentionem, quod est aperte contra Ordinis instituta, et murmurationis intolerabilis incentivum, statuit et ordinat Capitulum generale ut a talibus praeceptis et permissionibus in visitationibus de cetero caveatur.

29. Super facto monachorum de Locedio Capitulo nuntiato, ad petitionem marguionis de Monte ferrato, patri abbati de Firmitate committitur auctoritate Capituli generalis ut ad locum personaliter accedens, per se vel per alium diligenter inquirat, et faciat tam in capite quam in membris quod secundum Deum et Ordinem sibi videbitur expedire, et quod invenerit renuntiet, etc.

30. Super facto abbatis Fontis vivi in Hybernia de quo fuit relatum Capitulo generali, quod falsas litteras fecerit et eas Capitulo praesentaverit, abbati Mellifontis committitur, etc.

31. Super facto de Hylda, patri abbati committitur auctoritate Capituli generalis ut inquirat diligenter de litteris abbatis Ursicampi ibi raptis, et de aliis universis, et quae invenerit, etc.

32. Quoniam sicut omnia flumina, ut iterum fluant, ad locum unde exeunt revertuntur, sic communia Ordinis privilegia apud matrem nostram Cistercium reposita, cum aliquibus commodata fuerint, ad eumdem locum [a] sint citius referenda, ut iterum aliis indigentibus suffragentur ; statuit et ordinat Capitulum generale quod quicumque de privilegiis eisdem aliqua nunc habent vel detinent, infra instans Pascha apud Cistercium deferre aut mittere non omittant ; alioquin si abbates fuerint, ex tunc se depositos noverint auctoritate Capituli generalis ; si monachi vel conversi, eadem auctoritate ab omni officio ex tunc noverint se suspensos.

33. Super facto Sancti Martini de Viterbio patri abbati committitur ut inquirat per se vel alium, et quid invenerit, etc.

34. Super facto de Bolbona [a] Capitulo generali nuntiato auctoritate dicti Capituli patri abbati de Bono fonte, et de Fontefrigido [b] et de Bona Cumba committitur abbatibus ut ad locum accedentes, diligenter inquirant, et per conventus dispersionem seu mobilium distractiones, seu alio competentiori modo ad periculum seu lapsum dictae domus cautius evitandum, faciant quod

---

[a] ter : *M*. **29-31** : P^1. **32** : $L^1MP^1P^{10}$. [a] ad eamdem : *M*.
33 : P^1. **34** : MP^1. [a] Borbonia : P^1. [b] *deest M*.

eis videbitur secundum Deum et Ordinem expedire in plenitudine potestatis, et quid inde fecerint vel invenerint, etc.

35. Super facto abbatis de Casemarii, patri abbati auctoritate Capituli generalis committitur, ut per se vel per alium inquirat et terminet pace vel iudicio, etc.

36. Cum quam [a] grave et detestabile sit schisma, in Core, Dathan et Abiron, quos terra vivos absorbuit, Dominus repraesentat, et excessus multiplices et enormes sororis Beatricis quondam abbatissae de Sancta Columba, quae schismatice statutis nostri Ordinis per tempora longiora se opposuit [b], ut dicitur, faciendo benedici novitias dicti loci, et confessiones monialium suarum per saeculares presbyteros audiri, et alias [c] cum quibusdam sequacibus [d] suis dicitur conspirasse contra Ordinem supradictum, propter quod et quamplura [e] alia abbas Claraevallis pater dicti loci ipsam Beatricem a regimine et officio abbatiae supradictae deposuit, Capitulum generale non valens ulterius sustinere, depositionem ipsius et omnes processus habitos ibidem per Claravallensem supradictum (cui sententiae depositionis non vult adhuc obedire, sed in sua malitia perseverat) ratificat et approbat dictum Capitulum generale, volens et consentiens quod ad dictas sententias et processus contra ipsam Beatricem et eius sequaces [f] observandos, et ad bona ipsius abbatiae ad opus monialium obedire volentium servanda [g], et ad redditionem sigilli ab ipsa Beatrice detenti, invocetur undique [h], ut melius poterit, brachium saeculare, et nihilominus dictus abbas Claraevallis totum factum contingens dictum negotium prosequatur auctoritate Capituli generalis [i].

37. Abbas de Petra fertili, qui non venit ad Capitulum generale eo anno quo debuit nec se legitime excusavit, deponitur in instanti.

38. Abbas Sancti Leonardi, de quo multa enormia et turpia per plures fide dignos relata sunt Capitulo generali, deponitur in instanti.

39. De Magio et de Valle Salutis in Hibernia abbates, qui summam sibi a patribus abbatibus impositam solvere noluerunt,

---

35 : P^1. **36** : $L^1MP^1P^{10}T^5$. [a] *deest* $L^1P^1P^{10}$. [b] opposuerit : L^1. [c] aliis : P^{10}. [d] sequentibus : P^1. [e] complura : L^1. [f] sequentes : P^1. [g] observanda : P^{10} ; observantia : P^{10}. [h] undecumque : P^1P^{10}. [i] *apud* T^5 habetur tantum brevissima relatio huius statuti. **37-38** : P^1. **39-40** : MP^1.

deponuntur in instanti. Abbas de Hymnis [1] patri abbati hoc denuntiet auctoritate Capituli generalis.

40. Praecipitur auctoritate Capituli generalis abbatibus Hispaniae, ut solvant summas pecuniae pro subsidio Terrae sanctae sibi impositas infra instans Pascha, alioquin ex tunc pro depositis habeantur. Haec ipsis denuntiare visitatores eorum auctoritate Capituli generalis teneantur.

41. Frater G. dictus Graz monachus de Rivo Beatae Mariae, qui se falso gessit in pluribus locis aliquamdiu pro abbate, auctoritate Capituli generalis ultimus omnium per annum integrum habeatur, et omni sexta feria sit in pane et aqua, nec habeat in Ordine administrationem aliquam, nisi de licentia Capituli generalis.

42. Super facto de [Regali] Murcia[e] auctoritate Capituli generalis patri abbati et de Borbona committitur ut ad locum personaliter accedentes simul vel alter ipsorum, qui adire poterit, in plenitudine potestatis puniant tam in capite quam in membris et faciant quod secundum Deum et Ordinem viderint faciendum, et quid inde, etc.

43. Quoniam abbas de Salt[e]reya in Anglia, contemnendo mandatum Capituli generalis sibi et suis officialibus saepe iniunctum, abbati de Bona requie contempsit solvere pecuniam quam debebat, auctoritate Capituli generalis deponitur in instanti; prior autem et supprior et bursarii praecipiuntur ab officiis amoveri. Abbas de Coguessale [a] [2] hoc eis denuntiet.

44. Abbas de Monte petroso, qui citatus a patre abbate ut veniret ad Capitulum generale super certis articulis veniam petiturus, et veniens usque Cistercium recessit absque licentia dicti Capituli, iuxta id quod fuit anno praeterito diffinitum, deponitur in instanti. Hoc ei pater abbas denuntiet.

45. De Sicilia et de Calabria abbates, qui ultra bis continue remanserunt a Capitulo generali eo tempore quo debebant venire, per patres abbates deponuntur auctoritate Capituli generalis.

46. Abbas de Iubino, qui non venit ad Capitulum per XV annos deponitur in instanti. Hoc ei pater abbas denuntiet.

47. Super facto abbatis de Bullio abbati Pontigniaci auctori-

---

41 : *MP¹W*. **42** : *P¹*. **43-44** : *MP¹*. [a] Quoquesale : *M*. **45-57** : *P¹*.

---

[1]) Insula Curcii. [2]) Cogeshala.

tate Capituli generalis committitur, ut inquirat, et quid inde invenerit, etc.

48. De facto Cariloci patri abbati auctoritate Capituli generalis committitur ut ad locum personaliter accedens, in plenitudine potestatis ordinet in domo quod secundum Deum et Ordinem viderit expedire, et quid inde, etc.

49. Querela magistri I. canonici Leodiensis contra abbatissam et conventum de Arcaroda [1], de Valle Dei et de Camberone abbatibus committitur, et quod si non poterunt terminare eam instructam in scriptis deferant ad Capitulum generale anno sequenti.

50. Querela civium Metensium contra abbatem de Bet[h]ania patri abbati committitur.

51. Querela abbatis de Insula Pontiana contra abbatem de [S. Spiritu de] Se[m]prone, de Sancto Sebastiano et de Casamariano abbatibus committitur.

52. Querela Sancti Anastasii abbatis contra abbatem Fossae novae, de Sancto Pastore et de [S. Salvatore de Monte] Amiato abbatibus committitur.

53. Item querela praedicti abbatis Sancti Anastasii contra abbatem Sancti Martini prope Viterbium, de Palatiolis et de Falera abbatibus committitur.

54. Querela civium Par. contra abbatem de Valle regali, patri abbati auctoritate Capituli generalis iniungitur quod ipse compellat filium suum ad solvendum infra instans Pascha dictis mercatoribus debitum prout in litteris of[ficialibus] pat[entibus] plenius continetur.

55. Querela burgensium Gandelensium contra abbatem de Quinque solde [2], de Nez [3] et de Stanlee in Anglia abbatibus committitur.

56. Querela abbatissae de Argenceolis contra abbatem de Cheminone, de Ripatorio et de Igniaco abbatibus committitur.

57. Querela decani et capituli Beati Bartholomaei Leodiensis contra abbatem de Alna, de Bodelo et de Valle Dei abbatibus committitur.

58. Inspectio loci de Vare, ubi episcopus intendit fundare

---

58 : *MP¹W*.

---

[1]) Herquenroda. [2]) Kingeswoda. [3]) Neth.

abbatiam monialium, de Salem et de Sancto Urbano abbatibus committitur, et quid inde, etc.

59. Inspectio loci de Copremil in Ungaria, de Sancto Godardo et de Pernoe [1] abbatibus committitur, et quid invenerint, etc.

60. Conceditur quod pro domino Arnaudo bonae memoriae A(r)gen[nensi] [a] episcopo in abbatia de Peri[ni]aco missa quotidiana celebretur.

61. Petitio reverendi patris episcopi Capudaquensis, qui petit quod quinque monasteria nigrorum monachorum Ordini nostro incorporentur, et quod de abbatia de Canonica in Apulia, ex illis quinque monasteriis una fiat, exauditur.

62. Petitio abbatis de Sancto Eduardo, qui petit quod una missa pro fundatoribus suis quotidie celebretur in domo propria, exauditur.

63. Petitio abbatum Angliae, qui petunt quod possint facere commemorationem beati Edmundi ad horas Beatae Virginis, exauditur.

64. Petitio civium Coloniensium, qui petunt abbatiam quamdam monialium dictam ad Martyres prope Coloniam incorporari nostro Ordini, exauditur. Incorporatio vero praedicta et creatio abbatissae, de [Veteri] Campo et de Veteri monte abbatibus committitur auctoritate Capituli generalis, et sit filia Cistercii.

65. Petitio comitissae de Warrebic, quae petit quod abbas novae abbatiae Oxon[i]en[sis] possit orationes speciales pro ipsa in domo facere, exauditur.

66. Petitio abbatis Casae novae [a] qui petit incorporari quinque monasteria monachorum alborum [b] non habentium conformem nobis habitum, sed secundum regulam sancti Benedicti viventium taliter exauditur, quod primo [c] requirat consensum dioecesani et capituli et omnium aliorum qui possint impedire dictam incorporationem et litteras eorum sequenti anno deferat Capitulo generali.

---

59 : P^1. **60** : MP^1W. [a] Argentinensi : *MW*. **61** : MP^1. **62** : P^1. **63** : $L^1MP^1P^{10}$. **64** : MP^1W. **65** : P^1. **66** : $L^1MP^1P^{10}$. [a] Fossae novae : L^1P^{10}. [b] aliorum : P^1 ; *apud* L^1 *legitur in margina haec nota* : albi monachi frequenter citantur apud Math. Paris, et tales reperiebantur suo tempore in Anglia. [c] prius : P^1.

---

[1]) S. Margaretha de Porno.

1283

Anno [a] Domini millesimo ducentesimo octogesimo tertio statuta sunt haec apud Cistercium in Capitulo generali.

1. In primis, statuit et ordinat Capitulum generale quod in horis beatae Virginis Mariae, ille versiculus « Maria, mater gratiae » post alium versiculum « Memento salutis a[u]ctor » de cetero dicatur ab omnibus per Ordinem universum.

2. Item, generale Capitulum duxit provide statuendum quod de [b] chirotecis et ocreis, vandagiis ac sotularibus sive corrigiis non portandis [c], antiqua Ordinis constitutio firmiter observetur. Canes autem venaticos aut aves nullus tenere audeat, aut genus aliquot venationis aliquatenus exercere ; quicumque vero fuerunt huius statuti vel in posterum fuerint transgressores, donec poenitentiam sustinuerint a Capitulo constitutam, gradum altaris non ascendant.

3. Item, ut emissorum evagationes et mendicationes cautius evitentur, diffinitioni olim editae de emissis, duxit Capitulum generale hoc addendum quod quicumque de cetero monachum emiserit vel conversum, de conductu certo et fideli usque ad locum ei provideat destinatum ; ille vero ad quem mittitur ordinate recipere teneatur, receptum autem quisquam remittere (audeat), nisi in casibus pro quibus suum posset emittere, non audeat infra annum, et tunc tamen et de conductu similiter teneatur ; transgressores vero usque ad sequens Capitulum generale gradum altaris non ascendant.

4. Item, generale Capitulum duxit propensius statuendum quod caritativa procuratio personarum et puerorum Ordinis tam in abbatiis quam in grangiis et cellariis nostris melius observetur ; transgressores autem poenam sustineant in Usibus, distinctione quinta, capitulo primo, constitutam, et nihilominus patres abbates in suis visitationibus hoc diligentius faciant observari.

5. Item, generale Capitulum districtius interdicit ne abbates depositi vel cedentes de rebus abbatiarum quibus praefuerunt

---

1283. [a] *Duos tantum testes seu fontes habemus pro isto anno, nempe QV ; W textum suum depromit ex V. Apud codicem Q leguntur statuta* 1 *ad* 9 *: apud codicem V, statuta* 2, 5, 7, 8, 9. [b] *hic incip. V.* [c] nec venationibus exercendis ; possunt tamen exercere per saeculares personas et conversos, cum honestate qua decet ordinem : *V, qui sic desin.*

qui[d]quam sibi praesumant sine eorum quorum sunt licentia retinere [d]; transgressores autem qui res huius[modi] alienatas in praesenti detinent aut in posterum detinebunt, necnon et abbates quibus postmodo sunt professi, si super huiusmodi sunt conscii vel remissi, ab altaris sacro participi[um]o suspendantur, donec omnia, prout debent, fuerint restituta aut acta suo fuerit domino satisfactio.

6. Item, diffinitionem anno praeterito factam de illis qui se opponunt visitatoribus suis aut propriis abbatibus, generale Capitulum sic declarat quod ad visitatores et patres abbates iudices seu executores a Capitulo datos, et contra illos qui propria voce procaciter se opposuerint, eis illa sententia solummodo referatur.

7. Item [e], generale Capitulum inhibet personis Ordinis universi ne, in monasteriis aut domibus monialium, carnibus aut pulmentis sagimine vel carnibus confectis quacumque ex causa de cetero vescantur; transgressores vero donec poenitentiam levis culpae, tribus diebus uno eorum in pane et aqua pro qualibet vice in propriis abbatiis fecerint, ab altaris officio suspendantur.

8. Item [f], diffinitionem anno praeterito factam de hospitibus in villis et cellariis recipiendis, sic elucidat Capitulum generale quod nullus nisi semel, id est per diem et noctem, in eadem villa tales recipere teneatur, licet ibi plures domus Ordinis habeantur.

9. Item, duxit [g] generale Capitulum inhibendum ne in grangiis nostris, seu intra clausuram earum ubi habitant monachi vel conversi, mulieres intrare, habitare vel pernoctare [a] ullo tempore permittantur.

1284

Anno [a] Domini millesimo ducentesimo octogesimo quarto, statuta sunt haec apud Cistercium in Capitulo generali.

---

[d] *Breviorem formulam refert V* : Item abb. cedentes et depos. nihil de rebus abb. secum debent retinere, nisi de lic. succedentis ; sed hoc in seq. anno est revocatum, scilicet observari debet quod in ant. diff. super hoc est statutum.
[e] *V.* : Item quod nec infirmi monachi apud moniales debent comedere carnes...
[f] *V* : Item quod hospites Ordinis in villis... [g] duxit gen. Cap. : *deest V.*
[h] audeant. : *V.*

1284. [a] *De fontibus idem dicendum ac pro anno praecedenti. Codex Q refert statuta* 1 *ad* 7 ; *codex V* 3, 8, 9, 10 ; *Winter citat* 11.

1. In primis, diffinitionem anno praeterito contra venatores editam sic temperat Capitulum generale quod in illis locis seu possessionibus in quibus monasteria ius venandi dignoscuntur habere, cum modestia qua decet Ordinem nostrum venationum officium per saeculares et conversos dumtaxat valeat exerceri.

2. Item, de abbatibus cedentibus vel depositis ut nihil de rebus monasteriorum in quibus praefuerunt secum deferant, statuit et ordinat Capitulum generale ut illud firmiter hoc observetur quod in antiquis diffinitionibus est statutum, diffinitione super hoc anno praeterito revocata.

3. Item [b], statuitur ut de patris abbatis consilio emittantur qui de cetero causa dispersionis fuerint emittandi, et qui taliter emissi sunt, per patris abbatis industriam revocentur. Nullus igitur de cetero monachum vel conversum pro culpa praesumat emittere sine consilio patris abbatis vel visitatoris, si commode poterit expectari.

4. Item, statuitur quod de provisione conductus emissorum teneatur et fiat sicut antiquitus fieri consuevit, diffinitione super hoc anno praeterito edita penitus revocata.

5. Item, ut studium Parisiense in statu laudabili finaliter perseveret et illic scolares de cetero libentius transmittantur, statuit et ordinat Capitulum generale quod bursae scolarium ad statum et mensuram pecuniae pristinam reducantur, nec provisori liceat de cetero a studio aliquem remittere absque abbatis Claraevallis licentia speciali.

6. Item, diffinitio quondam facta de conversis revertentibus de saeculo videlicet quod essent in habitu familiari tempore duplicato, totaliter revocatur sed quilibet abbas tales revertentes de saeculo pu(g)niat sicut viderit expedire.

7. Item, ad petitionem dominae reginae Franciae monialibus Ordinis per regnum Franciae constitutis concedit actori Capitulum generale ut faciant festa, si voluerint, sanctorum Iohannis ante portam latinam, et sancti Nichasii, et sanctae Katerinae et Margaritae virginis, habeantque in cantu [h]ymnos, lectiones et R[esponsoria] ad sermonem eorum pertinentia, sicut in petitione dominae reginae continentur.

8. Item, quod fugitivi Ordinis capiantur sub expensis proprii abbatis.

---

[b] *quoad formam paulo aliter apud V* : Monachi, qui per abbates suos malitiose emittuntur, possunt per abb. visit. revocari ; *etc.*

9. Item, abbates et priores deponantur, qui nimietate personarum gravant monasteria.

10. Item, quando abbas deponitur in Capitulo generali, tunc debent abbates vicini pronuntiare, quando ad propria revertuntur.

11. Abbatibus [c] de Wanchoz [1], Copvinicia [2], Chyric [3], Bissovia [4] committitur, ut abbatiam de Suleiow[ia] visitent.

1285

Anno [a] Domini millesimo ducentesimo octogesimo quinto, statuta sunt haec apud Cistercium in Capitulo generali.

1. In primis, statuit et ordinat Capitulum generale quod de sanctissimo patre nostro beato Bernardo fiat de novo proprius hymnus et proprium Alleluia, ita quod sequenti anno ad generale Capitulum deportetur, ibidem omnibus publicanda et decantanda per Ordinem universum.

2. Item, generale Capitulum duxit provide statuendum quod de proprietariis Ordinis fiat penitus sicut olim fieri consuevit, diffinitione olim edita penitus revocata.

3. Item, statuit Capitulum generale quod omnes Ordinis fugitivos per saeculum evagantes et honestatem Ordinis denigrantes, proprii seu alii quicumque abbates Ordinis ad expensas proprias capiant vel capi faciant, saecularis brachii auxilio, si necesse fuerit, invocato.

4. Item, quanta potest auctoritate prohibet Capitulum generale quod nullus praesumat in eodem Capitulo ignotum sibi abbatem de aliquo crimine proclamare, nisi domini Cistercii aut quatuor primorum abbatum consilio et assensu.

5. Item, diffinitionem anno praeterito editam super personis Ordinis emittendis sic declarat Capitulum generale quod ad emittendos pro dispersione servetur illa diffinitio incursa quam ad alios pro culpis propriis emittendos fiat, prout est hactenus observatum.

---

[c] *W* ex *Urkunden von Koronowo.*

1285. [a] *Duos tantum testes seu fontes habemus pro isto anno* : *QV* ; *W textum suum depromit ex V. Apud codicem Q leguntur statuta* 1 *ad* 13 ; *apud V, statuta* 8, 9, 11, 13.

---

[1]) Vanchoscum. [2]) Clara provincia. [3]) Scirium. [4]) Coronovia.

6. Item, statuit et ordinat Capitulum generale quod, iuxta diffinitionem antiquam, patres abbates in filiabus suis taxent certum numerum personarum secundum quod viderint suppetere facultates, quem numerum si abbates filii, priores, vel cellerarii ceterique officiales excedere praesumpserint, ab officiis deponantur.

7. Item, auctoritate Capituli generalis praecipitur quod abbates et monachi cucullas albas deferant in Cistercium, tempore Capituli generalis.

8. Item [b], sub poena excommunicationis duxit generale Capitulum monialibus districtius inhibendum ne alicui de Ordine Mendicantium carnes de cetero ministrentur [c], sed cibi regulares [d] dumtaxat eisdem una die tantummodo, cum ad ipsas diverterint, apponentur. Ubi [e] autem secus fuerit attentatum, tam qui ministraverint quam qui fecerint ministrari noverint excommunicationis sententiae subiacere et locus subiaceat interdicto usque ad sequens Capitulum generale.

9. Item, statuit et ordinat Capitulum generale quod abbates depositos vel cedentes nullus recipere compellatur, sed ubi praefuerunt remaneant, aut ad domum unde assumpti sunt revertantur.

10. Item, statuit et ordinat Capitulum generale quod quicumque aliquem criminosum praesumpserint in Capitulo vel extra defendere, vel quasi tueri tribus diebus sint in pane et aqua, et nihilominus poenam sustineant alias in diffinitionibus constitutam.

11. Item, statuit et ordinat Capitulum generale quod nullus abbas, exceptis quatuor primis ad [f] Capitulum generale veniens vel inde rediens ultra tres equos et tres servientes [g] in aliquam abbatiam vel grangiam Ordinis ullatenus introducat. Quicumque [h] in monasterio suo vel grangia plures equos invenerit, ipsos accipiat tamquam suos, auctoritate Capituli generalis.

12. Item, statuitur ut nullus abbas de cetero petat iudices super possessionibus quas alii per quadraginta annos pacifice possederunt.

---

[b] Ne monasteria monialium Ord. nimis graventur in expensis, praecepit Cap. : *VW*. [c] in domibus capellanorum earum : *VW* ; quas qui fecerit ministari : *verba cancellata apud Q*. [d] regularis : *Q*. [e] Qui secus fecerint sive administrando sive procurando, excommunicati sunt : *VW qui sic desin.*
[f] *VW incip.* : Abbates ad Cap. euntes et redeuntes, ultra... [g] famulos : *VW*.
[h] autem abbas : *VW*.

13. Item, statuit et ordinat Capitulum generale quod quicumque [i] monachus proprii abbatis refugiens [j] disciplinam ad patrem abbatem, facto vel verbo [k] sub quacumque forma verborum, praesumpserit appellare poenam [l] sustineat contra appellantes in diffinitionibus constitutam.

1286

Anno [a] Domini millesimo ducentesimo octogesimo sexto statuta sunt haec apud Cistercium in Capitulo generali.

1. In primis, quoniam gloriosae Virginis Mariae inatingibilis celsitudo et excellentia singularis ab Ordine nostro, qui prae ceteris eius patrocinio gloriatur, dignis est laudibus efferandae ac devotis exequiis per amplius et perfectius prosequenda, generale [a] Capitulum ordinat et diffinit quod festum ipsius Nativitatis Beatae Virginis, sicut festum Assumptionis regulari ieiunio in eius vigilia cum lacticiniis ab universis personis Ordinis observetur [b].

2. Cum supernae benedictionis largitas superveniat diligentibus et devotis, et a contemptoribus et a negligentibus elongetur, inhibet [c] districtius Capitulum generale ne quisquam [d] abbas Ordinis aut monachus ex infirmitorio extra monasterium dirigat gressus suos benedictione quae solet dari in ecclesia non suscepta, alioquin poenitentiam panis et aquae ipso die sustineat, nisi evidenti necessitate aut utilitate Ordinis [e] excusetur.

3. Quoniam sicut humeris virilibus et robustis est onus arduum imponendum, sic a debilibus et infirmis est misericorditer reiiciendum rigorem ; rigorem [f] diffinitionis [g] anno praeterito editae de Ordinibus Mendicantibus in monasteriis monialium non suscipiendis, duxit generalis Capituli gratia taliter mitigandum quod illa diffinitio in suo robore perseveret, poena tamen interdicti ibi apposita revocata.

---

[i] *VW incip.* : Nullus monachus vel conversus. [j] volens refugere : *VW*. [k] praesumpserit appellare, qui secus fecerit : *VW*. [l] sufferat in diff. constitutam : *VW*.

1286. [a] *Titulus apud QV* ; A^1 *perp. indicat.* 1281. **1-4** : A^1QVW. [a] *hic incip. Q.* [b] honoretur : A^1 ; *apud V habetur brevissima formula.* [c] *hic incip. Q.* [d] *VW incip.* : Nec abbas nec monachus exitum faciat ad civitatem ex infirmitorio.. [e] *deest Q.* [f] *Incip. Q.* : Item rigorem Ordinis diff... [g] diffinitionem... editam : *VW*.

4. Cum bonum impretiabile sit libertas, et Ordo noster his temporibus importunis exactionibus sit gravatus, quanta[h] potest auctoritate, generale Capitulum[i] interdicit personis Ordinis universi ne personis alterius religionis certa praebenda aliqua vel pensio concedatur, et si aliqua fuerit alicui concessa, totaliter[j] revocetur.

5. Cum censura iustitiae expostulet ut regula caritatis quod sic iuvetur amicus ut tamen proximus non laedatur, statuit[a] et ordinat Capitulum generale[b] quod quamdiu aliqua domus a susceptione hospitum absolvetur, nullus interim quacumque de[c] causa de illa domo ad aliam emittatur[d] gratia commorandi.

6. Cum non liceat nec deceat rectores et custodes candidi Ordinis cuiquam nota maculae denigrari, generale[a] Capitulum inhibet quantum potest ne in Ordine nostro aliquis qui defectum[b] patiatur in natalibus promoveatur de cetero in priorem, suppriorem, seu etiam confessorem, sed[c] illi qui iam promoti sunt amoveantur, nisi cum eis fuerit dispensatum.

7. Ut periculosum scandalum cautius evitetur et odor[a] honestatis odorifere nostri Ordinis conservetur, quanta potest auctoritate generale Capitulum interdicit ne aliquis monachus a quatuor leugis prope Cistercium remanere[b] praesumat tempore Capituli generalis. Quod[c] si inventi fuerint, pro fugitivis habeantur.

8. Universis abbatibus prohibet Capitulum generale ut ad domos Claraevallis quae sunt apud Divionem, tempore Capituli generalis nullus veniat ante sextam.

9. Quaestionem propositam generali Capitulo quam poenam intendit infligere generale Capitulum quando interdicit ascensum gradus altaris ; dictum Capitulum duxit taliter declarandum quod abbates transgressores per quatuor dies continuos poenitentiam sustineant levis culpae, et nihilominus patres abbates in visitationibus suis suos filios citent quos[a] culpabiles invenerint ex parte Capituli generalis ad ipsius Capituli arbitrium amplius

---

[h] *Incip. Q* : Item quanta potest... prohibet. [i] consulit et interdicit : *VW*. [j] *deest VW*. **5** : A^1Q. [a] *Incip. Q* : Item statuit. [b] et diffinit : *Q*. [c] ex : *Q*. [d] transmittatur : *Q*. **6** : A^1QVW. [a] *incip. Q* : Item generale. [b] *brevius apud VW* : Item defectum quis habens natalium... [c] sed... amoveantur : *deest VW*. **7** : A^1VW. [a] honor Ordinis nostri... observetur : *VW*. [b] remorari audeat : *VW*. [c] Quod si... : *deest* A^1. **8-10** : A^1Q. [a] tales : *Q*.

puniendos; priores vero [b], suppriores, cellerarii et maiores alii per dictum visitatorem ultra illam poenam praedictam gravissime puniantur [c].

10. Cum cultum divinum teneamur totis viribus ampliare, auctoritate [d] Capituli generalis universis personis Ordinis praecipitur quod omnes denarios Dei quos de quolibet mercatore receperint mittant ad generale Capitulum ad ecclesiam beati Bernardi parisiensis [e], in honore beatae Mariae construendam, et hoc omnes [f] super suis conscientiis facere teneantur.

11. Abbates qui hospites suos, id est ad se missos ordinate retinere noluerint vel remiserint ante tempus in diffinitionibus constitutum, poenam sustineant levis culpae. Intelligitur [g] quod remittatur cum pecunia quam eo tempore expenderet, et exceptis casibus, quibus proprii filii essent emittendi.

12. Item, cum ingratitudo sit ventus urens, fontem dissipans pietatis, statuit et ordinat Capitulum generale quod omnes illi, qui ad solvendum a quacumque persona Ordinis praefixo termino non solverint, et velut ingrati inducias non petierint, infra instans Natale solvere teneantur.

13. Item, quoniam ordo iuris est, parium dispariumque rerum dispositione sua cuique tribuens, generale [a] Capitulum duxit provide statuendum quod ad abbatiam aliquam de quatuor primis, quae prae ceteris domibus Ordinis sunt amplius honorandae [b], cum ab ipsis, post matrem nostram domum Cistercii potissimum pendeat regimen et cura Ordinis universi, nullus monachus vel conversus commorandi gratia emittatur [c].

14. Item, abbatissae nolentes fugitivas moniales resumere deponantur, aut graviter ad hoc co(h)erceantur.

* * *

Litterae [d] Philippi, Francorum regis (oct. 1285-1314) ad Capitulum cisterciense directae.

---

[b] et... et... : *Q.* [c] pugniantur : *Q.* [d] *hic incip. Q.* [e] Parisius : Q. [f] *deest Q.* [g] Intelligitur... *etc.* : *deest* A^1. **12** : *VW.* **13** : *QVW.*
[a] *hic incip. Q.* [b] et ad matrem nostram domum Cist., apud quam pendet potissime cura et regimen : *VW.* [c] dirigatur. **14** : *VW.* [d] *Leguntur hae litterae in* Codice Dunensi, *i. e. ms.* 418 *bibliothecae civitatis Brugensis, ex antiqua abbatia de Dunis, ord. cist.* Cf. Codex Dunensis, sive Diplomatum et Chartarum medii aevi amplissima collectio, edidit *(ex parte)* J. B. M. C. baro Kervijn de Lettenhove, Bruxellis, 1875.

Philippus, Dei gratia Francorum rex, religiosis viris dilectis nostris abbatibus et toti Capitulo generali Cisterciensi congregato, salutem et sincerae dilectionis affectum.

Attendentes quod ad populorum nobis subditorum regimen oportunum nostra sufficere non potest fragilitas, nisi nobis a summo datore sapientiae, qui dat salutem regibus et universorum facta considerans attingit a fine usque ad finem fortiter et suaviter universa disponit, nobis in hac parte gratia concordatur, ad quod devotorum Christi fidelium et praecipue religiosorum piis orationibus ipsum speramus dulcius inclinari, venerabilem coetum vestrum requirimus et affectuose rogamus vestra subditorum fratrum devota suffragia apud summum patrem luminum nobis benigniter concedatis, ut nobis sic subditos gubernare concedat quod post temporale regimen ad regnum nos transferat sempiternum, regnumque nostrum stabiliat et in iucunda tranquillitate conservet.

1287

Anno [a] Domini millesimo ducentesimo octogesimo septimo statuta sunt haec apud Cistercium in Capitulo generali.

1. Cum mirabilem Deum in sanctis suis omnis lingua debeat confiteri, generale Capitulum ordinat et diffinit quod festum beati Eligii confessoris in crastino beati Andreae cum duodecim lectionibus et duabus missis, sicut festum beati Nicolai, per universum Ordinem celebretur.

2. Ut sanctorum dulcis memoria sit in corde velut ignis perpetuus qui non deficiat in altari, generale Capitulum duxit liberaliter concedendum quod festum beatae Agnetis possit transferri quotiens alicuius festi aut temporis necessitas superveniens id exegerit faciendum.

3. Cum indictum sit homini cuilibet a natura non facere alteri quod ab altero fieri sibi nollet, diffinitioni [a] olim editae de non remittendis hospitibus ante tempus ab Ordine constitutum, hoc additur quod illi qui sic remiserint ad se missos, illis quibus remittunt tantum in pecunia refundere teneantur quantum illi remissi in domo remittentium pro rata illius temporis

---

1287. [a] *Titulus apud QV.* **1-2** : A^1. **3** : A^1Q. [a] *hic incip. Q.*

expendissent [b] exceptis illis dumtaxat casibus in quibus proprios emittere tenerentur.

4. Quoniam revelatio secretorum plerisque fit occasio scandali vel ruinae, quanto potest districtius inhibet [a] Capitulum generale ne aliqua [b] persona Ordinis nostri personis alterius Ordinis cuiuscumque audeat confiteri; quicumque vero contrarium fecerit [c] excommunicationis sententiam se noverit incurrisse [d]. Tantum autem hoc additur ad moniales Ordinis ne cum talibus colloquium habeant quoquo modo nisi forsan abbatissae, priorissa, vel conventum tenens, aut si ille frater carnalis fuerit, sive pater, alioquin cum excommunicationis sententia ab eis Ordinis habitus auferatur.

5. Cum duplex bonum sit cum simplicitate columbina habere prudentiam serpentinam, ad defensionem libertatum Ordinis praecipit Capitulum generale quod transcripta privilegiorum generalium seu conservationum de quibus in diffinitionibus Ordinis mentio non habetur teneantur portare ad sequens Capitulum vel mittere, diligenti prius collatione habita de eisdem.

6. Quoniam studia Ordinis in locis diversis instituta quae apud Deum et homines ipsum Ordinem clarificant et honestant possent de facili converti in opprobrium et contemptum, nisi sufficienti personarum continua et idonea multitudine frequentetur, auctoritate Capituli generalis praecipitur abbatibus ut ubi fuerint viginti monachi et supra, unum monachum annis singulis mittere teneantur, ubi autem quadraginta monachi fuerint et supra, duos mittere non omittant. Et illi qui mittendi fuerint de patrum abbatum seu visitatorum suorum consilio magis idonei eligantur. Et quoniam Parisius est locus celeberrimus ad studendum et fons omnium studiorum, monachi de quacumque provincia ad studendum libere possunt mitti. Quicumque vero ea quae de studiis ordinantur perficere neglexerint, et patres abbates seu visitatores ad hoc eos non compulerint, in sequenti Capitulo se noverint gravissime puniendos.

7. Cum apud Deum, qui neminem vult perire, non sit acceptio personarum, permittit [a] Capitulum generale quod fratres de [b]

---

[b] perpendissent : A^1. **4** : A^1QVW. [a] Item prohibet : *Q incip.* [b] In primis quod nulla persona Ord. : *VW incip. et formam habent breviorem.* [c] ipso facto : *Q.* [d] *hic desin. Q.* **5-6** : A^1. **7-10** : A^1QVW. [a] *Q incip.* : Item permittit. [b] *VW brevius:* Item de Ord. Mend. quod possunt recipi ad Ord.

Ordinibus Mendicantibus possint recipi in monachos nostri Ordinis et conversos, diffinitione olim edita in contrarium non obstante.

8. Quoniam quanto fragiliores sumus, tanto magis necessariis attolli suffragiis indigemus, de [c] monialibus Ordinis fugitivis ad Ordinem revertentibus, aut in carnali contagio deprehensis, statuit et ordinat Capitulum quod ad patrum abbatum arbitrium [d] puniantur.

9. Prohibetur [e] ne aliqua monialis cameram [f] habeat exceptis illis pro quibus monasteria sunt fundata.

10. Et de conservatoribus [g] et de receptionibus [h] puellarum ante decennium non faciendis et de hiis quae ipsarum puellarum intuitu data fuerint monasteriis seu oblata, qualiter expendantur patrum abbatum dispositioni totaliter committitur auctoritate Capituli generalis.

11. Quod capellani monialium cappis utantur de cetero, non mantellis ; abbatissae [a] nolentes tales recipere iuxta demerita puniantur.

12. Quia vitium ingratitudinis est suis esse benefactoribus onerosum, de [b] abbatibus per domos et loca Ordinis transeuntibus diffinit Capitulum generale quod non gravent domos per quas transierint, nec morentur ibidem nisi per diem et duas noctes sine prioris seu conventum [c] tenentis licentia et consensu.

13. Quoniam omnis virtus unita fortior est et potentior se diffusa, concedit Capitulum generale quod monasteria monialium minora coniungi possint ad invicem et uniri, dum tamen de voluntate patrum abbatum fiat istud, et de consilio fundatorum. Moniales vero quae contrariae fuerint vel rebelles a patribus abbatibus per censuram Ordinis arceantur.

14. De rasuris quando fiant. Cum patribus dominis et magistris filios deceat servos ac discipulos humiliter obedire, ad instantiam R. P. domini Joannis tituli Sanctae Ceciliae presbyteri cardinalis et Apostolicae Sedis Legati, qui nostro Capitulo litteras votivas destinavit, duxit Capitulum generale indulgen-

---

[c] *hic incip. QVW* ; *brevior formula apud VW*. [d] iuxta demerita : *Q*.
[e] nec cameras habeant, nisi fuerint fundatrices : *VW*. [f] *Q* : De cameris etiam quod nulla penitus habeat, exceptis... *etc.* [g] consecrationibus : *W*.
[h] A^1 : Prohibetur ne mon. puellas ante decenn. recipere audeant, aut etiam conservare. **11-12** : A^1Q. [a] vero : *Q*. [b] *hic incip. Q*. [c] locum : A^1.
13-14 : A^1.

dum personis Ordinis universi ac etiam statuendum quod rasurae semper fiant per Ordinem universum feria sexta vel sabbato de tertia in tertiam hebdomadam.

15. Quoniam fraus et dolus nemini debeat patrocinium ministrare, generale [a] Capitulum duxit provide statuendum quod quicumque criminis alterius particeps non vocatus in testem nec aliter compulsus quasi retorquens in alterum crimen illud publice confitetur pro convicto legitime habeatur, et tamquam actor ex ore suo iudicatus suam allegans turpitudinem puniatur.

16. Cum habere multos pacificos sit consultum, et de mille unus consiliarius eligatur, auctoritate [b] Capituli generalis inhibetur ne de cetero in domibus monialium capellani recipiantur, illi vero qui iam sunt recepti confessiones non audiant, nisi de patrum abbatum licentia fuerit et assensu.

17. Item, diffinitio anno praeterito edita de hospitibus ad quatuor primas domos non mittendis penitus revocatur.

18. Item, statuit et ordinat Capitulum generale quod illi qui inventi fuerint falsificasse sigilla permissa in Ordine de cetero non admittantur ad officium aliquod seu ad aliquas dignitates ; illi autem qui iam super hoc excesserunt a patribus abbatibus gravius puniantur, diffinitione olim edita de monasteriorum sigillorum falsariis in suo robore permanente.

1288

Anno [a] Domini millesimo ducentesimo octogesimo octavo statuta sunt haec apud Cistercium in Capitulo generali.

1. Quoniam regi saeculorum immortali, invisibili Deo debet omnis honor et gloria exhiberi, concedit [a] Capitulum generale quod ad missas in maioribus altaribus nostri Ordinis, quicumque voluerit possit accendere luminaria sive tortitia in elevatione hostiae salutaris.

2. Cum erga infirmos, debiles et minutos, pia consideratio sit habenda, minutis Ordinis universi indulget Capitulum quod

15-16 : A^1Q. [a] *Q incip.* : Item stat. et ord. Cap. gen. quod quicumque. [b] *Q incip.* : Item inhibetur auct. **17-18** : *Q*.

1288. [a] *Titulus apud QV.* **1** : A^1Q. [a] In primis concedit Cap. gen. : *Q*. **2** : A^1.

de cetero post tertiam prandere, et post vesperas cenare possint tempore hiemali.

3. Item, ut proprietatis et prodigalitatis omnis occasio excludatur, de [a] pecunia quam abbates cedentes vel decedentes relinquunt, statuit et ordinat Capitulum generale quod a nullo nisi de patrum abbatum consilio expendatur, nisi forte in emendis possessionibus, aut redditibus acquirendis, et [b] hoc cum contigerit fiat patribus abbatibus plena fides.

4. Item, ad petitionem et instantiam R. P. Domini Ioannis cardinalis episcopi Tusculani qui nostro generali Capitulo votivas litteras destinavit, duxit generale Capitulum misericorditer indulgendum abbatibus et monachis equitantibus cum eisdem, ac etiam aliis monachis pro diversis officiis equitantibus [a] ut pileis griseis [b] utantur, si voluerint, equitando.

5. Quoniam suspecta munera excaecant oculos sapientum, generale Capitulum ordinat et diffinit quod de cetero monachi [a] missi ad visitandas Ordinis abbatias, de omnibus et singulis quae ipsis data fuerint suis abbatibus qui miserunt eos fidelem teneantur reddere rationem. Abbates etiam visitati de omnibus quae talibus dederint, dari fecerint, aut permiserint, patribus abbatibus per suas litteras veritatem scribere non omittant.

6. Item, qui bene praesunt presbiteri honore duplici sunt habendi, statuit [a] et ordinat Capitulum generale de abbatibus sponte cedentibus et in domibus quibus praefuerunt remanentibus, quod eis provideatur in medietate de redditibus quos ultra statum in quo regimen assumpserunt eorum industria acquisivit [b], quam sic intelligit dictum Capitulum quod quinquaginta libras turonenses non excedat.

7. Item, ut uniformitas observetur in Ordine unitatis, generale Capitulum ordinat et diffinit quod rasurae semper fiant per universum Ordinem feria sexta vel sabbato de tertia in tertiam septimanam.

8. Item, generale Capitulum duxit provide statuendum quod provisor studii parisiensis omnes fugitivos Ordinis, quos ibi repererit vagabundos, capiat seu capi faciat ad expensas proprio-

---

3 : *A*[1]*QVW*. [a] Item de pecunia : *Q* ; Item pecuniam ...nullus expendat... : *VW*. [b] et de : *Q*. **4** : *A*[1]*Q*. [a] assidue : *Q*. [b] grisiis : *Q*.
5 : *A*[1]*VW*. [a] *brevius apud VW* : Item mon. ad visit. missi debent rat. redd. suis abbat. de mun. eis datis, et abb. visitati debent patr. abb. hoc scribere.
6 : *A* [1]*Q*. [a] *hic incip. Q*. [b] acquisiti : *A*[1]. **7-8** : *Q*.

rum abbatum, invocato ad hoc, si necesse fuerit, auxilio brachii saecularis. De emissis autem pro culpa, quantumcumque potest districtius interdicit quod intrare civitatem parisiensem non audeant vel praesumant; hoc idem statuitur de Montepessulano et Tholosa.

9. Item, quod abbates per domos aut loca Ordinis transeuntes non gravent domos nec moram trahant nisi per diem aut duas noctes sine prioris aut tenentis conventum licentia speciali.

10. Item, eodem anno fuit abbati Sanctae Crucis et abbati de Monte Sanctae Mariae in [H]ungaria visitatio commissa per totum regnum [H]ungariae.

11. Abbatibus D. de Walkenride, Jo. de Sychem, W. de Valle B. Georgii ab abbate Campensi [1] committitur litis discussio inter abbates de Porta et de Ryphenstein [2] super rivulo quodam, ex consensu partium in Cistercio, tempore Capituli generalis.

1289

Anno [a] Domini millesimo ducentesimo octogesimo nono statuta sunt haec apud Cistercium tempore Capituli generalis.

1. In primis, quoniam Dei ac Domini Redemptoris nostri nihil nobis nasci profuisset [a] nisi redimi profuisset, generale Capitulum [b] ordinando diffinit quod quotiescumque in passionibus nominabitur articulus [c] sacratissimae passionis et mortis eius, omne genu flectatur petendo veniam humiliter et devote.

2. Item, cum excellentia dignitatis gloriosae virginis Mariae merita supplicum excedat et [a] vota, et super omne votum, generale Capitulum duxit merito statuendum quod in vigilia Nativitatis eiusdem Virginis sicut in diebus sabbatorum fieri consuevit, missa de eadem in conventu solemniter celebretur.

3. Item, quia plerumque consilio maturiori perficitur quod

9-10 : *VW*. **11** : *W* ex Reifensteiner, *Urkunden im Staatsarchiv zu Magdeburg*.

1289. [a] *Titulus apud* Q^2VW. — *Nota quod M sub anno 1289 transcribit 7 statuta quae revera ad annum sequentem referenda sunt, et 7 statuta anni 1289 sub anno 1292 ponit.* **1** : $A^1MQ^2T^5VW$. [a] profuit : Q^2T^5VW. [b] statuit et ordinat : *VW*. [c] articulus mortis eius videlicet : et inclinato capite emisit spiritum,... : *VW*. **2** : $A^1MQ^2T^5V$. [a] et [c] exuperat : T^5. **3** : $A^1MQ^2T^5$.

---

[1]) Vetus Campus. [2]) Riffensteinium.

differtur tempore longiori, promotio, ordinatio, correctio ac reformatio omnium studiorum Ordinis, domino Cisterciensi et domino Claraevallensi abbatibus committitur in plenaria Ordinis potestate, diffinitione de mittendis scolaribus ad dicta [a] studia de omnibus Ordinis abbatiis olim edita in suo robore perdurante [b], et solito melius ab omnibus observanda [c].

4. Item, ne contingat bonum operarium absque noxa sui meriti mercede defraudari, diffinitioni anno praeterito editae de gratia provisionis abbatibus sponte cedentibus et benemeritis facienda, duxit generale Capitulum hoc addendum quod abbatibus huiusmodi licet [a] ad domos alias se transferentibus non tamen assumptis alibi [b] in abbates provisio consimilis [c] assignetur.

5. Item, ut caritas Ordinis uniformis adversariis nostris appareat terribilis ut castrorum acies ordinata, generale Capitulum duxit provide statuendum quod quotiescumque necesse fuerit inter abbates alicuius provinciae convocationem et contributionem fieri ad defendendas Ordinis libertates, quicumque abbates contribuere aut contributum solvere noluerint infra terminum competentem [a] a superioribus abbatibus dictae provinciae assignandum, ex tunc pro depositis habeantur.

6. Item, ut periculum periurii et crimen falsi a personis Ordinis cautius evitetur, diffinitionem anno praeterito editam super donis [a] datis monachis visitatoribus [b], generale Capitulum sic declarat quod nisi summam viginti solidorum turonensium [c] dicta dona excesserint, rationem reddere [d] minime teneantur.

7. Item, quia facilius multi conscelerantur ab uno quam unus a pluribus informetur, statuit [a] et ordinat Capitulum generale quod quicumque [b] convinci [c] poterit lusisse ad taxillos [d], aut carnes in locis ab Ordine prohibitis comedisse, omni sexta feria sit in pane et aqua [e], et ultimus [f] omnium habeatur.

8. Item, quoniam dissolutio effrenata multa mala parere consuevit, Capitulum generale ordinat et diffinit quod de [a] cete-

---

[a] ista : T^5. [b] permanente : Q^2T^5. [c] observata : Q^1 ; observetur : T^5. **4** : $A^1Q^2T^5V$. [a] *deest* T^5. [b] *deest* A^1. [c] aliqualis : *V*. **5** : $A^1MQ^2T^5$. [a] oportunum : Q^2. **6** : A^1Q^2VW. [a] *deest* *VW*. [b] visitantibus : *VW*. [c] *deest* A^1. [d] eo modo : Q^2VW. **7** : $A^1MQ^2T^5V$. [a] *hic incip.* T^5V. [b] de Ordine : Q^2T^5. [c] inventi fuerint : *V*. [d] talos : A^1Q^2. [e] per annum : Q^2. [f] cum hoc : A^1. **8** : $A^1MQ^2T^5$. [a] *hic incip.* T^5.

ro emissis pro culpa nulla detur egrediendi licentia, nisi pro gravi necessitate vel utilitate monasterii manifesta.

9. Item, diffinitio anno praeterito edita de minutis Ordinis quod cenare possent post vesperas in conventu tempore hiemali, revocatur, et ad statum reducitur consuetum [a].

10. Item, diffinitioni olim editae de fugitivis Ordinis capiendis in civitate Parisiensi et Tolosa, hoc additur quod similiter capiantur in romana Curia per abbates de S. Anastasio et de Palateolis, invocato ad hoc, si necesse fuerit, auxilio brachii saecularis.

11. Item, abbati de Alta Sylva qui sine licentia ivit ad Curiam romanam, ibi inhoneste se habendo, solus per patriam discurrendo, praecipit Capitulum generale ut infra Nativitatem Domini ad propria studeat remeare, alioquin pro deposito habeatur. Iniungitur etiam eidem ut sequenti anno veniat ad Capitulum generale, in eodem Capitulo veniam petiturus. Hoc eidem abbas de S. Anastasio nuntiare teneatur.

12. Item, auctoritate Capituli generalis inhibetur [a] abbatibus et personis Ordinis universi ne de cetero aliqua deposita teneant [b] in custodia a Iudeis. Ubi autem contrarium [c] fuerit attentatum, abbas, prior, cellerarius, et bursarius tamdiu a vino [d] abstineant quamdiu penes se custodierint deposita praedictorum; et qui iam receperint restituant [e] infra Pascha.

13. Item, abbati de Campo Sanctae Mariae qui male recepit visitatores Cistercii, praecipit Capitulum generale ut infra Purificationem Beatae Virginis tribus diebus uno eorum in pane et aqua faciat levem culpam. Pater autem abbas inquirat diligentius utrum fecerit poenitentiam supradictam, quam nisi fecerit, ipsum citet ad proximum Capitulum generale pro suis demeritis gravissime puniendum.

14. Item, sententias latas in monachos et conversos Sy[l]vaecanae per abbatem proprium, qui nigrorum monachorum habitum contra formam Ordinis assumpserunt, generale Capitulum approbat et confirmat praecipiens omnibus abbatibus illius provinciae ut, omnibus diebus dominicis in eorum capitulis, dictae sententiae publicentur. Et quia dictum factum tangit

---

9 : A^1Q^2VW. [a] retroactum : *V*. **10** : A^1Q^2. **11** : A^1. **12** : $A^1MQ^2T^5V$. [a] T^5 *incip.* : Inhibet Cap. gen.; praecipitur : *V*. [b] recipiant a Judeis : Q^2T^5V. [c] secus : *V*. [d] a divinis : *V*. [e] *hic desin.* T^5. **13-14** : A^1.

Ordinem universum, praecipit Capitulum generale ut circa negotium viriliter elaborent, si necesse fuerit et super hoc fuerint requisiti.

15. Item, factum decimae domino [a] Francorum regi concessae domino Cisterciensi et quatuor primis abbatibus in plenaria Ordinis potestate committitur, prout in littera apostolica continetur.

1290

Anno [a] Domini millesimo ducentesimo nonagesimo statuta sunt haec apud Cistercium in Capitulo generali.

1. In primis, quoniam ingratitudo est ventus [a] urens rorem misericordiae, stillas [b] gratiae, et fontem dissipans pietatis, generale Capitulum ordinat et diffinit quod in commemoratione fratrum et familiarium Ordinis nostri, quae fit in capitulo quotidiano et in illa [c] collecta *Deus veniae largitor*, commemoratio benefactorum nostrorum specialiter adiungatur.

2. Item, quia privilegium meretur [d] amittere qui concessa abutitur potestate, quantum [e] potest districtius Capitulum generale interdicit ne aliquis de Ordine nostro praesumat de cetero coram ordinariis iudicibus [f] personam aliquam ordinis [g] convenire aut etiam coram ipsis de iustitia respondere. Abbates qui [h] super huiusmodi facto culpabiles inventi fuerint pro depositis habeantur, monachi vero poenae conspiratorum per omnia subiacebunt.

3. Item, quoniam non minor est virtus, quam quaerere, parta [i] tueri, generale Capitulum duxit provide statuendum quod illa [j] gratia quae fit abbatibus cedentibus qui bene administrarunt annuos redditus monasteriis [k] acquirendo, fiat etiam illis abbatibus cedentibus qui inequali summa et pari fidelitate in thesauris domorum suarum divitias aggregarunt [l], aut praedecessorum suorum debita persolverunt.

---

15 : A^1Q^2. [a] regi Franciae : Q^2.

1290. [a] *Titulus apud* A^1EQ^2V. — *Nota quod 7 statuta a D. Martène citata tamquam ad annum* 1289 *pertinentia, ad hunc praesentem annum* 1290 *sunt referenda.* **1-4** : $A^1MT^5EQ^2V$. [a] vitium : A^1. [b] stillas dissipans pietatis : *M*. [c] illis collectis : Q^2. [d] debet : Q^2. [e] quapropter : A^1. [f] iudice ordinario : A^1. [g] *deest* A^1T^5. [h] in hoc facto : *M*. [i] parva : A^1. [j] *hic incip.* T^5. [k] *deest* A^1. [l] congregarunt : *MV*.

4. Item, quia pauperes et humiles [m] servos Dei non decet [n] apparatu superfluo colorari, prohibetur [o] monachis et conversis Ordinis universi ne praesumant vasa aurea vel argentea aut coclearia tenere, habere vel etiam deportare. Quicumque vero contra [p] fecerint, ultimi sint omnium per annum, et qui modo habent sub poena excommunicationis [q] infra mensem abbati suo aut locum eis tenenti reddere teneantur.

5. Item, super terribilibus excessibus in abbatiis de Curina [1] et de Cornu [2] qui noviter et enormiter contigerunt, de Curina et de Cornu abbatibus praecipitur sub poena excommunicationis auctoritate Capituli generalis quod illos iniquitatis filios qui omni pietatis officio denegato sacrilegis manibus abbates proprios occiderunt, cum expensis propriis inquiri faciant diligenter et captos procurent carceri perpetuo mancipari. Reliqua vero omnia ad dictos excessus pertinentia domino Firmitatensi abbati committitur in plenaria Ordinis potestate, ut per se vel per alium corrigat et ordinat quod secundum Deum et Ordinem viderit expedire.

6. Item, cum sit difficile virtutis medium invenire, et in actionibus moralibus circumstantias debitas ponderare, statuit et ordinat Capitulum generale quod commissio facta anno praeterito domino Cisterciensi et domino Claraevallensi abbatibus super reformatione [a] et correctione ac ordinatione studiorum, et specialiter de studio Parisiensi in suo robore perseveret, cum diffinitione olim facta de mittendis scolaribus ad studia supradicta.

7. Item, super facto et multis excessibus fratris Fulqueti monachi de Monasterio [a] in Argona, statuit Capitulum generale quod, in Remensi [b] et Trevirensi dioecesibus, excommunicatus publice nuntietur, omnibus diebus quibus fit sermo in capitulis Ordinis dictarum [c] dioecesium, praecipiens abbatibus et iniungens ut efficaciter elaborent ut praedictus apostata capiatur ac etiam [d] carceri perpetuo mancipetur invocato ad hoc, si necesse fuerit, auxilio brachii saecularis.

---

[m] etc. interdicitur quod nullus habeat vasa arg. aut cocl. et qui habent redd. abb... : *E*. [n] oportet : Q^2. [o] praecipitur : Q^2. [p] contrarium : T^5V. [q] *E tacet de excomm.* **5** : A^1Q^2. **6** : $A^1MT^5Q^2$. [a] reformationem et correctionem et ordinationem : T^5. **7-8** : A^1Q^2. [a] monasteriis in Argonia : Q^2. [b] provincia : Q^2. [c] dictae provinciae : Q^2. [d] firmo : Q^2.

---

1) Follina, seu Sana vallis. 2) S. Stephanus de Cornu.

8. Item, electionem abbatis Vallis Sancti Lamberti quae dicebatur ab aliquibus vitiosa approbat et ratificat Capitulum generale.

9. Item, quoniam nimia [a] libertas [b] interdum generat servitutem, et virtus incircumspecta saepius [c] vertitur in abusum, diffinitioni olim editae de possessionibus Ordinis gratis ad vitam personis saecularibus non tradendis, hoc additur quod abbates contrarium facientes absque retractatione aliqua [d] deponantur. Illi vero qui consilium dederint vel consenserint a domibus propriis emittantur, non reversuri nisi per Capitulum generale.

10. Item, auctoritate Capituli generalis inhibetur abbatibus Ordinis universi ne, ubi conversos habere potuerint [a] competenter, tempore Capituli generalis in Cistercium famulos introducant.

11. Item, universis abbatibus Ordinis, qui pecuniam illius decimae Terrae sanctae pro subsidio deputatae mutuo receperunt, praecipit Capitulum generale ut dictam pecuniam infra mensem Paschae solvere non omittant, alioquin pro depositis habeantur. Priores vero et suppriores, cellerarii et bursarii ab officiis deponantur.

12. Item, super facto et negotio Sylvaecanae, generale Capitulum ordinat et diffinit quod illi monachi et conversi, qui iam in domibus aliis sunt professi ad domum illam in perpetuum minime revertantur, neque in illis ubi sunt aliquod officium exsequantur, nec in futurum equitent sine licentia Capituli generalis. De illis vero qui ad domos alias sunt emissi et de novitiis ibidem recipiendis domini Morimundi patris abbatis arbitrio duxit idem Capitulum relinquendum. Illi autem qui adhuc in apostasia remanent, per omnes abbatias Aquensis, Arelatensis, Narbonensis provinciarum omni die dominica excommunicationis sententia percellantur. Quicumque vero super hoc fuerint negligentes a vino abstineant ipsa die. Abbatibus etiam ipsarum provinciarum praecipitur et specialiter abbatibus de Sylvacana, de Francavalle et de Vallemagna ut dictum negotium Sylvaecanae contra abbatem Montis maioris et quoscumque alios adversarios viriliter prosequantur.

---

9 : *A*¹*MET*⁵*Q*²*V*. [a] *deest EV*. [b] etc. interdicitur quod abbas qui dederit possessiones gratis saecul. ad vitam deponat. et consent. emitt. non revers. nisi per gen. Cap. : *E*. [c] saepe : *VM*. [d] qualibet : *V*. **10** : *A*¹*MT*⁵*Q*²*V*. [a] poterunt : *V*. **11** : *A*¹*Q*². **12-24** : *A*¹.

13. Item, factum abbatis de Reneval [1] qui compulsus fuisse dicitur ad cedendum, et monachorum dictae domus qui dicuntur habere redditus speciales, de Argo [2] et de [Veteri] Campo abbatibus committitur ut faciant et ordinent quidquid ibidem fuerit faciendum, et quid inde fecerint, anno sequenti referant Capitulo generali.

14. Item, negotium monachorum et conversorum de Eurebach [3] committitur domino Claraevallis in plenaria potestate ut, per se vel per alios, capiendo vel incarcerando vel alias faciendo, prosequatur prout viderit expedire.

15. Item, cuidam monacho de Vallibus in Ornois, qui non vult abbati proprio vel alteri confiteri, praecipit Capitulum generale sub poena excommunicationis ut carceri mancipetur, donec poenae vexatio tribuat intellectum.

16. Item, de Firmitate et de Morimundo abbatibus praecipitur ut quilibet in generatione sua abbatiis de Cypro et de Syria quasi convulsis et totaliter destitutis de abbate provideant ista vice ; bona vero dictarum domorum minime distrahantur nisi de eorum licentia speciali et assensu.

17. Item, abbati de Caravalle iuxta Mediolanum et generationi suae praecipit Capitulum generale quod abbati de Sancta Cruce de Cliento filio suo subveniat, ut eius necessitas sublevetur, ne praedictam domum prae nimia paupertate contingat ab Ordine deperire.

18. Item, abbatibus de Arragonia, qui sunt in generatione Fontis frigidi, praecipitur universis quod eidem abbati Fontis frigidi totam pecuniam, quam pro eis solvit in contributione primae decimae, refundere teneantur.

19. Item, dispersionem conventus Vallis Sancti Lamberti et permutationem quarumdam possessionum concedit Capitulum generale quod fiat per patrem abbatem, si ei viderit expedire.

20. Item, pro Terra sancta, quam Dominus noster proprio sanguine consecravit, psalmus *Deus venerunt gentes*, cum versiculis et collectis consuetis ad missas conventuales, non tamen ad maiores, absque pulsatione campanae, dicatur per Ordinem universum.

21. Petitio abbatis de Gardo et abbatis de Valentiis, qui petunt absolvi a susceptione hospitum per triennium, exauditur.

---

[1]) Reinfeld. [2]) Dargunium. [3]) Eberbacum.

22. Petitio abbatis de Bosco, qui petit quod emissio monachorum per ipsum facta pro dispersione habeatur, et quod abbates ad quos missi sunt eos retinere teneantur, non obstante defectu vestium, exauditur.

23. Item, petitio abbatis de Sancto Badio [1] et de Sancto Martino prope Viterbium, qui petunt absolvi a susceptione hospitum per triennium, exauditur.

24. Item, petitio abbatis Fulcardi montis, qui petit absolvi a susceptione hospitum per triennium, exauditur.

25. Conceditur abbatibus Austriae ut eis liceat festum sancti Floriani martyris celebrare.

26. Item, fratrem Heynonem monachum Vallis Sancti Lamberti, qui aliqua bona monasterii sui contra voluntatem proprii abbatis detinet, et gratiis abutitur sibi factis, dictis gratiis et grangia quam iam tenet privat omnino Capitulum generale, et nihilominus, nisi resipuerit, ipsum praecipit excommunicari per provinciam Coloniensem, Leodiensem, Cameracensem dioeceses omni die quo sermo in capitulis Ordinis nostri fieri consuevit, et hoc idem abbas de Valle Dei denuntiare ex parte Capituli teneatur.

1291

Anno [a] Domini millesimo ducentesimo nonagesimo primo statuta sunt haec apud Cistercium in [b] Capitulo generali.

1. In primis, cum laus [a] et gloriatio beatorum patrum sit profectus ac religiositas filiorum, generale Capitulum ordinat et diffinit quod [b] festum Translationis beatissimi Patris nostri Benedicti abbatis quod est quinto idus iulii sicut in alia festivitate per omnia cum una [c] missa per universum Ordinem celebretur.

2. Item, quoniam nimia familiaritas parit contemptum, et

---

25 : *GV*. **26** : Q^2.

1291. [a] *Titulus apud* T^5V. [b] tempore Cap. gen. : T^5. — *Nota quod 7 statuta a D. Martène citata tamquam ad annum* 1290 *pertinentia, ad hunc praesentem annum* 1291 *sunt referenda.* **1** : A^1ET^5VW. [a] lumen : T^5. *Brevitatis causa, codex E, post prima verba cuiuscumque statuti addit* : etc. ibi dicitur quod, *et statim ad partem dispositivam transit.* [b] Translatio b. Ben. fiat cum una missa sicut in alia festiv., 5° id. iulii : *E*. [c] tantum : T^5V. **2** : A^1MT^5.

---

[1]) Leg. forsan Sagittario.

incauta [a] liberalitas [b] interdum generat servitutem [c], generale Capitulum districte prohibet et defendit quod, ad preces vel praesentationem [d] praelatorum seu quorumcumque aliorum de iure vel consuetudine requirentium, de cetero nulla persona recipiatur ad habitum seu victum Ordinis, sive ad aliquam pensionem.

3. Item, ad detestandum [a] crimen sortilegii [b], quod est quaedam species hereticae pravitatis, diffinitioni olim editae de sortilegiis, generale Capitulum duxit provide [c] hoc addendum quod quaecumqua persona Ordinis, sive monachus vel conversus, si super [d] tanto crimine fuerit deprehensus, non promoveatur ad aliquas dignitates nec ad actus legitimos admittatur, sed ultimus omnium et omni sexta feria sit in pane et aqua usque ad nutum Capituli generalis. Et haec diffinitio extenditur ad universas Ordinis moniales.

4. Item, ne fraus et dolus aliquibus praestare patrocinium videatur, quanto districtius potest generale Capitulum interdicit, ne quisquam de Ordine de cetero praesumat scienter mittere vel portare ad dictum Capitulum, suppressis nominibus, litteras infamiam continentes, alioquin ipso facto excommunicationis sententiam [a] se noverint incurrisse.

5. Item, ne inveterata vulnera [a] quae fomentis curari nequeunt duriori cauterio resecentur, statuit et ordinat Capitulum generale quod, quaecumquae Ordinis abbatissae suis visitatoribus seu mandatis Capituli generalis inobedientes extiterint vel rebelles, seu quae litteras impetraverint magnatorum, seu quae personarum saecularium vel potentum auxilium invocaverint contra ipsos, aut quae secreta Ordinis revelaverint, ipso facto pro depositis habeantur. Et nihilominus tam ipsae quam moniales Ordinis quae similia fecerint aut fieri consenserint, per suos visitatores ex parte dicti Capituli excommunicationis gladio feriantur.

6. Item, ne fermento malitiae et nequitiae sinceritatis azima nostri [a] Ordinis corrumpatur, generale Capitulum duxit provide [b]

---

[a] maxima : *M*. [b] T^5 *repet.* : familiaritas. [c] levitatem : *M*. [d] instantiam : T^5. **3** : A^1EMT^5V. [a] tollendum : T^5. [b] etc. ibi dicitur quod quicumque mon. sortilegium fecerit non promoveatur ad aliq. dign. et ult. sit omn. usque ad nut. Cap. gen. : *E*. [c] proinde : T^5. [d] super hoc : T^5.
4 : A^1MT^5V. [a] sententia percellatur : *M*. **5** : A^1EVW. [a] etc. ibi dicitur quod moniales inobedientes visit. suis deponantur et excomm. auct. Cap. gen. : *E qui sic desin.* **6** : A^1MT^5V. [a] nostr. Ord. : *deest* T^5. [b] proinde prohibendum : T^5.

statuendum quod ad habitum Ordinis vel convictum nullus de cetero praesumat aliorum Ordinum recipere fugitivos.

7. Item, cum velut [a] acetum [b] dentibus et fumus oculis sit legatus fatuus et nuntius infidelis, statuit et ordinat generale Capitulum quod quicumque de cetero non renuntiaverit dicto Capitulo vel per litteras aut oraculo vivae vocis super his quae sibi commissa fuerint ab eodem, per dies quadraginta continuos in domo propria extra stallum abbatis maneat, et nihilominus tribus diebus uno eorum in pane et aqua faciat levem culpam.

8. Item, cum ad omnes operari bonum, maxime autem ad domesticos teneamur, abbatibus de Dania generale Capitulum praecipit universis quod ad sublevandam intolerabilem paupertatem abbatiae de Herivado de bonis a Deo sibi collatis contribuant beneficio caritatis. Qui si negligentes fuerint aut remissi, per inquisitores seu visitatores illic auctoritate dicti Capituli generalis destinandos ad hoc, si necesse fuerit, compellantur.

9. Item, ut vel ipsius poenae vexatio perversis tribuat intellectum, sententias latas per dominum Firmitatensem contra fratres Armannum, Matheum, Petrum et Henricum de Fossato monachos abbatiae Sancti Salvatoris de Monte acuto, generale Capitulum approbat et confirmat, et quod numquam nisi de licentia eiusdem Capituli ad domum propriam revertantur. De fratre vero Aegidio, quondam abbate dicti loci, qui fuit caput malitiae totius et patronus, idem Capitulum praecipit abbati de Monte amiato quod illum faciat in domo sua carceri mancipari, aliis vero qui dicto domino Firmitatensi inobedientes et rebelles procaciter extiterunt per Viterbiensem, Assisinam et Perusiam dioeceses excommunicentur omnibus diebus quibus sermo in nostris capitulis fieri consuevit.

10. Item, cum secundum modum culpae extendi debeat mensura disciplinae, generale Capitulum ordinat et diffinit, quod abbates et monachi de Sancta Cruce in Cliento qui se ab Ordine nostro temere et illicite transtulerunt, omnibus diebus quibus fit sermo in capitulis nostris excommunicati denuntientur per Ordinem universum ; pater autem abbas qui, paventibus [a] oculis, super excessus [b] huiusmodi transierit, extra stallum abbatis

7 : *A¹EMT⁵V*. [a] *deest M.* [b] etc. ibi dicitur quod abbas qui non renuntiav. : *E et breviorem formulam refert.* **8-9** : *A¹*. **10** : *A¹T⁵*. [a] pav. oculis : *deest T⁵*. [b] poenit. agat levis culpae : *T⁵ qui sic desin.*

quadraginta diebus in propria maneat domo, et nihilominus tribus diebus in pane et aqua poenam sustineat levis culpae.

11. Item, quoniam sicut simplicitas prodesse humilibus, sic obesse solet perversitas obstinatis, Capitulum generale ordinat et diffinit, quod frater Laurentius, quondam abbas Fossae novae, suis demeritis exigentibus numquam, nisi de licentia dicti Capituli, ad domum propriam revertatur, sed pater abbas eidem de mansione provideat infra montes et citra Romam, et eum pro suis excessibus corrigat prout sibi videbitur expedire et honestum. Electionem vero abbatis de Fossa nova qui nunc est, quae dicebatur ab aliquibus vitiosa, generale Capitulum approbat et confirmat.

12. Item, super facto spoliationis abbatis de Abraham in abbatia monialium de Brondo, abbati de Salem patri abbati committitur, quod inquirat super huiusmodi veritatem, et faciat quod secundum Deum et Ordinem viderit expedire.

13. Item, de monialibus Rectae [a] vallis quae nolunt profiteri secundum Ordinis instituta, statuit et ordinat Capitulum generale quod, si profiteri noluerint, discedant de loco et ab Ordinis consortio totaliter excludantur. Quaecumque vero talibus rebellibus praebendam ministraverint excommunicationis sententia innodentur. Hoc idem de novitiis monialibus Ordinis universi quae post annum probationis secundum formam Ordinis noluerint profiteri.

14. Item, super insolentia abbatiarum de Dania, de Frisia et de Suessia, domino Cisterciensi et domino Claraevallensi, cuilibet in generatione sua, committitur ut per se vel alios inquirant, corrigant ac reforment in plenaria potestate Ordinis, prout eis videbitur faciendum.

15. Item, negotium abbatis de Sylva lata, domino Morimundensi duxit generale Capitulum committendum ut faciat et ordinet quidquid secundum Deum et Ordinem viderit expedire.

16. Item, translatio abbatiae de Valle coeli quam fieri petit abbatissa dicti loci, patri abbati committit Capitulum generale ut faciat prout melius iudicaverit faciendum.

17. Item, factum fratris Fouqueti monachi de Monasteriis in Argona, patri abbati de Tribus fontibus committitur ut, si

---

11-12 : A^1. **13** : A^1T^5. [a] Directae vallis in Lotharingia (Droiteval) : T^5. **14-19** : A^1.

redire voluerit, recipiatur salva Ordinis disciplina, et eum corrigat prout viderit eius demeritis convenire.

18. Item, abbatibus de Morella et Hoya caeterisque consimilibus, qui non renuntiaverunt anno isto Capitulo generali ea quae sibi commissa fuerant ab eodem, praecipit idem Capitulum generale quod quadraginta diebus continuis extra stallum abbatis in domibus propriis maneant, et nihilominus tribus diebus uno eorum in pane et aqua poenam sustineant levis culpae.

19. Item, fratri Guillelmo, quondam abbati de Scarpio nunc monacho Populeti, indulget Capitulum generale ut eligibilis habeatur.

20. Item, correctionem, ordinationem ac reformationem studiorum Ordinis domino Cisterciensi et domino Claraevallensi iterato committit Capitulum generale in plenaria Ordinis potestate, prout eis videbitur faciendum.

21. Item, permutatio facienda super quadam grangia inter Ioannem de Burgundia et abbatem Clarifontis, domino Morimundensi et abbati de Bella valle committitur ut videant et faciant prout eis melius videbitur expedire.

22. Item, distractio quorumdam bonorum immobilium abbatiae de Valle [1] dominorum, de Hebraco et de Malebrune [2] committitur, ut faciant quod eis videbitur expedire.

23. Item, abbati de Fullina concedit Capitulum generale quod in domo sua possit recipere novitios, conspiratione aut homicidio in ea perpetrato non obstante.

24. Item, cum ab omni mala specie sit studiosius abstinendum, diffinitionem olim editam de provisione cedentibus abbatibus facienda, sic declarat Capitulum generale quod provisio talibus assignata totaliter debeat expendi de propriorum abbatum consilio et assensu.

25. Item, ne libertas effrenata occasionem tribuat alicui malignandi [a], generale Capitulum duxit provide [b] statuendum quod abbatissae Ordinis depositae vel cedentes non habeant currus vel equos in monasteriis, aut famulas [c] saeculares, sed una vel duabus monialibus ad earum servitium sint contentae. Pa-

---

20 : *A*¹*T*⁵. **21-23** : *A*¹. **24** : *A*¹*MT*⁵. **25** : *A*¹*GT*⁵*VW*. [a] delinquendi : *G*. [b] proinde : *T*⁵. [c] famulos : *GVW*.

---

1) Alba Dominorum. 2) Mulbrunnum.

tres autem abbates dispensare non poterunt super huiusmodi absque licentia Capituli generalis.

26. Item, quoniam [a] omne bonum [b] in commune deductum pulchrius elucescit, statuit et ordinat Capitulum generale quod quicumque abbas aliquas expensas fecerit pro privilegiis et libertatibus Ordinis defendendis, et illas petierit ab Ordine sibi reddi, teneatur de dictis expensis coram maioribus abbatibus [c] qui ceteros abbates convocaverint fideliter computare et de eisdem facere [d] fidem proprio iuramento.

27. Item, quoniam [a] instabilitas importuna multis praestat occasionem scandali et ruinae, sub poena excommunicationis inhibetur abbatibus Ordinis universi ne personis Ordinis de cetero emittendis tradant plura paria litterarum.

28. Item, provisio, ordinatio et reformatio studii oxoniensis tam de abbate quam de aliis, domino Cisterciensi committitur, ut per se vel per alium faciat quod, secundum Deum et Ordinem viderit expedire.

29. Item, abbati de Margan concedit Capitulum generale ut commutationem faciat cum comite Glocestriae de quibusdam possessionibus ita quod abbates de Vavelleia [1] et Santelia [2], de Tinterna ad dictam permutationem convocentur auctoritate Capituli generalis.

30. Item, auctoritate Capituli generalis illis abbatibus, qui pecuniam illius decimae Terrae sanctae subsidio deputatae mutuo receperunt, et illam infra Pascha solvere non omittant, alioquin pro depositis habeantur. Priores vero, suppriores et cellerarii a suis officiis deponantur. Hoc idem statuitur de abbatissis.

31. Item, ad preces et instantiam R. P. Domini Gerardi, cardinalis episcopi Sabinensis, qui super hoc generali Capitulo votivas litteras destinavit, duxit generale Capitulum concedendum personis Ordinis in Sicilia et Apulia constitutis, ut de beato Nicolao faciant festum, si voluerint, cum historia propria et sermone.

32. Item, moniales Pontis regis quae patri abbati visitatori suo inobedientes fuerunt pluries et rebelles, nisi infra festum beati Nicolai eidem voluerint humiliter obedire, ex tunc excom-

---

26 : *A¹EGMT⁵*. [a] cum : *T⁵*. [b] etc. ibi dicitur quod quicumque abbas... : *E*. [c] per iuramentum : *E qui sic desin.* [d] iuramentum : *T⁵*.
27 : *A¹T⁵VW*. [a] cum : *VW*. **28-67** : *A¹*.

---

[1] Waverleia. [2] Stanleia.

municat Capitulum generale, patri abbati praecipiens ut ipsas excommunicatas denuntiet per totam provinciam Maguntinam.

33. Item, super receptione novitiorum in abbatia de Iumondo [1], patri abbati domino Morimundensi committitur ut faciat quod secundum Deum et Ordinem viderit expedire.

34. Item, negotium abbatiae de Villari dominis Claraevallis et Morimundi abbatibus committitur, ut super hoc faciant quod secundum Deum et Ordinem viderint expedire. Quod si ambo non potuerint mittere, unus eorum dictum negotium, prout potuerit, exsequatur.

35. Item, abbati de Eurebach [2] conceditur auctoritate Capituli generalis ut possit bona immobilia distrahere pro debitis persolvendis, si aliter solvi non poterunt, de licentia tamen patris abbatis sui.

36. Item, statuit et ordinat Capitulum generale quod frater Aegidius de Porretis, monachus de Loco regio, et frater Ioannes conversus cognatus abbatis de Curia Dei, qui per excogitatam malitiam inter patrem et filium discordiam seminarunt, ad domos remotissimas emittantur, non reversuri nisi per Capitulum generale.

37. Item, abbati de Saltreia praecipit Capitulum generale ut abbati de Bona requie satisfaciat, infra Nativitatem Domini, de praeterito redditu quo tenetur, et de cetero terminis assignatis, prout in compositione facta inter ipsos plenius continetur; alioquin abbas, prior et cellerarius ab altaris officio suspendantur. Quod si per quadraginta dies dictam suspensionem sustinuerint animo indurato, ex tunc excommunicationis sententiam se noverint incurrisse.

38. Item, factum abbatiae Sylvae regalis domino Cisterciensi committitur in plenaria Ordinis potestate, ut super hoc faciat quod sibi viderit expedire.

39. Item, abbas de Fullina [3] qui indebite et illicite cum duobus monachis dispensavit, tribus diebus poenam sustineat levis culpae, monachi vero ad obtinendam dispensationem ad Sedem Apostolicam transmittantur.

40. Item, punitionem et sententias latas per abbatem de Strata super horribilibus excessibus in abbatiis de Cornu et de Fullina,

---

1) Gimundus. 2) Eberbacum. 3) Seu Sana vallis.

de Caravalle et de Charreto contra quasdam personas dictorum monasteriorum, generale Capitulum approbat et confirmat. Abbatem vero Caraevallis, qui in dicto facto negligens extitit et remissus, generatione sua privat Capitulum generale, committens domino Claraevallis ut dictam generationem et dictum abbatem visitet per se vel per alium, et pro suis excessibus puniat per depositionem, vel alias prout sibi viderit expedire. Fratrem autem Anselmum, qui pro dictis excessibus missus fuerat ad abbatiam S. Martini prope Viterbium, ad preces et instantiam R. P. Domini Petri, tituli S. Marci presbyteri cardinalis, ad monasterium Morimundi in Lombardia duxit generale Capitulum revocandum, ita tamen quod in dicto monasterio faciat gravem culpam, sex diebus, nec ad domum propriam revertatur, absque licentia Capituli generalis.

41. Item, abbati de Stafarda conceditur auctoritate Capituli generalis ut impetrare possit contra abbatissam et conventum Frigidi rivi, et eas coram quocumque iudice ecclesiastico convenire, seu in personam quae non sit de Ordine nostro compromittere, diffinitione in contrarium edita non obstante.

42. Item, super excessibus gravibus fratris Petri de Artespac[1] fugitivi, abbati de Ebraco patri abbati dicti monasterii praecipit Capitulum generale ut dictum fugitivum capi faciat, et si possit fieri carceri mancipetur, et nihilominus per totam provinciam in capitulis Ordinis nostri, quando fiet sermo in capitulis, excommunicatus publice nuntietur.

43. Item, pactum abbatissae de Bonoloco filiae Aquaebellae, de Francavalle et de Valle magna abbatibus committitur, ut inquirant et faciant auctoritate Capituli generalis, prout eis videbitur expedire.

44. Item, querela abbatum Scalae Dei et S. Salvatoris contra abbatem de Yrantio, de Oliva et de S. Prudentio abbatibus committitur pace vel iudicio terminanda et quid inde fecerint, etc.

45. Item, querela abbatis Vallis Paradisi contra abbatem de (Valle) [Monte] Ramorum, et contra abbatem de Spina et contra abbatem de Turre Aquilari, de Valle bona et de Valle Ecclesiarum abbatibus committitur, etc.

46. Item, querela abbatis de Boccan[2] et de Linqua[3] contra

---

1) Alderspacum. 2) Curc in Bokan, seu Zircium. 3) Lychna, seu Wagroviecium.

dioecesanum episcopum, de Caesarea et de Valles... abbatibus committitur, etc.

47. Item, querela abbatis de Bodelo contra abbatissam de [Novo] Bosco, domino Claraevallis committitur, etc.

48. Item, inspectio loci ad quem petit abbas de Sennena [1] transferri suum monasterium, abbati de Fossa nova patri abbati dicti monasterii et abbati Casemare committitur, etc.

49. Item, ad petitionem illustris regis Ierusalem et Siciliae humilem et devotam, concedit Capitulum generale quod per omnes abbatias in Aquensi, Arelatensi et Narbonensi constitutas possit fieri festum de beata Martha, sorore beatae Mariae Magdalenae, solemniter et eius propria historia decantetur.

50. Item, petitio ducis Poloniae qui petit quod locus dictus de Gratia Sanctae Mariae incorporetur Ordini nostro et fiat Ordinis abbatia, dummodo sequenti anno fiat fides Capitulo generali de consensu dioecesani, et quod sit filia Henricaho [2], exauditur.

51. Item, petitio priorissae et conventus Sancti Iusti, quae petunt quod immediate subsint abbati de Sancto Galgano, et si eidem abbati visum fuerit quod fiat abbatia Ordinis, exauditur.

52. Item, petitio abbatis... *(locus vacuus)*, qui petit semel remanere a Capitulo, exauditur.

53. Item, petitio abbatis de Caritate, qui petit dispersionem sui conventus, exauditur.

54. Item, petitio abbatis de Insula in Pictavia, qui petit semel remanere a Capitulo, exauditur.

55. Item, petitio abbatis de Cornu, qui petit quod annus iste computetur pro anno quo venire debebat, exauditur.

56. Item, petitio abbatis de Camberone, qui petit absolvi a susceptione hospitum per triennium, exauditur.

57. Item, petitio abbatum de Castaneola et Ponu [3] et de Riaysse [4] qui petunt semel remanere a Capitulo, exauditur.

58. Item, petitio abbatis de Ripalta in Pede montis, qui petit absolvi a susceptione hospitum per triennium, exauditur.

59. Item, petitio illustris regis Bohemiae, qui petit quod dicatur missa quotidiana in abbatia de Stella, pro sua reverentia exauditur.

---

[1]) Legend. forsan Ferraria. [2]) Heinrichovium. [3]) Cornu (?), Nepomuk (?) [4]) Rievalle.

60. Item, petitio abbatis de Clarocampo, qui petit dispersionem sui conventus, dummodo fiat de consilio patris abbatis, exauditur.

61. Item, petitio abbatis de Rievalle, qui petit dispergi conventum suum per generationem suam, et quod suscipientes absoluti sint a susceptione aliorum hospitum per triennium, exauditur.

62. Item, petitio abbatis de Fontanis in Anglia, qui petit dispersionem conventus sui de patris abbatis consilio, exauditur.

63. Item, petitio abbatis Vallis S. Lamberti, qui petit quod possit vendere census annui redditus, exauditur, ita tamen quod per consilium patris abbatis dicta venditio fiat, et quod viderit expedire totaliter exsequatur.

64. Item, petitio abbatis de Leoncello, qui petit dispersionem conventus sui, si patri abbati visum fuerit, exauditur.

65. Item, petitio abbatis de Busay qui petit dispersionem sui conventus, exauditur.

66. Item, petitio abbatis de Eleemosina, qui petit absolvi a susceptione hospitum exauditur, dummodo conventum suum revocet.

67. Item petitio abbatis de Bono portu per triennium, exauditur.

68. Obtinuit abbas de Alderspach, abbate Zwetlense ignorante, iudices a Capitulo generali Hermannum abbatem de Ebra-[co] et abbatem de Lanchaym [1].

1292

Anno [a] Domini millesimo ducentesimo nonagesimo secundo [b] statuta sunt haec apud Cistercium in Capitulo generali.

1. In [a] primis, cum ad honorem Dei et gloriam Redemptoris

---

68 : *W* ex *Stiftungsbuch von Zwetl*, 338.

1292. [a] *Titulus apud UV.* [b] *A*[1] *add.* : etc. ; *E add.* : statutum est quia non est credendum... *etc. ut infra stat.* 5. — *Nota quod statuta* 4, 5, 7, *infra citata, apud M leguntur tamquam ad annum* 1291 *pertinentia.* **1** : *A*[1]*EVW.* [a] *Brevius apud E* : In primis, cum ad ho. etc. ibi dicitur quod festum s. coron. fiat per tot. Ord. cum 2 missis.

---

[1]) Langhemium.

nostri omne genu [b] humiliter incurvetur ac Redemptoris [c] nostri gratiam omnis lingua debeat [d] confiteri, generale Capitulum ordinat et diffinit quod sicut in abbatiis per regnum Franciae constitutis, sic ubique terrarum per orbem, per Ordinem universum festum [e] de sanctissima corona Domini solemniter cum duabus missis in crastino beati Laurentii celebretur.

2. Item, quoniam gratum est [a] Deo sanctisque eius beneplacitum et acceptum fratres vivere conformiter et psallere sapienter, diffinitionem anno praeterito editam de festo Translationis beati Benedicti abbatis aestatis tempore celebrando, generale Capitulum sic declarat quod in praedicto festo omnis proprietas alterius festivitatis praeter sermonem in capitulo [b] et missam maiorem uniformitas [c] observetur. Lectiones vero poterunt aliquantulum decurtari propter noctium temporis illius brevitatem.

3. Item, ut honor debitus ac reverentia singularis domui Cisterciensi, tamquam matri totius Ordinis, praebeatur, duos articulos novae compilationis diffinitionum Capitulum generale duxit lucide declarandos: quod super cessione [a] honoris propriorum abbatum omnibus abbatibus Ordinis supervenientibus in omnibus abbatiis Ordinis, praeterquam in Cistercio facienda, et super praesentatione abbatum ad Capitulum generale venientium in aliqua de quatuor primis abbatiis remanentium infirmorum, postquam convaluerint domino [b] Cisterciensi personaliter exhibenda, antiqua Ordinis consuetudo inviolabiliter observetur.

4. Item, quia culpae pastoris [a] incumbit si ovem errantem non reduxerit ad statum rectitudinis et salutis, diffinit et ordinat Capitulum generale quod quaecumque persona Ordinis impetraverit litteras, per quas absque proprii abbatis conscientia [b] libere possit sibi eligere confessorem, aut quae tales litteras penes se retinuerit, vel quae usa [c] fuerit impetratis, ipso facto excommunicationis sententiam se noverit incurrisse.

5. Item, quia non est credendum omni spiritui, sed utrum [a] a Deo fuerint diligentius sunt probandi [b], duxit generale Capitulum provide prohibendum ne aliqui familiares de cetero reci-

---

[b] incurvari : *VW*. [c] redemptionis : *VW* [d] fideliter : *VW*. [e] festivitas : *VW*. **2** : *A¹BeT⁵*. [a] sit : *Be*. [b] *deest A¹*. [c] uniformiter : *T⁵*. **3** : *A¹T⁵*. [a] cessione... praesentatione : *deest T⁵*. [b] domui : *A¹*. **4** : *A¹EMT⁵V*. [a] etc. ibi dicitur quod qui impetrat... *E qui breviatum refert textum*. [b] licentia : *T⁵*. [c] usus : *MV*. **5** : *A¹MT⁵UV*. [a] sed verum sunt probandi : *T⁵*. [b] hinc prohibet Cap. gen. ne aliqui : *U*.

piantur in Ordine ad communionem bonorum temporalium, vel ad professionem [c], absque patrum abbatum licentia et assensu.

6. Item, contibutio facienda pro expensis factis et faciendis pro libertatibus Ordinis, domino Cisterciensi et quatuor primis abbatibus committitur auctoritate Capituli generalis, ita quod summam cuilibet a patribus abbatibus impositam, illis de regno Franciae infra mensem Paschae, ubi patres abbates decreverint, solvere teneantur; illi vero qui fuerint extra regnum solvant infra terminum quem et ubi patres abbates illis similiter duxerint assignandum, et qui non solverint terminis assignatis pro depositis habeantur.

7. Item, statuit et ordinat Capitulum generale quod diffinitio de abbatibus de Dania, Suessia [a] et Frisia edita quantum ad generationem [b] domini Cisterciensis in suo robore perseveret, ita quod illi qui per ipsum [c] ad visitandum transmittuntur plenariam habeant potestatem puniendi et corrigendi per depositionem vel alias prout sibi videbitur [d] expedire [e].

8. Item, monachorum factum Vallis Dei prope Leodium, domino Cisterciensi et domino Claraevallensi abbatibus committitur in plenaria Ordinis potestate, hoc etiam adiuncto quod monachos et conversos, tam professos quam non professos, scilicet domnum Iacobum quondam abbatem, et omnes alios qui rebelles et inobedientes fuerunt, per iudicium Capituli generalis sententiae conspiratorum subiacebunt, ita quod nunquam in perpetuum ad actus legitimos admittentur.

9. Item, cum per Cartam caritatis ad supportandum alterutrum onera ob pietatis gratiam invitemur, ordinat Capitulum generale quod dispersio conventus de Dun[is] facta auctoritate Capituli generalis, prout nunc est per triennium adhuc duret, et quod abbates retineant ad se missos.

10. Item, super impugnatione archid[iaconi] Trevirensis, de Castellione, de S. Benedicto [1] et de Claustro [2] abbatibus committitur, ut ad dictum locum accedentes, archidiaconum inducant si potuerint ad ea quae pacis sunt. Quod si cum eo non potuerint pacifice convenire, per conservatores Ordinis vel per

---

[c] pensionem : *T*⁴. **6** : *A*¹. **7** : *A*¹*MW*. [a] Suetia : *M*. [b] cisterciensem : *M*. [c] mittentur habeant : *M*. [d] faciendum : *M*. [e] *apud W statuti sensus, non vero textus.* **8-10** : *A*¹.

---

[1]) in Wavria. [2]) Alias Hemmenrodium.

convocationem et contributionem in Trevirensi provincia, auctoritate Capituli generalis faciendam, in dicto facto faciant quod secundum Deum et Ordinem videbitur faciendum.

11. Abbates de Valle sancti Georgii et de Dobrilug iubentur causam inter abbatem Veteris Cellae et abbatem de Throno Sanctae Mariae de molendino quodam dirimere.

1293

Anno [a] Domini millesimo ducentesimo nonagesimo tertio [b] statuta sunt haec apud Cistercium [c] in Capitulo generali.

1. In primis, quoniam oportet [a] detegere qualitatem vulneris eos qui expectant operam medicantis [b], generale Capitulum duxit provide statuendum quod abbates, visitatoribus monachis associati, statum personarum et rerum abbatiarum quas visitaverint patribus abbatibus voce viva vel [c] sub sigillis suis, fideli conscientia exprimere teneantur.

2. Item, ne post factum [a] contingat [b] operarium poenitere, et quia omne opus stabile debet consilium praevenire, ideo Capitulum generale districtione [c] quanta potest inhibet et defendit personis Ordinis universi quod nullus praesumat permutationes, concessiones seu alienationes possessionum Ordinis facere absque speciali Capituli generalis consilio, licentia et assensu [d].

3. Item, cum excessus multitudinis [a] personarum plerumque confusionem pariat et laborem, et Ordo noster ad praesens multipliciter sit gravatus diversis exactionibus et pressuris, generale Capitulum provide statuit, ordinat et diffinit quod in toto Ordine nostro non fiat de cetero receptio personarum ad habitum vel communionem temporalium quoquomodo [b], absque dicti Capituli licentia speciali. Quicumque vero abbates, abbatissae, vel

11 : *W* ex Beyer, *Kloster Altzelle*, p. 570.

1293. [a] *Titulus apud* A^1UV. [b] *E add.* : etc. [c] tempore Cap. gen.: *V*.
1 : A^1EMT^5U. [a] etc. ibi dicitur quod abbates et monachi... : *E*. [b] super ea : T^5. [c] per litteras : *E*. **2** : A^1EMT^5UV. [a] etc. ibi dicitur quod vel prohibentur permut. nisi de lic. Cap. gen. : *E*. [b] oporteat : A^1. [c] districtius quantum : T^5; districtissime : *U*. [d] *deest VU*. **3** : A^1BeEMT^5. [a] ibi prohibetur receptio pers. ad habitationem et ad bona temp. absque lic. Cap. gen. ; contrafacientes sint in p. et a. usque ad Cap. gen. : *E*. [b] *hic desin. M*.

conventus contravenerint, omni sexta feria ieiunare teneantur in pane et aqua usque ad sequens generale Capitulum.

4. Item, de fratre Nicolao de Fossa nova qui vocatus de infamia contumax et rebellis accedere praesumpsit ad generale Capitulum, contra abbatis proprii voluntatem prosecuturus ibidem causam electionis suae contra Ordinis instituta, praecipit idem Capitulum ut in continenti pedes ad portam sui monasterii revertatur, recipiendus ibidem tamquam Ordinis fugitivus, et quod tribus diebus continuis faciat gravem culpam et nihilominus ineligibilis penitus habeatur.

5. Item, fratri Eligio, quondam abbati Mansiadae, concedit generale Capitulum quod eligibilis habeatur.

6. Item, super querelis abbatis Grandis sylvae contra abbatem de Sanctis Crucibus, et abbatis Fontis frigidi contra abbates de Populeto, de Petra, de Benifaza[no] et de Regali Maioricarum, abbati de Bella pertica committitur auctoritate Capituli generalis, ut per censuram Ordinis compellat eos solvere dictis patribus summas pecuniae de mandato Capituli generalis olim eis impositas, locis et temporibus opportunis, prout viderit utilius et securius convenire.

7. Item, negotium abbatissae et monialium de Hanonen [1] filiarum abbatis Salvan[es]ii, generale Capitulum domino Cisterciensi duxit plenarie committendum, ut per se vel per alium visitet dictum locum, ordinet, corrigat et reformet tam in capite quam in membris, prout iudicaverit faciendum.

8. Item, fratri Arnaldo quondam abbati Vallis (de) Bona[e], fratri Ph. quondam abbati de Dublinia et fratri Nicolao de Gauardo quondam abbati, Capitulum generale concedit quod eligibiles habeantur.

9. Item, sententiam depositionis latam contra fratrem quondam abbatem de Brondelo et electionem ibi factam de fratre Petro Fontis vivi, generale Capitulum approbat et confirmat. De monachis autem dictae domus, scilicet fratre Aldirone olim priore, Iacobo dicto Lotario, qui tam patris praeceptis quam proprii abbatis inobedientes et rebelles pertinaciter extiterunt, multas eisdem molestias et graves iniurias procaciter irrogando,

---

4-21 : *A*[1].

---

[1]) Nonenqua (?).

et de fratre Floreio converso dictae domus, qui praeter mala praedicta venire praesumpsit ad Capitulum generale, auctoritate propria, idem Capitulum ordinat et diffinit quod sub poena conspiratorum ad domos remotas Ordinis emittantur, numquam inde nisi de licentia Capituli ad domum propriam reversuri. Alii autem culpabiles ad nutum patris abbatis iuxta sua demerita puniantur.

10. Item, negotium abbatis Sancti Bernardi in Frisia, qui abbatem de Scola Dei filium suum compulit ad cedendum, et visitatorem Claraevallis permisit per suam negligentiam spoliari, domino Claraevallis abbati committitur quod, per se vel per alium, corrigat et ordinet quidquid secundum Deum et Ordinem iudicaverit ordinandum.

11. Item, fratri Ioanni de Busco, monacho de Tilieto, praecipit Capitulum generale quod dimissa grangia dictae domus in statu pristino quam detinet violenter, abbati suo obediat prout debet, quod nisi fecerit infra octo dies postquam admonitus fuerit, quam admonitionem idem Capitulum praecipit fieri per abbatem S. Andreae prope Ianuam infra instans festum Omnium Sanctorum, ex tunc excommunicetur omnibus dominicis diebus et festivis per omnes abbatias provinciarum Ianuensis et Mediolanensis, et nihilominus si capi possit carceri mancipetur.

12. Item, fratri Marco, monacho Tilieti, qui episcopatum sine licentia abbatis proprii et licentia Ordinis acceptavit, et cum fratre Ioanne de Bosco monacho dicti loci detinet violenter quamdam grangiam, generale Capitulum statuit et diffinit quod numquam in monasterium nostri Ordinis monachorum vel monialium recipiatur, sed ab omni consortio et participio praedicti Ordinis sit exclusus.

13. Item, factum monialium de Ottoburuk [1] domino Cisterciensi abbati committitur in plenaria Ordinis potestate ut, per se vel per alium, ordinet et disponat prout sibi viderit expedire.

14. Item, contributionem faciendam ad relevandam abbatiarum de [H]erivado et de Vitae scola, quae combustae fuerunt, intolerabilem paupertatem, de Alvastro et de (Longa) [Nova] valle abbatibus committit Capitulum generale ut vicinos abbates inducant, et si necesse fuerit, compellant ab subveniendum prae-

---

[1]) Ottbergen, alias Brenkhausen.

dictis abbatiis, pro suarum modulo facultatum, ita quod per eos praedictorum contribuentium domus nimium non graventur.

15. Item, dispersio monialium de Sancto Antonio prope Parisios domino Cisterciensi committitur, ut inde, per se vel per alium, faciat prout melius iudicaverit opportunum.

16. Item, de priore et cellerario Loci Sanctae Mariae qui abbatem de Wolcoluode [1] ad abbatiam eorum declinantem recipere noluerunt, sed clausis ianuis ipsum extra portam pernoctare n maximum sui corporis et rerum suarum periculum compulerunt, statuit et diffinit Capitulum generale quod tribus diebus continuis uno eorum in pane et aqua, in domo propria faciant levem culpam.

17. Item, inquisitio et correctio fratris Petri de Dublinia, de quo erat suspicio quod furatus fuerat res cuiusdam abbatis in Divione, domino Claraevallensi committitur ut, per se vel per alium, inquirat et puniat prout sibi videbitur expedire.

18. Item, diffinitio anno praeterito facta super contributione facienda pro negotio Bo[l]bonae contra episcopum Tolosanum servetur, ita quod tres primi provinciarum [Na](e)rbonensis et A[u]xitanensis abbates contribuant et contributionem faciant, et alios compellant auctoritate Capituli generalis ad solvendum.

19. Item, fratri Michaeli, monacho de Regali Maioricarum, qui recessit a monasterio suo absque licentia proprii abbatis, animo dispensationis obtinendae, libros et aliquam pecuniam pro expensis secum portans, indulget totaliter Capitulum generale, ita quod ad culpam vel poenam non possit ei amplius imputari.

20. Item, factum abbatissae Vallis Beatae Mariae prope Hoyum domino Cisterciensi committitur in plenitudine potestatis, ut per se vel per alium puniat, ordinet et reformet, prout videbitur opportunum.

21. Item, pro bono pacis et concordiae reformandae inter Ordinem nostrum et abbatissam et moniales monasterii de Stunemunstre, generale Capitulum incorporat Ordini nostro si nondum incorporata fuerit dictarum monialium abbatia, filiationem autem eius confert in abbatem Claraevallis.

22. Item, quoniam naturae necessitas importuna sicut res-

---

22 : *A*¹*VW*.

---

[1]) Volkeroda.

puere superflua sic supplere compellit [a] diminuta, indulget Capitulum generale personis Ordinis universi quod in ieiuniis quatuor temporum mensis septembris et in Adventu Domini uti possint lacticiniis, ubi tamen necessitas intervenerit et prout cuiuslibet abbatis discretio duxerit dispensandum.

23. Item, ne ex defectu [a] decoris iustitiae culpae dedecus inveniat incentivum, generale Capitulum ordinat et diffinit de illis qui in personas Ordinis graviter percutiendo manus iniecerint temere violentas, quod secundum abbatum suorum iudicium carceri mancipentur. Officiales vero talium defensores vel fautores [b] ab officiis suis deponantur, et ex tunc tam illi quam alii omnes huiusmodi percussores in Ordine nullum officium exsequantur.

24. Item, ut [a] omnis occasio diversitatis ab unitate nostri Ordinis excludatur, diffinitionem olim ultimo editam, sic declarat Capitulum generale quod de cetero fiant rasurae de quindena in quindenam per Ordinem universum [b], ita quod prima incipiat feria sexta vel sabbato ante festum beati Mathei proximo subsequens [c].

25. Item, auctoritate Capituli generalis inhibetur illis abbatibus ad quos missi sunt conspiratores monasterii Sylvae canae ne illos ad domum propriam audeant remittere infra annum, sed per proprium abbatem seu patrem abbatem si illum abesse contigerit tempore Capituli generalis, ad quas domos mitti debeant ordinetur.

26. Item, punitionem, correctionem et ordinationem factam in monasterio Vallis Dei per dominum Cisterciensem approbat, confirmat et ratificat Capitulum generale.

27. Item, cum generale Capitulum perceperit fide digna, quod quidam iniquitatis filius Ioannes Martinus, monachus Vallis magnae, pro multis suis criminibus exhorrendis iuste privatus habitu regulari atque carceri mancipatus, confracto carcere fugiens discurrit in animae suae periculum per saeculum vagabundus, et ad cumulum malitiae machinat in abbatem proprium, virum vitae venerabilis atque etiam clarae famae, et in alios Ordinis bonos viros falsa crimina nititur retorquere, libellos

---

[a] compellimur in minuta : A^1. **23** : A^1EMT^5UV. [a] etc. ibi dicitur quod percussores in Ord. incarcer. et nullum offic. in perp. exsequantur : *E*. [b] factores : T^5. **24** : A^1EMT^5VW. [a] rasurae fiant de quind. in quind. per Ord. univ. : *E*. [b] *hic desin. M.* [c] subsequente : T^5VW. **25-29** : A^1.

infamiae nefarie conscribendo, ac per ecclesiarum altaria et alia loca publica ausu sacrilego discurrendo ; idcirco volens idem Capitulum tot et tantis malitiis obviare, quanta potest auctoritate districte praecipit abbatibus et officialibus Ordinis universi quod, tam apostata praedictus et blasphemus quam omnes alii Ordinis fugitivi, qui sunt vel fuerint huic in crimine consimiles vel consortes, ubicumque inveniri poterunt, capiantur et perpetuo carceri mancipentur, invocato ad hoc, si necesse fuerit, brachio saeculari, et nihilominus dictus monachus Vallis magnae excommunicatus publice nuntietur diebus dominicis et festivis in abbatiis provinciae Narbonensis.

28. Item, compositionem et ordinationem factam per abbatem de Buxeria inter abbatissas Vallis Benedictae et Ru(l)[r]emonde, generale Capitulum approbat et confirmat.

29. Item, abbati de Alna praecipit Capitulum generale ut infra festum Omnium Sanctorum monachum suum in abbatia de Regali monte carceri mancipatum, ad domum propriam revocet, ipsum in domo propria puniendo, ac expensas factas et faciendas pro ipso dicto abbati refundere teneatur.

30. Item, inhibetur [a] abbatibus Ordinis universi ne eundo vel redeundo ad Capitulum generale hospitandi divertant ad aliquas Ordinis moniales [b].

31. Petitio abbatis de Bruer[n]ia, qui petit dispersionem sui conventus per regnum Angliae, de patris abbatis licentia, exauditur.

32. Item, petitio abbatum de Insula Dei et Dalone, qui petunt absolvi a susceptione hospitum per triennium, exauditur.

33. Item, petitio abbatis Sancti Mauritii, qui petit absolvi a susceptione hospitum per triennium, exauditur.

34. Item, petitio abbatum de Alemannia qui petunt fieri festum beatae Elisabeth, saltem in generatione de Eurebach [1], dummodo conventus eorum consentiant, exauditur.

35. Item, petitio abbatis de Ripalta, qui petit semel remanere de Capitulo generali, exauditur.

36. Item, fratri Arnuldo, quondam abbati Vallis Dei, conceditur ex gratia ut eligibilis habeatur.

---

30 : *A¹BeT⁵VW*. [a] omnibus personis : *Be*. [b] ullo modo : *VW*. **31-37** : *A¹*.

---

[1]) Eberbacum.

37. Item, abbatibus de Hybernia conceditur ut quinto anno veniant ad Capitulum generale.

1294

Anno [a] Domini millesimo ducentesimo nonagesimo quarto [b] statuta [c] sunt haec apud Cistercium in Capitulo generali.

1. In primis [a], cum Beata Dei Genitrix Maria Virgo perpetua velut templum Dei, sacrarium Spiritus Sancti, ab Ordine nostro cuius praerogativa singulari vel speciali mater est, domina et magistra suae merito excellentissimae dignitatis, dignis laudibus ac devotis obsequiis debet per amplius et perfectius honorari, generale [b] Capitulum duxit provide statuendum quod octavae Purificationis eiusdem Virginis de cetero fiant per Ordinem universum ita tamen quod de proprietate illius festi antiphonae, versiculi, parva [c] responsoria, capitula et collectae dicantur ea forma quae de Nativitate eiusdem Virginis consuevit [d], excepto quod ad vigilias privatis diebus invitatorium dicetur *Ave Maria* sicut per octavam Pentecostes decantandum [e], et illae tres consuetae lectiones de sermone beati Augustini, *O Beata Maria, Admitte piissima, Sancta Maria,* per omnes octavas quotidie repetantur, cum tribus responsoriis de proprietate festi per ordinem assumendis. Et ad sextam, capitulum *Ecce virgo concipiet* quotidie per octavas. Dominica vero infra octavam et in die octava fiet per omnia de proprietate dicti festi sicut in Nativitate ipsius, diversis tamen lectionibus inter ipsam dominicam et octavas. Si vero dominica in Septuagesima vel Quinquagesima ipso die festo evenerit, octavae de Beata Virgine tunc non fient, sed tantum die octavo una missa dicetur scilicet matutinalis, et commemoratio ad utrasque vesperas et ad laudes.

2. Item, quoniam Deus magnus Dominus in sanctis suis gloriosus et mirabilis praedicatur, generale Capitulum ordinat et diffinit quod de beatis [f] sanctis patribus nostris Edmundo Cantuariensi et Willelmo [g] Bituricensi, et Petro Tarentasiensi archi-

---

1294. [a] *Titulus apud* T^5UVW. [b] etc. : A^1E. [c] diffinita : *UW*.
1-2 : A^1EMT^5. [a] *apud E brevissima formula pro stat.* 1 et 2 : statuitur festum octavae Purificat., Petri, Guillermi, Edmundi. [b] *hic incip. V.*
[c] prima : T^5. [d] sed revocatum est : *V qui sic desin.* [e] decantatur : T^5.
[f] nobilissimis : T^5. [g] Guillelmo : T^5.

episcopis et confessoribus, qui totum Ordinem nostrum sacrosanctis reliquis, praeclaris meritis, miraculis et exemplis magnificant et decorant, cantetur cum duabus missis eorum historia propria per Ordinem universum.

3. Item, ut ab Ordine puritatis omnis et inhonestatis species ac sinistra opinionis occasio auferatur, statuit et ordinat Capitulum generale quod illa diffinitio, olim edita et in Ordine diutius observata, de non comedendo cum monialibus ad eamdem mensam observetur totaliter, quae est talis : Districtissime inhibetur a Capitulo generali omnibus abbatibus et personis Ordinis universi ne de cetero, in hospitiis monialium et alibi in domibus Ordinis, in villis vel extra, cum illis comedere in eadem mensa praesumant, alioquin si abbates fuerint, omni sexta feria sint in pane et aqua usque ad sequens Capitulum generale in ipso Capitulo super hoc veniam petituri. Monachi vero vel conversi ultimi omnium et in pane et aqua omni sexta feria sint per annum.

4. Item, cum sit iniustitia manifesta [a] rem alienam invito domino detinere, de abbatibus et abbatissis cedentibus aut depositis qui bona mobilia ad abbatias ad quas se transferunt secum portant, generale Capitulum ordinat et diffinit quod diffinitio super hoc olim edita penitus observetur, transgressores tamquam convincti proprietarii poena talibus debita puniantur [b].

5. Item, ne facilitas veniae [a] incentivum tribuat delinquendi, de fugitivis qui nunc sunt extra Ordinem, ac de his qui de cetero exierint ab Ordine et in apostasia celebraverint diabolo instigante, generale Capitulum ordinat et diffinit quod nisi post reditum suo in claustro per triennium laudabiliter fuerint conversati, dispensationis beneficium nullatenus assequantur [b].

6. Item, quoniam ex gulae illecebris cuncta pene vitia oriuntur, propter [a] quam etiam protoplastus perdidit paradisum, generale Capitulum praecipit personis Ordinis universi, ut ab illis qui tenentur ex consuetudine Ordinis approbata ieiunia regularia firmiter observentur nisi evidens necessitas aut gravis infirmitas aliquem duxerit excusandum ; transgressores pro qualibet vice ieiunium panis et aquae uno die facere teneantur.

7. Item, quia omnis notabilis curiositas paupertatem Ordinis

---

3 : *A¹MV.* **4** : *A¹EMT⁵V.* [a] ibi dicitur quod abbates et abb... : *E et reliq. breviter.* [b] infligatur : *V.* **5** : *A¹EMT⁵UV.* [a] ibi dicitur quod fugit. Ord. : *E et reliq. breviter.* [b] consequantur *M.* **6** : *A¹MT⁵V.* [a] gulam et : *T⁵.* **7** : *A¹Be.*

dehonestat, generale Capitulum prohibet et defendit quod nullus abbas equum ad equitandum ultra valorem triginta librarum turonensium, monachus vel conversus ultra summam viginti librarum turonensium emat, seu emi faciat quoquo modo. Nec aliqua persona Ordinis vasa argentea vel aurea portare audeat vel habere, exceptis solis abbatibus quibus conceditur [a] ciphos sine pedibus cum coclearibus argenteis tantummodo deportare; transgressores vero poenam sustineant alias in diffinitionibus constitutam.

8. Item, diffinitio anno praeterito edita de lacticiniis comedendis in ieiuniis quatuor temporum in septembri et in Adventu Domini, totaliter revocatur.

9. Item, quoniam regnum Dei non est esca et potus, sed pax et gaudium in Spiritu Sancto, quanta potest auctoritate Capitulum generale inhibet et defendit ne aliqua persona Ordinis piscem unum valorem decem solidorum turonensium excedentem emat vel emi permittat, ad usum personae Ordinis nostri cuiuscumque. Nulla insuper persona Ordinis, monachus, abbas vel conversus abbatissa seu monialis praesumat notabiles aut curiosas vestes nimis longas vel superfluas deportare. Nec abbates vel monachi quocumque genere pellium uti audeant vel praesumant, ut alias extitit diffinitum; abbates transgressores veniam petant in Capitulo generali, et monachi in visitationibus ad visitatoris arbitrium graviter puniantur [a].

10. Item, super facto subventionis faciendae per abbates de Dania commissio anno praeterito facta per generale Capitulum in suo robore perseveret, ita quod adhuc inducantur ad subveniendum; et quid inde fecerint inductores, anno sequenti renuntiare Capitulo generali teneantur.

11. Item, super contributione facienda super negotio Borbonae contra episcopum Tolosanum, illis tribus abbatibus maioribus qui anno praeterito contributionem facere inceperunt, iterum committit Capitulum generale quod illos abbates provinciarum, Narbonensis et Auxitanensis, qui contribuere renuerunt, per censuram Ordinis compellant ad contribuendum, aequitate rationis in omnibus observata.

---

[a] conceduntur cippi : *Be*. **8** : A^1VW. **9** : A^1BeQ^2. [a] puniendi : *Be*
10-23 : A^1.

12. Item, super negotio monialium Elnonen [1], tribus maioribus abbatibus Bituricensis [dioecesis] committit Capitulum generale quod contribuant et ad contribuendum provinciales suos compellant per censuram Ordinis, tam pro factis quam pro faciendis expensis, certo termino super huiusmodi assignando. Executio vero dicti negotii domino Cisterciensi abbati committitur ut, per se vel per alium, faciat in plenaria Ordinis potestate, prout sibi videbitur faciendum.

13. Item, abbati de C[h]arone qui non venit ad Capitulum nec se, ut debuit, excusavit, praecipit Capitulum generale ut sequenti anno generali Capitulo personaliter se praesentet, super remoratione sua prout debuerat responsurus.

14. Item, inspectio loci... bonam, ubi dominus rex Portugalliae fieri petit studium Ordinis nostri, de Salceda et de Sancto Ioanne de Teraca abbatibus committitur ut diligenter inspiciant, et dicti regis petitionem efficaciter compleant, si commode fieri poterit et honeste.

15. Item, negotium abbatiae Vallis Dei, de Asbrone [2] et de Brolukbae [3] abbatibus committitur ut ad dominum regem Romanorum cum litteris Capituli generalis personaliter accedant, super agendis primo ab ipso Capitulo plenius informati.

16. Item, incorporatio loci quem fundavit Parkanensis [4] episcopus de Ebra[co] et de [Veteri] Cella abbatibus committitur, ut personaliter accedant et faciant quod secundum Deum et Ordinem viderint expedire, et quid inde fecerint, sequenti anno Capitulo generali nuntiare teneantur.

17. Item, inspectio Sancti Godardi extra muros Hilden de quo dominus Hilde(n)[shemensis] episcopus petit quod convertatur in nostri Ordinis abbatiam, de Calcarade [5] et de Lapide Sancti Michaelis abbatibus committitur, et quid inde fecerint, etc.

18. Item, negotium ac reformatio abbatiae Cari loci domino Claraevallis patri abbati committitur in plenaria Ordinis potestate, ut per ipsum vel per alium corrigat, ordinet et reformet quod secundum Deum et Ordinem viderit reformandum.

19. Item, litteras quas tradidit abbas de Bonnevelde [6], Go-

---

[1]) Nonenqua (?) [2]) Sive Arnsburg (castrum Aquilae), sive Heilsbronn (Fons salutis). [3]) Bredelar (?). [4]) Bambergensis. [5] Volkenrode. [6]) Bona valle.

defrido et Ioanni monachis dicti loci, generale Capitulum iudicat omnino irritas et inanes.

20. Item, inspectio loci in quo cantor Lonigen. intendit fundare de novo nostri Ordinis abbatiam, de Bethania et de Aurora abbatibus committitur, ut ad locum personaliter accedant, et si visum fuerit eis expedire incorporent et conventum introducant, et sit filia abbatiae Sancti Urbani, et quid inde fecerint, etc.

21. Item, abbati et conventui S. Salvatoris de Monte amiato generale Capitulum districtissime inhibet et defendit ne castra sua, videlicet Montem latronum, Montem Biolum et Montem nigrum audeant vendere, distrahere, alienare, supponere, seu sub quacumque forma vel pacto extra manum suam ponere, absque Capituli generalis vel domini Cisterciensis patris abbatis speciali licentia et assensu.

22. Item, concedit generale Capitulum domino Claraevallis abbati et committit quod, hac vice, in abbatia de Top[l]ica in Hungaria provideat de abbate.

23. Item, auctoritate Capituli generalis praecipitur Margaretae de Monte Sancti Ioannis, professae in monasterio de Marcelleia, et Iulietae de Pietate prope Ramerucum quae, Dei timore postposito et salutis suae immemores, de facto nupserunt, ac ceteris Ordinis monialibus consimilibus, quod infra festum instans Omnium Sanctorum ad sua monasteria et ad Ordinis obedientiam revertantur, alioquin per omnes abbatias monachorum et monialium ad quorum notitiam excessus earum pervenerit, omnibus diebus [dominicis et festis] ex tunc excommunicatae denuntientur in capitulis auctoritate Capituli generalis.

24. Item, de fratre Martino monacho de Thuda [a] [1] fugitivo generale Capitulum ordinat et diffinit quod, per abbates Ordinis, tam ille quam alii fugitivi capiantur, et per provincias ubi fuerint excommunicentur, prout alias in Ordine fuit diffinitum.

25. Item, negotium abbatiae de Insula Dei, patri abbati de Busaio committitur quod, per dispersionem aut permutationem, ordinet et disponat prout secundum Deum et Ordinem viderit disponendum.

26. Item, de fratre Vivando [Nivardo] monacho de Evrebach [2]

---

24 : *A*¹*Q*². [a] Truda : *Q*². **25-80** : *A*¹.

---

[1]) Thosa. [2]) Eberbacum.

qui falsum suae ecclesiae sigillum portat per saeculum evagando, statuit Capitulum generale quod excommunicatus nuntietur singulis diebus dominicis, per provinciam Maguntinam, et si possit fieri capiatur et carceri mancipetur, invocato ad hoc, si necesse fuerit, auxilio brachii saecularis.

27. Item, statuit et ordinat Capitulum generale quod frater... monachus Sancti Galgani procurator monialium Sanctae [Julianae] prope Perusiam, et curatus ecclesiae Sancti Florentii in Perusia, monachus Montis acuti [1], qui minus sufficienter nonnum Iacobum domini Papae paenitentiarium receperunt, ad propria revocentur, et nullus de cetero officium exsequatur nisi de licentia Capituli generalis.

28. Item, monialibus de Brotonbroch [2] prope Coloniam, quae abbatissam suam iniuste et contra formam Ordinis expulerunt, praecipit Capitulum generale ut dictam abbatissam recipiant et eidem obediant humiliter et devote, alioquin ipsas excommunicat idem Capitulum generale, et omnes eisdem adhaerentes. Punitionem autem et correctionem ipsarum domino Cisterciensi per se vel per alium committit generale Capitulum, prout sibi videbitur expedire. Hoc eisdem de Veteri Monte et de [Veteri] Campo abbates denuntient.

29. Item, auctoritate Capituli generalis inhibetur ne, in abbatia monialium de Vastuisen [3], deputata ad faciendam abbatiam monachorum, recipiantur de cetero moniales.

30. Item, cum per liberalitatem bonae memoriae domini Th[eobaldi] quondam abbatis Cisterciensis, multa summa pecuniae mutuo tradita sit diversis abbatibus et personis, omnibus nostri Ordinis personis, abbatissis et monialibus quae domui Cisterciensi vel Ordini tenentur ratione subventionis, contributionis vel mutui, praecipit Capitulum generale quod infra Pascha satisfaciant de pecunia qua tenentur, alioquin ex tunc abbates, abbatissae, priores, cellerarii et bursarii pro depositis habeantur, et cum hoc sententiam excommunicationis se noverint incurrisse, et nihilominus ad usuras super ipsos pecunia contrahetur.

31. Item, querela abbatis de Scarpio contra abbatem de Sanctis Crucibus, de Populeto et de Fonte claro [4] abbatibus committitur pace vel iudicio terminanda.

---

[1]) S. Salvator de Monte acuto. [2]) Bottenbrochium. [3]) Vastina.
[4]) Alias S. Fides.

32. Item, querela abbatis de Insula Pontiana contra abbatem de Senona [1] super insula de Venturela, de Casamario et de Canonica abbatibus committitur, pace vel iudicio terminanda.

33. Item, querela abbatis Beatae Mariae contra abbatem de Mortuo mari, de Regali monte et de Frigido monte abbatibus committitur, pace vel iudicio terminanda.

34. Item, querela abbatissae de Valle baonis contra abbatem de Longo vado, domino Cisterciensi et domino Claraevallensi abbatibus committitur, pace vel iudicio terminanda, et quid inde fecerint, etc.

35. Item, negotium abbatiae Populeti super distractione bonorum immobilium prioratus Sancti Vincentii, quem dictum monasterium acquisivit usque ad summam quingentarum librarum annui redditus monetae currentis in patria, per terminum viginti annorum tantummodo, de Fonte frigido et de Sanctis Crucibus abbatibus committitur auctoritate Capituli generalis, ut de bonorum consilio et cum idonea cautione, super hoc faciant quod sibi videbitur faciendum, et quid inde fecerint, etc

36. Item, super translatione abbatiae Fontis clari [2], de Populeto et de Scarpio abbatibus committitur, ut videant et inquirant diligenter de hac re quae fuerint inquirenda, et quid inde fecerint, etc

37. Item, negotium abbatiae de Brondolo, de Sancto Thoma et de [S. Salvatore de] Septimo prope Florentiam abbatibus committitur, ut super gravaminibus et excessibus illatis per abbatem de Columba, et de sententiis per ipsum latis, et super electione abbatis dicti loci, quae ab aliquibus dicitur vitiata, et quibusdam aliis contingentibus, inquirant diligenter veritatem, et in plenaria Ordinis potestate super hoc faciant quod secundum Deum et Ordinem viderint expedire, et ibi visitent isto anno.

38. Item, factum abbatiae de [S. Georgio de] Iubino, domino Firmitatensi committitur in plenaria Ordinis potestate, ut per se vel per alium super hoc faciat quod sibi videbitur expedire.

39. Item, super negotio abbatiarum de Cat(h)alonia et Arragonia, quae decimam sibi a patribus impositam solvere noluerunt, patribus abbatibus eorum praecipit Capitulum generale ut ad solvendam dictam decimam compellant suos filios infra Pascha,

---

[1]) S. Spiritus de Semprone. [2]) Alias S. Fides.

alioquin tam patres, si negligentes extiterint, et filii nisi infra dictum terminum solverint, ex tunc pro depositis habeantur.

40. Item, translatio filiationis monialium de Besear [1] spectantis ad domum de Lucella, abbati Bellae vallis committitur in plenaria Ordinis potestate, ut super hoc, etc.

41. Item, super discordia quae vertitur inter abbates de Gratia Dei in Pictavia, de Sancto Leonardo et abbates ceteros pro mariscis, ordinat Capitulum generale quod abbates iudices alias a dicto Capitulo super hoc deputati, visis instrumentis et auditis rationibus hinc et inde, iterum procedant in dicto negotio, secundum formam alias sibi traditam a Capitulo memorato.

42. Item, super electione facta in abbatia de Alneto et verbis blasphemis ab abbate Sancti Andreae in dicta electione prolatis, domino Claraevallensi et abbati de Noa committitur, ut inquirant per se vel per alios veritatem, et faciant quod secundum Deum et Ordinem viderint expedire, et quid inde fecerint, etc

43. Item, factum abbatiarum de Stanchia et de Recta valle, de Vallibus in Ornois et de Claro loco abbatibus committitur, ut ad episcopum Tullensem et ad archidiaconum dicti loci accedant ex parte Capituli, et super hoc faciant quod sibi secundum Deum et Ordinem videbitur expedire.

44. Item, super quibusdam personis ad Curiam romanam destinandis pro privilegiis et libertatibus Ordinis defendendis, domino Cisterciensi et quatuor primis abbatibus committitur distributio facienda ut taxent, et super hoc faciant quod secundum Deum et suas conscientias viderint expedire in plenaria Ordinis potestate.

45. Item, petitio Fulconis de Monte Marcelli, et Ioannae matris eius, qui petunt missam quotidianam in abbatia de Brolione [2], exauditur, si tamen de conventus processerit voluntate.

46. Item, petitio Gerardi de Eruillo qui petit missam quotidianam in abbatia de Bullione, exauditur.

47. Item, petitio abbatis de Boch [3] qui petit suum conventum dispergere, si patri abbati visum fuerit per triennium, exauditur, ita quod qui mittendi sunt extra Alemanniam non mittantur.

48. Item, petitio abbatis de Be(y)gart qui petit absolvi a susceptione hospitum per triennium, exauditur.

---

[1]) Batten[tum] (?) [2]) Agitur fors. de Bullione, non de Brolio. [3]) Sive Buch (Vallis S. Aegidii), sive Bucovia.

49. Item, petitio abbatum de Sancto Anastasio, de Populeto et de Ferraria, qui petunt semel remanere a Capitulo, exauditur.

50. Item, petitio abbatis Fontis frigidi, qui petit absolvi a susceptione hospitum per quinquennium, exauditur.

51. Item, petitio abbatis Fontis Ioannis, qui petit absolvi a susceptione hospitum per triennium, exauditur.

52. Item, petitio P. cardinalis, qui petit anniversarium pro ipso post mortem fieri per universum Ordinem, exauditur.

53. Item, petitio abbatis de Noa, qui petit dispersionem sui conventus, dummodo de consilio domini Pontigniacensis patris abbatis fiat, exauditur.

54. Item, petitio abbatis de Schola Dei, qui petit semel remanere a Capitulo, exauditur.

55. Item, petitio abbatis Vallis Sarnaii, qui petit fieri festum sancti Machuti in domo propria, exauditur.

56. Item, petitio abbatis de Erdocsa [1], qui petit dispersionem sui conventus per Alemanniam per triennium exauditur, et semel remanere a Capitulo.

57. Item, petitio abbatis de Sancto Petro in Gomaris, qui petit unam missam annuatim pro quadam matrona defuncta, si tamen conventus suus consenserit, exauditur.

58. Item, petitio abbatum de Cella principis, de Ordelpac [2] et de Rai[tenhaselac], qui petunt fieri commemorationem de sancto Gothardo in suis monasteriis, exauditur.

59. Item, petitio abbatis de Valcana, qui petit semel remanere a Capitulo, exauditur.

60. Item, petitio abbatis de Sylva regali, qui petit absolvi a susceptione hospitum per triennium, et semel remanere a Capitulo, exauditur.

61. Item, petitio abbatis de [S. Salvatore de] Septimo, qui petit semel remanere a Capitulo, exauditur.

62. Item, petitio abbatum de Stamedio et de Castellariis, qui petunt absolvi a susceptione hospitum per triennium, exauditur.

63. Item, petitio domicellae Margaretae de la Cellebor, quae petit fieri festum de sacramento altaris in abbatia monasterii Clarifontis, si conventus consenserit, exauditur.

64. Item, petitio episcopi de Ulisbone qui petit anniversarium

---

1) Erdusa (Hardenhusium), vel Bildhusa (?). 2) Alderspac.

suum fieri in abbatia de Accubatia, exauditur, si de conventus processerit voluntate.

65. Item, petitio domini Enblardi, qui petit missam quotidianam in abbatia de Alta cumba, si conventus consenserit, exauditur.

66. Item, petitio abbatis de Dunis qui petit absolvi a susceptione hospitum, dummodo conventum revocet, per quinquennium, exauditur.

67. Item, petitio domini Constantiensis episcopi qui petit fieri festum sancti Conradi in abbatiis in sua dioecesi, si abbates et conventus consenserint, exauditur.

68. Item, petitio abbatis Sancti Anastasii, qui petit fieri festum sancti Anastasii cum beato Mutentio in sua generatione, exauditur.

69. Item, petitio magistri N. de domo Maugis, qui petit unam missam quotidianam post decessum suum in abbatia de Trap[p]a, si conventus consenserit, exauditur.

70. Item, petitio abbatis de Relde [1], qui petit semel remanere de Capitulo, exauditur.

71. Item, petitio Grilb. de Fonte Guillelmi, qui petit duas missas quotidianas in abbatiis de Buseio et de Villa nova exauditur, si conventus consenserint.

72. Item, petitio abbatum de Armera [2] et de Armentaria, qui petunt remanere de Capitulo, exauditur.

73. Item, petitio abbatis de Scarpio, qui petit remanere de Capitulo, exauditur.

74. Item, petitio ducissae Austriae, quae petit fieri anniversarium suum in abbatia de Sancta Cruce, exauditur.

75. Item, petitio domini regis Bohemiae, qui petit plenarium servitium post mortem suam per universum Ordinem, exauditur.

76. Item, petitio domini Petri de Chambli et Roberti de Pontisara, qui petunt duas missas quotidianas in abbatia Vallis Beatae Mariae prope Parisius, [exauditur].

77. Item, petitio abbatum de Darsino [3] et de Bodelo, qui petunt absolvi a susceptione hospitum per triennium, exauditur.

78. Item, petitio domini Digonis de Terengulo, qui petit missam quotidianam in abbatia Vallis lucentis, exauditur.

79. Item, abbatissa Vallis Beatae Mariae prope Hoyum, quae

---

[1]) Relec, i. e. Reliquiae. [2]) Meyra. [3]) Dagunio.

est insufficiens in regimine abbatiae et pluries inobediens Ordini extitit et rebellis, deponitur in instanti. Quae si obedire noluerit, ipsam excommunicat Capitulum generale, et omnes eidem adhaerentes ; quod eidem abbas de Valle Sancti Lamberti denuntiet, et auctoritate domini Cisterciensis ibi visitet et ibidem abbatissam faciat, ista vice.

80. Item, abbatissam Ernonen [1], cum omnibus complicibus suis monialibus et conversis, quae patri abbati inobedientes extiterunt et rebelles indurato animo, auctoritate Capituli generalis, per omnes abbatias monachorum et monialium Ordinis provinciarum Bituricensis et Narbonensis, omnibus diebus dominicis excommunicatae denuntientur, et nihilominus abbatissa praedicta, priorissa et etiam suppriorissa a suis officiis deponantur in instanti ; domino autem Cisterciensi committitur hac vice quod ibidem de abbatissa provideat auctoritate Capituli generalis.

81. De abbatibus per domos aut loca Ordinis transeuntibus, ut non gravent domos, per quas transierint nec morentur ibidem nisi per diem et duas noctes sine prioris vel locum eius tenentis licentia et assensu.

82. Item, consulit Capitulum generale quod monasteria monialium minora coniungi possint et uniri, sed tamen de patrum abbatum assensu hoc fiat et consilio fundatorum. Moniales vero, quae contrariae fuerint et rebelles, a patribus abbatibus per Ordinis censuram coerceantur.

83. Item, Capitulum ordinat ac diffinit quod abbatissae nolentes recipere fugitivas deponantur.

1295

Anno [a] Domini millesimo ducentesimo nonagesimo quinto [b] statuta sunt haec apud Cistercium in Capitulo generali.

1. In primis, cum [a] gloriosae Virginis Mariae Genitricis Do-

81-83 : *UW*.
1295. [a] *Titulus apud* A^1EQ^2V. [b] etc : A^1E. **1** : A^1E. [a] gloriae, etc. ibi confirmantur octavae Purif. et dantur lect. de Cant. et debet celebrari missa de B. V. in vig. Purif. sicut in sabbatis : *sic breviter apud E*.

[1]) Cf. supra stat. 12.

mini Dei nostri attribui merito debeat omnis honor et perfectio creaturae, diffinitionem anno praeterito editam de octavis Purificationis eiusdem Virginis celebrandis, generale Capitulum duxit taliter declarandum, quod diffinitio illa inviolabiliter perseveret, hoc excepto quod, loco illarum trium brevium lectionum, dicantur privatis diebus tres aliae lectiones seriatim de Canticis Canticorum assignandae per cantores, unumquodque capitulum dicti libri in duas lectiones aequaliter dividendo, et quod in vigilia praedictae festivitatis missa de ipsa Beata Virgine sicut in sabbato solemniter in conventu celebretur.

2. Item, quoniam iuxta beati Bernardi venerabilis patris nostri sententiam, ubi necessitas intervenerit aut utilitas dispensationis legitimae [a] occupat sibi locum, et omnis aetas, sexus aut conditio personarum non est pari libramine [b] ponderanda. Tres diffinitiones nimis generaliter anno praeterito editas, videlicet illam quae incipit : Ut ab Ordine, et illam quae incipit : Quia omnis notabilis, et illam quae incipit : Quoniam regnum Dei, quia videntur Libello diffinitionum Capituli generalis per universum Ordinem evidentius obviare, generale Capitulum duxit provide temperandas quod observantiam illarum, ex rigore vel necessitate, personae Ordinis minime teneantur.

3. Item, quia peccantibus in legem per legem debet minime subveniri, nec ingrati debent de sua malitia lucrum seu commodum reportare, generale Capitulum districte prohibet abbatibus, abbatissis et conventibus Ordinis universi quod de genere, propinquitate, seu affinitate usque ad tertiam et quartam generationem Emengardis de Arpagone, quondam abbatissae monialium monasterii Ellenensis [1], et Annifeliciae quondam abbatissae Bellecombae, de ceterarum quarumlibet tam regularium quam saecularium personarum eisdem adhaerentium, auxilium, consilium seu favorem praestantium contra nostri Ordinis instituta, et specialiter Berengarii et Willermi iunioris de Caromonte Lodovensis dioecesis, qui ceteris impudentius se opposuit nostro Ordini derogando, persona aliqua numquam de cetero recipiatur ad nostri Ordinis habitum vel convictum. Si quae vero iam habitum Ordinis receperunt, nundum tamen professionem more

2 : A^1Q^2. [a] *deest* A^1. [b] moderamine : Q^2. **3** : A^1.

[1]) Cf. ann. 1294, stat. 12,80.

Ordinis solemniter perfecerunt, ab Ordinis consortio et participio in continenti totaliter excludantur. Illae vero personae quae iam regulariter sunt professae nunquam ad aliquod officium seu dignitatem Ordinis assumantur ; et haec diffinitio extendatur ad casus temporum futurorum.

4. Item, quoniam iure naturali, quod omnia docuit animalia, cunctis indicitur honor matris : ad defectus multiplices relevandos Cisterciensis ecclesiae matris Ordinis universi, domini [a] Cisterciensi duxit generale Capitulum provide concedendum, quod usque ad septennium possit annuatim licentiare quadraginta abbates Ordinis ut a dicto Capitulo possint libere remanere, ita quod illi omnes expensas quas facturi essent pro itinere dicti Capituli si venissent, eidem domino abbati seu eius nuntio, apud Cistercium tempore dicti Capituli, teneantur in suis conscientiis fideliter consignare [b] ; eidem domino Cisterciensi nihilominus committens dictum Capitulum et concedens in plenaria Ordinis potestate quod, ad sublevationem et sustentationem dictae ecclesiae Cisterciensis matris nostrae, per diminutionem numeri personarum et alias quomodo et qualiter, quando et quotiens sibi viderit opportunum, de consilio quatuor, trium aut duorum patrum abbatum filiorum suorum possit consultius providere ; et quidquid inde fecerit ratificat et approbat Capitulum generale.

5. Item, quoniam sanctorum [a] splendor mirabilis indeficienti lumine ubique radiat et coruscat, ad honorem beatissimi patris nostri Bernardi, qui totum Ordinem nostrum decorat, illuminat et venustat, generale Capitulum ordinat et diffinit [b] quod in die octavo festivitatis eius duodecim lectiones et una missa per universum Ordinem habeantur, et quod historia propria B. Malachiae episcopi [c] per totum Ordinem decantetur.

6. Item, quia vere dignum et iustum est ut crescente contumacia crescat pariter et vindicta, statuit et ordinat Capitulum generale quod quicumque abbas remanserit a Capitulo generali eo anno quo venire tenetur, nisi infirmitate corporis aut necessitate inevitabili fuerit praepeditus, teste conscientia, coram Deo praeter poenam alias inflictam [a] contra tales, viginti diebus

---

4 : *A¹VW.* [a] *hic incip. VW.* [b] assignare : *VW qui sic desin.*
5 : *A¹EMQ²V.* [a] etc. ibi dicitur quod octavae sint de b. Bernardo, et conceditur historia Malachiae : *sic breviter apud E.* [b] concedit : *V.* [c] *deest A¹.*
6 : *A¹MQ²V.* [a] diffinitam : *V.*

continuis extra stallum abbatis in domo propria commoretur, et nihilominus tribus diebus faciat levem culpam.

7. Item, quoniam privilegium meretur amittere qui concessa sibi abutitur potestate, generale Capitulum praecipit abbatibus Ordinis universi quod nunquam mittant monachos suos ad studendum nisi ad studia ab Ordine instituta, et qui aliter miserint teneantur in continenti ad domos proprias revocare ; monachi vero missi, si alia studia nisi interdum disputationis gratia duxerint frequentanda [a], pro fugitivis Ordinis habeantur.

8. Item, quoniam sicut legatus sapiens illi qui eum miserit est acceptus, sic Deo et hominibus displicet nuntius infidelis, de commissariis abbatibus qui non venerunt ad Capitulum generale, secundum diffinitionem alias editam contra tales, graviter puniantur.

9. Item, quoniam propter impedimenta [a] vestium onerosa interdum posset periculum equitantibus provenire, de [b] gratia permittit Capitulum generale ut liceat personis Ordinis sine cucullis sub cappis in [c] scapularibus equitare.

10. Item, propter pericula regularium cohabitantium inter gentes [a], et ne boni mores pravis colloquiis corrumpantur, generale Capitulum sub poena excommunicationis et panis et aquae, pro qualibet transgressione, districte prohibet et defendit quod nulla Ordinis abbatissa ac monialis cum saecularibus mulieribus [b] ad eamdem mensam infra claustra monasterii praesumat comedere aliqua ratione, quinimo confabulationes talium personarum illis dumtaxat locis lectionibus et orationibus deputatis idem Capitulum tamquam virus pestiferum reprobat et condemnat.

11. Item, diffinitioni anno praeterito editae contra Margaretam monialem de Monte Ioannis, de Marsiliaco, et Iaquetam monialem de Pietate, duxit generale Capitulum hoc addendum ut per abbatem de Fontineto dicta Margareta, et per abbatem de Alto fonte dicta Iaqueta excommunicatae publice nuntientur in parochiis in quibus faciunt mansionem.

12. Item, super paternitate Vallis Dei prope [a] Leodium ordinat generale Capitulum et diffinit quod sit perpetua filia Clarae-

---

7 : *A¹MQ²*. [a] frequentaverint : *M*. **8** : *A¹*. **9** : *A¹EMQ²UV*. [a] ibi conceditur quod possimus equitare... : *E*. [b] *hic incip. U*. [c] sine : *A¹* ; cum : *M*. **10** : *A¹MQ²V*. [a] saeculares : *V*. [b] *deest M*. **11** : *A¹*. **12** : *A¹Q²*. [a] subter : *Q²*.

vallis [b], contradictores vero et rebelles, Galterus specialiter de Aquis, Ioannes Cristianus, Ioannes de Calopio monachi, et Willelmus de Gerle conversus fugitivi per excommunicationis sententiam et censuram Ordinis compellantur.

13. Item, universis abbatibus qui, de contributione facta anno praeterito pro privilegiis et libertatibus Ordinis defendendis, summas sibi impositas a patribus suis abbatibus non persolverunt, praecipit Capitulum generale quod illi de regno Franciae infra quindenam Paschae solvere non omittant ; illi vero qui fuerint extra regnum solvant infra instans Capitulum generale, alioquin ex tunc pro depositis habeantur.

14. Item, super diffinitione anno praeterito edita contra personas Ordinis quae domui Cisterciensi ratione contributionis aut mutui tenebantur, statuit et ordinat Capitulum generale quod illa diffinitio quantum ad abbates, priores et cellerarios illorum qui non solverunt termino assignato, totaliter in suo robore perseveret.

15. Item, abbatibus de Tribus fontibus, de Monasteriis in Argona, de C[h]imen(i)one, de Ca(ti)[h]erio et de Crista, generale Capitulum districte praecipit et iniungit quod, portiones pecuniae ipsos contingentes pro decima domino regi pro prima solutione concessa, infra octavas Omnium Sanctorum apud Divionem ex integro solvere teneantur, remissa eis hac vice poenitentia corporali ex dicti Capituli gratia speciali, alioquin ex tunc qui non solverint sint in pane et aqua usque ad sequens Capitulum generale.

16. Item, querela civium Coloniensium contra abbatem de [H]e[i]sterbach, de Valle Dei et de Hem[men]rode abbatibus committitur pace vel iudicio terminanda.

17. Item, querela monialium Vallis Beatae Mariae iuxta Hoyum contra abbatem de Valle Sancti Lamberti, de Alna et de Villari abbatibus committitur, pace vel iudicio terminanda.

18. Item, petitio abbatis de [Veteri] Campo, qui petit dispersionem sui conventus fieri, si patri abbati visum fuerit, exauditur, dum tamen extra generationem propriam non mittantur.

---

[b] *hic desin.* *Q*². **13-18** : *A*¹.

1296

Anno [a] Domini millesimo ducentesimo nonagesimo sexto [a] statuta sunt haec [b] apud Cistercium [c] in Capitulo generali.

1. In primis, cum in ecclesia [a] triumphante regina gloriae mater Dei a dextris filii sui assistens, et circumdata varietatibus a cunctis [b] filiabus Sion beatissima [c] merito praedicetur, generale Capitulum duxit Ordini universo liberaliter concedendum quod in quatuor praecipuis festivitatibus eiusdem Virginis ad missam maiorem, et in octavis, et per octavas earumdem, nec non omni die sabbati quando missa ipsius celebratur in conventu (quae missa non debet pro missa aliqua pro defunctis, nisi praesens defunctus fuerit, aut pro aliquo sancto, nisi duodecim lectiones habuerit) intermitti, in ornamentis altaris, in vestibus ministrorum, in cantibus et modulationibus ecclesiasticis ac luminaribus accendendis possit ei omnis honor et reverentia solemniter exhiberi, dummodo [d] sollicite caveatur quod honestae gravitatis maturitas a facientibus observetur ex qua piae iucunditas devotionis in assistantibus excitetur, et quod nil eorum quae solent cantari ad missam in Ordine nostro aliquatenus omittatur, adiuncto quod semper et ubique ad inchoationem illius hymni *Ave Maris stella,* flectere genua teneamur.

2. Item, quoniam multa [e] beneficia praestantur ingratis quando eorum non voluntati consulitur sed saluti, generale Capitulum deliberatione provida et consideratione pia universos Ordinis fugitivos salubriter praemonet in his scriptis quod, infra instans Natale Domini redire teneantur ad Ordinis unitatem, alioquin ipsos ex nunc excommunicat Capitulum generale, et nihilominus omni die quo fit sermo in capitulis nostris excommunicati denuntientur per Ordinem universum ; si vero indurati corde nec sic redire voluerint, tribus maioribus abbatibus cuiuslibet provinciae sub poena assensus gradus altaris idem Capitulum districte praecipit et iniungit, quod tales fugitivos per sae-

---

1296. [a] *Titulus apud* A^1EQ^2VU. [a] etc. : *E.* [b] etc. : A^1. [c] tempore cap. gen. reiterata est diff. dist. 6 cap. 3 de fugitivis : *U qui sub ista forma abbreviata mentionem facit de statutis* 2, 3, 9, et 1 *infra citatis.* **1-2** : A^1EMQ^2V. [a] ibi dicitur quod in omn. festis B. M.... *E etc. sub breviori formula.* [b] accinctis : *M.* [c] byssina : *M.* [d] dummodo... omittatur : *deest V.* [e] etc. ubi dicitur quod fugit. Ord. excomm. et quod... : *E etc. sub breviori formula.*

culum evagantes teneantur inquirere et capere, invocato ad hoc, si necesse fuerit, auxilio brachii saecularis, et ad expensas propriorum abbatum firmiter detinere. Universi [f] vero abbates comprovinciales, quam cito tales fugitivos ad eorum notitiam pervenerint, sub eadem poena notificare illis tribus vel eorum alteri teneantur. Quaecumque vero personae Ordinis talibus fugitivis super eorum malitia consilium, auxilium praestiterint vel favorem, eadem sententia percellantur. De fugitivis vero qui in Curia romana Ordinem dehonestant, idem Capitulum domino Roberto [g] cardinali nostro duxit per suas litteras humiliter supplicandum, ut illos inquiri, capi et detineri ad expensas Ordinis faciat quam citius sibi et Ordini videbitur expedire.

3. Item, cum ab omni specie mala sit diligentius abstinendum, generale Capitulum duxit districtissime prohibendum, quod nulla nostri Ordinis persona praesumat ad monasteria monialium Ordinis declinare, aut in fraudem ut eis occurrant extra monasterium mandare, nisi de propriorum abbatum suorum aut visitatorum suorum licentia speciali; abbates super huiuscemodi transgressores pro qualibet vice per quadraginta dies continuos extra stallum abbatis in domo propria permanentes, tribus diebus continuis in pane et aqua faciant levem culpam, in proximo sequenti Capitulo generali nihilominus super hoc veniam petituri. Monachi vero et conversi praevaricatores ultimi omnium sint per annum in [a] visitatione proxima nihilominus veniam petituri et gravissime puniendi. Si qui etiam officiales fuerint inter illos a suis officiis deponantur. Sub eadem poena nullus abbas vel monachus Ordinis confessiones earum praesumat audire nisi soli confessores a propriis abbatibus seu a visitatoribus earum specialiter deputati, super hoc omnes licentias aliquibus personis olim concessas idem Capitulum ex nunc revocat penitus et adnullat.

4. Item, onus quod omnes tangit debet ab omnibus deportari, de subventione facienda R. P. Roberto domino cardinali nostro, et de expensis faciendis pro libertatibus Ordinis defendendis et cum omnibus negotiis Ordinis prosequendis, et de mittendo ad Curiam romanam [1], domino Cisterciensi et quatuor primis abbati-

[f] Universi... tenenatur : *deest V.* [g] *apud V tant.* **3** : A^1MQ^2V.
[a] in visitatione... deponantur : *deest V.* **4** : A^1M.

[1]) Agitur hic de conflictu inter Bonifacium VIII et Philippum Pulchrum,

bus commisit generale Capitulum in plenaria Ordinis potestate, praecipiens abbatibus Ordinis universi ut summas sibi impositas solvere teneantur locis et terminis sibi a patribus abbatibus assignandis, alioquin tam ipsi abbates quam priores, quam cellerarii et bursarii ex tunc pro depositis habeantur.

5. Item, quia libertas illicita [a] et temeritas est praesumptuosa sese alicui devovere qui Deo totaliter ac solemniter se dederunt, generale Capitulum quantum potest districtius interdicit personis Ordinis universi ne praesumant votum peregrinationis aliquatenus emittere vel servare. Abbates contrarium facientes extra stallum abbatis per viginti dies continuos in domo propria faciant levem culpam : monachi vero et conversi ultimi omnium sint per annum ; abbatissae ab officiis deponantur, moniales priventur habitu regulari. Si vero aliquae personae Ordinis votum huiusmodi emiserint, a praedicto voto generale Capitulum totaliter liberat et absolvit.

6. Item, ut omnes actiones nostras divina gratia semper aspirando praeveniat et adiuvando finaliter prosequatur, generale Capitulum duxit provide statuendum ut in professionibus universarum Ordinis personarum, de ipso Cisterciensi Ordine loco competenti, tam verbo quam scripto, plena de cetero fiat mentio et expressa, et quod in benedictionibus monachorum et monialium quibuscumque, quas extra monasteria nostri Ordinis fieri numquam licet, dum eis traditur habitus regularis ille hymnus *Veni Creator Spiritus* decantetur, et quod in cartis visitationum monialium Ordinis tam visitantis quam visitatae sigilla pendentia apponentur, expresso nomine Cisterciensis Ordinis in testimonium veritatis.

7. Item, quoniam maxime species est prudentiae pretia rebus apponere et pretiosa a vilibus separare, diffinitionem olim edi-

---

5 : *A^1EMQ^2*. [a] ibi dicitur quod abbates... : *E etc. sub breviori formula.*
6 : *A^1MQ^2V*. **7-8** : *A^1MQ^2*.

Francorum regem. De ista controversia, leguntur plura documenta cisterciensia in ms. 418 bibliothecae publicae civitatis Brugensis, in Belgio, ex antiqua abbatia de Dunis. De istis documentis usus est KERVYN DE LETTENHOVE in suo opere : *Recherches sur la part que l'ordre de Cîteaux et le comte de Flandre prirent à la lutte de Boniface VIII et de Philippe Le Bel*, dans *Mémoires Academ. Belgique*, Bruxelles, 1853, et *Patr. Lat.*, t. CLXXXV, col. 1833-1919 ; ita etiam Card. PITRA, in opere : *L'ordre de Cîteaux dans la lutte entre Boniface VIII et Philippe le Bel*, Poitiers, 1896.

tam de personis saecularibus ne reciperentur ad convescendum infra claustra monialium sic modificat Capitulum generale quod illa diffinitio non extendatur ex rigore ad personas nobiles et honestas, dummodo diurnis horis tantum et ad cibaria regularia admittantur.

8. Item, ut uniformitas per universum Ordinem teneatur, et omnes unius moris in domo Domini militantes in conversatione et habitu sint conformes, auctoritate Capituli generalis praecipitur universis et singulis capellanis et familiaribus clericis et conversis monialium Cisterciensis Ordinis religionis habitum deferentibus, qui non peracto probationis tempore sunt professi, ut infra instans festum Nativitatis Domini abbatissis propriis professionem faciant secundum Ordinis instituta, et vota obedientiae, castitatis et continentiae et paupertatis voluntariae custodire, sicut et monachi compellantur. Quicumque vero taliter profiteri et praedicta sollicite conservare noluerint aut renuerint, a participio Ordinis totaliter et perpetuo excludantur.

9. Item, cum propter revelationem [a] secretorum Ordinis retroactis temporibus multa noscuntur incommoda provenisse, quia in linguae manibus mors et vita, diffinitionem olim editam de non revelandis secretis Ordinis personis saecularibus aut alterius religionis iterum renovat et confirmat Capitulum generale, hoc addendo quod quaecumque personae Ordinis ipsius secreta quibuscumque personis Ordini nostro non subiectis cuiuscumque dignitatis, conditionis aut status existant signo, voce, nuntio vel litteris malitiose revelaverint ipso facto ab omni officio, administratione, beneficio ex tunc et ex nunc depositas excommunicat Capitulum generale. Quicumque vero super hoc comprobatus vel convictus fuerit, usque ad nutum Capituli generalis carceri mancipetur; patres vero abbates de hoc inquirant diligenter in suis visitationibus et faciant inviolabiliter observari.

10. Item, negotium Boni loci prope Burdegalum patri abbati de Ioiaco committitur ut per se vel per alium ibi hac vice provideat de abbate. Super relevatione autem domus illius, stante in robore diffinitione facta de emissione monachorum, faciat per omnia quod sibi secundum Deum et Ordinem videbitur expedire.

---

9 : A^1EMQ^2V. [a] ibi dicitur quod rev. secr. Ord. malit. saec. excomm. sunt et ab administ. depositi, et inde convicti carc. manc. usque ad nut. Cap. gen. : *sic abbrev. E.* **10-22** : A^1.

11. Item, de fratre Gargano monacho Sancti Martini prope Viterbium, qui contra voluntatem abbatis sui studuit in loco prohibito a Capitulo generali, abbati proprio proxime venturo praecipitur quod ipsum ad claustrum suum revocare infra mensem a percepto mandato Capituli generalis teneatur, tamquam fugitivum Ordinis ibidem graviter puniendum. Hoc autem renuntiare praedicto abbati Sancti Martini, ex parte Capituli, abbas de Falera teneatur.

12. Item, priori Sancti Martini prope Viterbium qui sigillum abbatis sui vacante monasterio diu secum detinuit, et patri Pontigniacensi non reddidit ut debebat, Capitulum generale praecipit ut per sex dies continuos in domo propria faciat levem culpam.

13. Item, punitio et correctio abbatissae de Sancta Colomba quae duas moniales de Hispania ad se missas regulariter auctoritate visitatoris propria retinere noluit, patri suo abbati domino Claraevallensi per depositionem vel alias committitur auctoritate Capituli generalis. Quaecumque vero abbatissa alias moniales et personas monasteriorum monialium Ordinis ad se missas regulariter recipere et retinere noluerint, ex tunc auctoritate Capituli generalis pro depositis habeantur.

14. Item, abbati de Benedictione Dei concedit ex speciali gratia Capitulum generale, quod in cellario suo de Poam... nulli personae Ordinis, excepto domino Cisterciensi et exceptis quatuor primis abbatibus, usque ad quinquennium hospitalitatem facere minime teneatur.

15. Item, generale Capitulum ordinat et diffinit quod diffinitiones anno praeterito et alias editae contra abbates qui domui Cisterciensi ratione mutui, et Ordini ratione subventionis seu contributionum, particulariter seu universaliter obligati tenentur, in suo robore perseverant, hoc addito quod nisi infra instans Pascha satisfecerint vel gratum suum fecerint, ex tunc et ex nunc pro depositis habeantur.

16. Item, inspectio loci in quo rex Arragoniae intendit fundare de novo abbatiam, de Populeto, de Petra maceriae [abbatibus] committitur ut ad locum personaliter accedentes, consideratis diligenter, nihil de contingentibus omittentes, et quid inde invenerint renuntient Capitulo generali.

17. Item, petitio abbatis de Pipewella, qui petit dispersionem conventus sui, exauditur.

18. Item, petitio domini Pontigniacensis, qui petit quod collecta de beato Edmundo possit dici ad missam conventualem quotidie in domo propria, exauditur.

19. Item, petitio abbatis de Buxeria, qui petit absolvi a susceptione hospitum per triennium, exauditur.

20. Item, petitio abbatis de Alto fonte, qui petit absolvi a receptione hospitum per triennium, exauditur.

21. Item, petitio abbatis Vallis lucentis, qui petit absolvi a susceptione hospitum per triennium, exauditur.

22. Item, petitio abbatis Vallis Sanctae Mariae, qui petit absolvi a receptione hospitum per triennium, exauditur.

23. Capitulum generale omnibus fratribus et sororibus capellae in Bercka, ad monasterium Campense spectantis, fraternitatem Ordinis tribuit.

1297

Anno [a] Domini millesimo ducentesimo nonagesimo septimo statuta sunt haec apud Cistercium in [b] Capitulo generali.

1. In primis, ut ab Ordine nostro [a], qui a sui origine in multa puritatis simplicitate fundatus est, omnis curiositatis superfluitas auferatur, diffinitionem [b] de cantibus et modulationibus et aliis praecipuis solemnitatibus Beatae Virginis, et in octavis ac per octavas, et in diebus sabbatorum, faciendis anno praeterito editam, sic modificat Capitulum generale quod nihil omnino novum in cantibus et modulationibus huiusmodi aliquatenus attentetur [c].

2. Item, quoniam non decet incommodum de impenso benefacto [a] reportare, districtione qua potest praecipit Capitulum generale quod omnes abbates et abbatissae et aliae personae Ordinis, quae sub annuo redditu tenentur Capitulo generali vel domui Cisterciensi, termino assignato satisfaciant integraliter ut tenentur, alioquin nisi infra tempus statutum solverint, ex tunc pro depositis habeantur. Illi autem qui Capitulo generali vel domui Cisterciensi tenentur in aliquibus pecuniae summis,

---

23 : *W* ex *Chron. Campensi.*

1297. [a] *Titulus apud* A^1Q^2UV. [b] tempore Cap. gen.: *U*. **1** : A^1EQ^2UVW. [a] ibi dicitur quod in cantibus... : *E etc. in breviori forma.* [b] distinctionem : *VW*. [c] *brevius apud U.* **2** : A^1VW. [a] beneficio : *VW*,

sub eadem forma praecipit Capitulum generale quod eisdem Capitulo et domui illud, in quo tenentur, solvant vel domino Cisterciensi gratum suum faciant infra Pascha, alioquin ipsos depositos denuntiat Capitulum generale [b].

3. Item, ad abolendam [a] carnalis immunditiae foeditatem, ne fermento malitiae unitas Ordinis corrumpatur, districte praecipit Capitulum generale quod quicumque monachus vel conversus Ordinis comprobatus vel convictus fuerit mulieres introducere in abbatias, grangias, vel etiam cellaria, in quibus feminae non consueverunt habitare vel ingredi, usque ad nutum Capituli generalis carceri mancipetur, aliis diffinitionibus contra vitiosos huiusmodi olim editis in suo robore duraturis.

4. Item, quoniam nihil prodesset obedientibus humilitas si contemptus inobedientibus non obesset, abbatissae de Consolatione Beatae Mariae praecipitur auctoritate Capituli generalis quatinus puellam pro qua dominus cardinalis in vanum rogavit pluries infra instans festum Nativitatis Domini recipiat in monacham et sororem, alioquin ex tunc pro deposita habeatur ; et hoc eidem denuntiet dominus abbas Pontigniacensis auctoritate Capituli generalis.

5. Item, negotium monasterii de Ardorello domino Pontigniacensi abbati committitur ut, ibidem per se vel per alium accedens, ista vice in dicto monasterio visitet, corrigat et reformet, et de electione in eodem monasterio nuper celebrata inquirat, et persona idonea provideat ista vice, per electionem vel alias prout viderit expedire.

6. Item, abbatibus de Cesarea [a] et de Mulebrune [b] [1] committit Capitulum generale quod abbates Maguntinensis provinciae compellant ad contributionem faciendam pro expensis factis seu etiam faciendis pro negotio de Ebraco [c]. Provisio autem abbatiae Beatae Mariae de Cepes [2] domino Morimundensi committitur, ut in Morimundo vel alibi ista vice de abbate provideat auctoritate Capituli generalis.

---

[b] *VW add.* : Et qui tenentur ratione annui redditus de arragiis, nisi infra instans Pascha integraliter satisfecerint, poenam consimilem sorciantur.

3 : *A¹EMQ²V*. [a] ibi dicitur quod introducentes mulieres... : *E*. **4-5** : *A¹*.: **6** : *A¹G*. [a] Cesticen : *A¹*. [b] Melenbrunne : *G*. [c] *hic desin. G.*

---

1) Mulbrunnum. 2) Szpes, i. e. S. M. de Scepusio.

7. Item, diffinitio anno praeterito edita de hospitibus non recipiendis in linea Pontigniacensi, de aliis lineis in domibus illis quae personas de *(locus vacuus)* et de Sancto Leonardo retinuerint, totaliter revocatur.

8. Item, super facto horribili fratris Ioannis de Rueda monachi Sancti Urbani, qui timore Dei postposito in abbatem proprium manus temere sacrilegas iniecit ipsum graviter vulnerando, incarcerari faciendo, sic determinat Capitulum generale quod ad expensas proprii monasterii capiatur et carceri perpetuo mancipetur, invocato ad hoc, si necesse fuerit, auxilio brachii saecularis. Abbates de Lucel[l]a(n) et de Salem auctoritate dicti Capituli istud diligenter exsequantur.

9. Item, priorissam abbatiae monialium de Sion quae, ad regimen dictae domus indebite aspirando, male se habet erga abbatissam, ex nunc deponit Capitulum generale. Abbas de Outerbourc [1] hoc mandatum ex parte dicti Capituli exsequatur.

10. Item, querela abbatis de Varennis contra abbatem de Petra [4], de Pratea et de Prato benedicto abbatibus committitur pace vel iudicio terminanda, et quid inde fecerint, etc.

11. Item, ad imponendum finem liti seu discordiae quae inter abbatem et conventum Sancti Andrea de Ianua ex una parte, et dominum Ioannem de Benevo civem ianuensem ex altera, super quibusdam pactionibus initis inter ipsos contentis in duobus publicis instrumentis confectis manu Pagani Durantis et approbatis per Capitulum generale, idem Capitulum domino Cisterciensi in plenaria Ordinis potestate duxit provide committendum ut, super praemissis et aliis inter partes faciendis, ordinet, praecipiat et confirmet quod firmum et illibatum perpetuo perseveret, et quidquid inde fecerit ratificat et approbat Capitulum generale.

12. Item, reformatio et ordinatio monasterii de Insula Dei, domino Claraevallensi per se vel per alium facienda committitur, secundum [quod] expedire viderit auctoritate Capituli generalis.

13. Item, punitio et correctio abbatis de Buseio, qui dicitur posuisse comitem de Britannia in possessionem quarumdam pos-

---

7-34 : *A*[1].

---

[1]) Otterburgum. [2]) S. M. de Petris.

sessionum immobilium inrequisito consensu sui conventus, domino Claraevallensi committitur ut per se vel per alium, veritate cognita, faciat quod viderit faciendum.

14. Item, correctio et punitio monachorum de Sancto Salvatore in Navarra patri abbati domino Morimundensi committitur, ut per se vel per alium, in plenaria Ordinis potestate....

15. Item, quoniam ausum improbum plerumque parit temeritas impunita, fratrem Fernandum, qui se gerit pro abbate in abbatia de More[ruela], volens seipsum etiam in dicta domo per saecularis potestatis violentiam temere et turpiter intrudendo, Capitulum denuntiat non abbatem, de Ursaria et de Monte ramorum abbates hoc ei denuntiare ex parte dicti Capituli teneantur, committens nihilominus dictum Capitulum patri abbati domino Claraevallensi quod de abbate dicto monasterio per se vel per alium provideat ista vice.

16. Item, de Eleemosina et de Stella abbatibus committitur, quod ipsi ad abbatiam de Beleth [1] personaliter accedentes, inquirant diligenter qualiter frater Henricus, quondam abbas dictae domus, tempore quo ibidem praefuit ipsam rexit, et in quo statu eamdem recepit et dimisit, et quid super hoc invenerint anno sequenti renuntient Capitulo generali.

17. Item, negotium abbatiae Clarifontis, abbatibus de Bella valle et de Theoloco committitur auctoritate Capituli generalis ut ad dictam domum personaliter accedentes, cum consilio patris abbatis domini Morimundensis, per distractionem mobilium et immobilium vel alias faciant quod secundum Deum et Ordinem viderint expedire.

18. Item, factum abbatis de Ierusalem [2] qui dicitur fecisse nutriri puerum unum in porta dictae abbatiae in scandalum Ordinis atque domus, domino Claraevallensi committitur, ut per se vel per alium inquirat diligentius veritatem, et faciat super huiusmodi quod secundum Deum et Ordinem viderit expedire in plenaria Ordinis potestate.

19. Item, abbati et conventui de Monte amiato [3] conceditur, quod castra sua de Monte latronum, de Monte pisono et de Monte nigro commutare possint vel vendere, si super hoc licentiam Summi Pontificis potuerint obtinere, dum tamen pecuniam inde habitam non distrahant vel expendant sine speciali domini Cis-

---

1) Beuil, Bulium (?) 2) Alias Gerricum, Gerka. 3) Cf. ann. 1294, stat. 21.

terciensis patris abbatis eorumdem licentia, nisi in aliis possessionibus comparandis. Hoc idem eisdem abbati et conventui de censu, quem habent in castro Bacirofani, aliqua diffinitione in contrarium edita non obstante.

20. Item, inspectio loci in quo petit abbas de Geminiz[1] suum transferri monasterium et incorporatio, de Andre [jovia] et de Chamez[2] abbatibus committitur auctoritate Capituli generalis.

21. Item, inspectio loci in quo intendit fundare abbatiam Ordinis nostri de novo cantor Ioningen, de Maris stella et de Aurora abbatibus committitur ut ad locum personaliter accedant, et si expediens viderint ipsam Ordini incorporent et conventum ibidem introducant, et sit filia [Sancti] Urbani, et quid inde fecerint, etc.

22. Item, fratri Petro de Borgorra, monacho Boni fontis, concedit Capitulum generale quod eligibilis habeatur.

23. Item, fratri Michaeli, quondam abbati Savigniacensi, concedit Capitulum generale quod eligibilis habeatur.

24. Item, petitio electi Vinecentini qui petit duos monachos et tres conversos Ordinis, exauditur, dummodo honestis officiis deputentur, et quod frater Anselmus monachus Claraevallis ad domum propriam revocetur.

25. Item, ad instantiam domini R[oberti] cardinalis presbiteri tituli Pudentianae concedit Capitulum generale fratri Herveo, quondam abbati de Beleth, quod eligibilis habeatur.

26. Item, petitio dicti R. P. domini [Roberti] tituli Sanctae Potentianae presbiteri cardinalis, qui pro se plenarium servitium in morte et post mortem anniversarium suum fieri per universum Ordinem, exauditur.

27. Item, petitio abbatis de Senona[3] qui petit semel remanere a Capitulo generali, exauditur.

28. Item, petitio vicecomitis de Torren qui petit unum monachum, exauditur.

29. Item, petitio abbatis Fossae novae qui petit quod, in grangia sua Sanctae Mariae de Petra, monachi et conversi possint uti carnibus in casibus concessis ab Ordine, exauditur.

30. Item, petitio abbatis de Agelo[4] in Dania, qui petit quod

---

[1]) Gemelnicum. [2]) Camencium. [3]) S. Spiritus de Semprone.
[4]) Asylo.

in domo sua possit facere anniversarium pro suo fundatore, si de consensu conventus fuerit, exauditur.

31. Item, petitio abbatis de Loco Dei in Dania, qui petit quod annus iste computetur pro anno illo quo venire ad Capitulum debebat, exauditur.

32. Item, petitio abbatis de Paris[io], quod possit distrahere aliqua bona immobilia domus suae, exauditur, quae ad ducentes marcatas possit ex consilio patris abbatis et seniorum domus de dictis immobilibus distrahere, sic tamen ut pecunia inde recepta in solutionem debitorum magis urgentium convertatur. De paternitate vero monialium de Brisaco [1] de qua petit absolvi dictus abbas taliter exauditur in quod vel pater abbas, videlicet abbas de Zulan [2], eam resumat vel idem praedictam paternitatem in abbatem et conventum de Porta coeli transferat, si de conventuum processerit voluntate.

33. Item, petitio abbatis Loci Dei Ruthinensis, qui petit dispersionem sui conventus per annum, exauditur.

34. Item, petitio abbatis de Villari iuxta Metim qui petit absolvi a susceptione hospitum per triennium, exauditur.

35. Item, ad petitionem et instantiam viri nobilis regis Romanorum conceditur universis abbatibus nostri Ordinis in regno ipsius constitutis ut qui voluerint possint novam historiam de beatissimo Benedicto, patre nostro, licite decantare.

36. Item, petitio abbatis de Herivado, qui petit per quinquennium remanere a Capitulo, exauditur.

37. Item, petitio abbatis *(locus vacuus)* qui petit unam missam de SS. celebrari quotidie in monasterio suo pro comite et comitissa Astarien., et post mortem ipsorum pro defunctis, exauditur.

38. Item, petitio abbatis de Rippatorio, qui petit dispersionem sui conventus per triennium, exauditur.

39. Item, petitio abbatis de [S. Georgio de] Iubino qui petit absolvi a susceptione hospitum per triennium, exauditur.

40. Item, petitio abbatis de Hemmenrode [a], qui petit suum dispergi conventum per Allemaniam per quinquennium [b], exauditur.

---

35 : *A¹GQ²VW*. **36-39** : *A¹*. **40** : *A¹G*. [a] Heimrode : *G*. [b] *deest A¹*.

---

1) Frisaco. 2) Lucella.

41. Item, abbatissa de Ponte salutis quae male rexit domum suam eam enormiter obligando, deponitur in instanti.

42. Institutio et incorporatio loci in Hyddense, qui abbatia S. Nicolai dicitur, committitur abbatibus de Veteri Campo, de Amelungesborne et de Lapide S. Michaëlis.

1298

Anno [a] Domini millesimo ducentesimo nonagesimo octavo statuta sunt haec apud Cistercium in Capitulo generali.

1. In primis, cum Beatissima Virgo [a] Maria velut omni laude dignissima a nobis tamquam ipsius [b] alumnis semper et ubique debeat totis affectibus venerari, statuit et ordinat Capitulum generale quod quandocumque de ipsa Beata Virgine missa ab aliquo celebratur, dicatur semper praefatio [c] de ipsa, tam in missis conventualibus quam privatis, et *Gloria in excelsis* dicatur semper in eisdem missis illis temporibus quibus dici consuevit [d] in Ordine diebus dominicis et festivis.

2. Item, quoniam ibi difficilius adhibetur salutis remedium ubi magis patet aditus vel occasio malignandi : super discursibus monialium Ordinis qui [a] ipsius statum et clarum nomen multipliciter dehonestant, omnibus abbatissis et monialibus Ordinis omnimodum egressum extra septa vel clausuram monasteriorum suorum omnino interdicit Capitulum generale, nec non et receptionem personarum nisi quae [b] de bonis seu proventibus ipsorum monasteriorum poterunt absque penuria sustentari, prout dominus Papa [c] in sua constitutione plenarie [d] sancivit [e] et expressit. Abbatissae contra venientes per depositionem et excommunicationem, moniales vero per excommunicationem et habitus privationem puniantur. Patres vero abbates et visitatores earum quam citius poterunt in domibus monialium taxent numerum personarum et eis denuntient, et inviolabiliter observari faciant hoc statutum. Ingressus autem infra ipsarum monasteria vel

---

41 : A^1. **42** : *W* ex FABRICIUS, *Urkunden des Furstenth. Rügen*, n. 458.
1298. [a] *Titulus apud* A^1Q^2V. **1** : A^1EMQ^2. [a] etc. ibi dicitur quod : *E qui formulam refert breviorem.* [b] spiritualibus : MQ^2. [c] Et te in veneratione : *V*. [d] *hic desin. V.* **2** : A^1MQ^2V. [a] quae : *M*. [b] quot : *M*. [c] Bonifacius : A^1. [d] plene : *MV*. [e] declarat : *M* ; censuit : *V*.

claustra [f] omnino interdicitur, et quaecumque persona Ordinis contravenerit prout alias a Capitulo diffinitum est, puniatur.

3. Item, ne aliquis in Ordinis obedientia quaerat subterfugum, nec in actibus nostris fraus et dolus vendicent sibi locum, districtione qua potest praecipit Capitulum generale omnibus abbatibus et abbatissis et personis aliis Ordinis universi, ut quicumque Capitulo generali vel domui Cisterciensi seu patribus abbatibus ratione contributionum, subventionum, reddituum vel mutui tenentur eisdem, illi de regno Franciae infra instans Pascha tam de arreragiis quam de debito generali Capitulo vel domui Cisterciensi creantum suum teneantur facere, nec non et patribus abbatibus de summis ratione subventionum vel contributionum olim sibi impositis modo consimili ; illi vero qui sunt extra idem regnum, infra sequens Capitulum generale, modis omnibus integraliter satisfacere teneantur. Quicumque vero non solverint, ipsos depositos denuntiat Capitulum generale.

4. Item, quoniam dedecus culpae non decet sine decore iustitiae remanere super excessibus multiplicibus monasteriorum et personarum Ordinis in partibus Angliae, qui aures Capituli generalis quinque annis crebrius pulsaverunt : excusationem abbatum de regno Angliae qui anno isto non venerunt ad Capitulum generale, ob reverentiam illustrissimi principis domini regis Angliae ipsos per suas litteras excusantis, Capitulum generale liberaliter admittit ista vice, eisdem abbatibus quantum potest idem Capitulum praecipiens firmiter et iniungens, ut sequenti anno absque retractatione qualibet se praesentent, ita quod per eos ipsum Capitulum super excessibus huiusmodi dignius et plenius valeat informari.

5. Item, quoniam divinae [a] religionis devotio, dum electos Christi tam piis quam debitis honoris et celebritatis obsequiis reverenter prosequitur [b], eos nimirum concludentius [c] expetit et facilius assequitur ipsorum patrociniis adiuvari, idcirco pia deliberatione generale Capitulum duxit provide statuendum quod festum beatissimi Ludovici, quondam regis Franciae, de cetero in crastino B. Bartholomei apostoli cum [d] duobus missis et duodecim lectionibus sicut de beato Antonio fiat per Ordinem universum.

---

[f] clausuras : *M.* **3-4** : A^1. **5** : A^1EMQ^2. [a] christianae, ibi dicitur quod festum... *E qui formulam refert breviorem.* — Christianae : *M.* [b] exequitur : *M.* [c] evidentius : Q^2. [d] cum una missa : *E.*

6. Item, cum clamor validus aures Capituli generalis propulsaverit super excessu multiplici in multis locis Ordinis super frequenti et assidua silentii fractione, qui quidem excessus intolerabilis perniciosam morum generat corruptelam et universalem disciplinam Ordinis debilitat et enervat : generale Capitulum tanti abusus insolentiam [a] cupiens abolere, diffiniendo praecipit in virtute obedientiae personis Ordinis universi, ut quicumque suum silentium scienter [b] fregerit, super hoc petat veniam in primo capitulo cui poterit interesse, et quicumque ipsum in silentio offendentem audierit, sub eadem attestatione teneatur non sponte confitentem publice in capitulo culpam suam fideliter proclamare. Priores vero et quicumque capitulo praesidentes poenam pro [c] huiusmodi excessibus in Libello diffinitionum, dinctinctione septima, capitulo quinto constitutam talibus transgressoribus irrefragabiliter et sine dispensatione aliqua infligere et exsequi non omittant.

7. Item, quia constat [a] liquido statum Ordinis integrum servari [b] non posse, nec ea quae ad reformationem [c] Ordinis pertinent posse profici [a] competenter nisi per annuam congregationem Capituli generalis, idcirco districtione quanta potest Capitulum praecipit abbatibus Ordinis universi ut ad ipsum annuum Capitulum, omnimodae excusationis occasione postposita, veniant eo tempore quo est eis a Capitulo constitutum [e], excusationes autem quascumque praeterquam pro infirmitate corporum frivolas reputat Capitulum, et nullatenus [f] admittendas. Quicumque vero secus teste conscientia remanere praesumpserit, tribus diebus levem culpam faciat, et viginti diebus continuis in domo propria sit extra stallum abbatis ; quam poenitentiam si exsequi comtempserit vel neglexerit, ex tunc gradum altaris non ascendat vel ascendere non praesumat.

8. Item, impositio contributionis faciendae pro expensis iam factis pro libertatibus Ordinis defendendis, generale Capitulum domino Cisterciensi et quatuor primis abbatibus committit districtione quanta potest, et sub poena excommunicationis praecipiens abbatibus Ordinis universi, ut portiones contributionis praedictae sibi a patribus abbatibus auctoritate Capituli prae-

---

6 : A^1MV. [a] insolertiam : *M.* [b] ter : *V.* [c] super : Q^2. **7** : A^1EMQ^2V. [a] ibi dicitur quod remanentes a Capitulo... : *E qui formulam refert breviorem.* [b] observare : *V.* [c] perfectionem : *V.* [d] perfici *MV.* [e] institutum : *M.* [f] non hactenus : Q^2. **8** : A^1GM.

dicti imponendas integre solvant, locis et terminis a dicto Capitulo praefinitis ; alioquin ex tunc pro depositis habeantur. Omnes itaque illi qui sunt de regno Franciae, Navarrae, Arragoniae, Angliae [a] et Valentiae, de provinciis vero et dioecesibus inferius nominatis, videlicet Arelatensi, Aquensi [b], Ebredunensi, Verdunensi [c], Viennensi, Taranthasiensi, Bisuntinensi, Trevirensi, Maguntinensi, Salzburgensi [d], Coloniensi [e], Carnotensi [d], Cameracensi, Tornacensi, infra octavas Purificationis, ita [f] quod incipiet solutio in ipso festo apud Latiniacum [g] super Matronam, solvere non omittant. Ceteri omnes sub praenominatis poenis solvant in proximo Capitulo generali, patribus vero abbatibus sub attestatione [h] divini iudicii et in animarum suarum periculo si contra fecerint districtissime prohibet Capitulum generale ne subiectis sibi abbatibus praesumant occasione praefatae contributionis amplius aliquid imponere, nisi modicas vel moderatas expensas ratione colligendae contributionis factas, quam sibi a suis superioribus fuerit demandatum, et quidquid collegerint, domino Cisterciensi, vel eius mandato, locis et terminis praefinitis integre et fideliter in suis conscientiis solvere teneantur, alioquin ipsos ex tunc generale Capitulum excommunicat in his scriptis.

9. Item, sorori Catherinae, quondam abbatissae de Fenesia, praecipit Capitulum generale ut ad domum unde assumpta fuerat, infra instans festum Omnium Sanctorum redeat, ibi secundum statuta Ordinis professura.

10. Item, abbatem de Bothonia [1] in Anglia solemniter purgatum in curia regia super criminibus sibi malitiose impositis, purgatum habet plenarie et innocentem reputat Capitulum generale. Illos autem qui in ipsum malitiose processerunt abbati Furnesii committit Capitulum generale puniendos, ipsi praecipiens firmiter et iniungens quod illos, quos circa hoc magis invenerit culpabiles, per incarcerationem vel alias puniat in plenaria Ordinis potestate, minus vero culpabiles puniat prout melius viderit expedire.

11. Item, reformatio et ordinatio monasterii de Sancto An-

---

[a] *deest A¹M.* [b] *deest G.* [c] *deest A¹M.* [d] *deest A¹.* [e] *deest M.* [f] ita... festo : *deest M.* [g] Laigniacum supra Maternam : *A¹* ; Leviacum superius nominatum : *G.* [h] obtestatione : *M.* **9-16** : *A¹.*

---

[1]) Hultonia (?) i. e. Hilton.

drea prope Ianuam domino Cisterciensi committitur, ut per se vel per alium, per amotionem abbatis vel alterius institutionem, faciat et ordinet quod secundum Deum et Ordinem viderit faciendum. Monachos vero eiusdem monasterii, qui caput et causa defensionis et scandali extiterunt, ad domos alias duxit idem Capitulum emittendos.

12. Item, querela abbatum de [E]braco et de Sala [1] super contributionibus factis et aliorum abbatum de Alemannia, dominis Claraevallensi et Morimundensi committitur in plenaria Ordinis potestate, et quidquid fecerint super hoc, generale Capitulum ratificat et confirmat.

13. Item, petitio abbatis de Campania, qui petit unam capellaniam in domo sua pro Emmelina de..., exauditur, si de conventus sui fuerit voluntate et consensu.

14. Item, petitio R. in Christo patris domini Gerardi, Dei gratia episcopi Sabinensis sacrosanctae romanae Ecclesiae cardinalis, qui petit incorporari Ordini locum qui dicitur Sanctus Martinus de Bost, et quod vocetur monasterium Sanctae Mariae de Valle serena, et sit filia de Colomba, a Capitulo suscipitur gratanter et favorabiliter exauditur.

15. Item, petitio decani et capituli Cameracensis qui petunt quemdam monachum et conversum, si abbati praedicti loci visum fuerit, exauditur, dum tamen honestis officiis deputentur.

16. Item, petitio episcopi Camerinensis [a] qui petit incorporari Ordini nostro monasterium Sanctae Luciae et quod sit filia de Cliento, exauditur.

17. Item, de fratre Walthero de Luzela, qui propter sua demerita carceri mancipatus de carcere violenter evasit, renuens disciplinae Ordinis se submittere, in animae suae periculum et totius populi scandalum per saeculum evagando, praecipit Capitulum generale quod ad carcerem revertatur, alioquin si redire noluerit, capiatur carceri mancipandus, invocato ad hoc, si necesse fuerit, brachio saeculari, et nihilominus idem Waltherus per omnes ecclesias Basiliensis dioecesis procuretur excommunicari singulis diebus, donec disciplinae Ordinis totaliter se submittat.

---

[a] *ms.* : Cameracensis, *ut in n.* 15 ; *sed legend.* Camerinensis *propter abbatiae de Cliento mentionem.* — *Desin. codex* A^1 *addens* : Hactenus cod. ms. Fusni[aci], *qui codex incip. ann.* 1289. **17** : *G.*

---

[1]) Salem.

18. Abbates illi (sc. de Veteri Campo, de Amelongesborna et de Lapide S. Michaelis) renuntiant Capitulo generali locum Hyddense competenter dotatum ab ecclesia Novi Campi et conventum transmissum esse.

1299

Anno [a] Domini millesimo ducentesimo nonagesimo nono statuta sunt haec apud Cistercium in [b] Capitulo generali.

1. In primis, cum Redemptoris nostri [a] Domini Jesu Christi caritatis gratia inaestimabilis specialem honoris reverentiam sui merito ab universis fidelibus exigat exhiberi, statuit [b] et ordinat Capitulum generale, quod illa antiphona *Mirabile mysterium*, cum ad illum locum deventum fuerit *Deus homo factus est* [c], ob reverentiam sanctae Incarnationis, ab omnibus personis Ordinis flectantur genua humiliter et devote.

2. Item, quoniam claritatis [a] sanctorum splendor mirabilis quanto luculentius meritis vitae [b] et etiam claritate nominis [c] enituit, tanto debet a christifidelibus super candelabrum Ecclesiae clarioribus laudum praeconiis sublimius exaltari, statuto de festo beati Ludovici confessoris, quondam regis Franciae, per Ordinem universum celebrando facto anno praeterito in Capitulo generali hoc additur, quod propria ipsius historia per totum Ordinem decantetur.

3. Item, diffusam prolixitatem diffinitionis anno praeterito editae de inclusione monialium Ordinis nostri et reformatione monasteriorum ipsarum, sic abbreviando declarat [a] Capitulum generale, quod statutum sanctissimi patris nostri Bonifacii papae VIII super hoc editum diligentius [b] observetur.

4. Item, cum cuiuscumque [a] religionis honestas exigat gratiosum hospitalitatis beneficium pro modo facultatis omnibus, potissime suis professoribus, liberaliter exhiberi : idcirco personas

---

18 : *W* ex Fabricius, *Urkunden des Fürstenth. Rügen*, n. 458.
1299. [a] *Titulus apud* Q^2V. [b] tempore Cap. gen. : V. **1** : *EMV*. [a] ibi dicitur quod flectamus genua ad ill. loc. antiph... : *E*. [b] *hic incip. V.* [c] *hic desin. E.* **2** : EMQ^2. [a] ibi dicitur historia de b. Ludovico confessore : *E qui sic desin.* ; caritatis : *M.* [b] iure : *M.* [c] nobilius : *M.*
3 : MQ^2V. [a] *hic incip. V.* [b] diligentissime : Q^2. **4** : *EM*. [a] ibi dicitur quos abbas male recipiens... : *E qui breviorem refert textum.*

Ordinis circa hospitalitatis exhibitionem, praesertim personis abbatum, culpabiles, praeter poenas alias in diffinitionibus praetaxatas, Capitulum generale puniendas iudicat isto modo : quod abbas tribus diebus faciat levem culpam, monachus vero per annum integrum ultimus omnium collocetur, converso vero caputium Ordinis auferatur.

5. Item, cum esus carnium in loco quovis, exceptis infirmitoriis nostris, ab Ordinis institutis generaliter sit prohibitus usquequaque, idcirco omnes monachos Ordinis monialium confessores, qui in domibus comedisse carnes fuerint deprehensi, statim ad domos proprias Capitulum generale districte praecipit revocandos, et extremos omnium existere, et in pane et aqua omni sexta feria, nec absque licentia Capituli generalis ad moniales [a] ulterius reversuros.

1300

Anno [a] Domini millesimo trecentesimo statuta sunt haec apud Cistercium in Capitulo generali.

1. In primis, quoniam mirabilem Deum in sanctis [b] suis gloriosius praedicantes, vel potissime ipsos magnificare debemus abundantius qui de fonte coelestis sapientiae fecundius irrigat, de plenitudine accepta caeteris uberius influxerunt ; idcirco statuit et ordinat Capitulum generale quod de beatis confessoribus et praecipuis doctoribus Gregorio, Ambrosio, Augustino et Ieronymo, fiat festum solemne in perpetuum, cum duabus missis per Ordinem universum solemniter celebrandum.

2. Item, ut de divitiis [c] salutis sapientiae et scientiae thesaurus Ordinis repleatur, statuit et ordinat Capitulum generale, quod statutum olim factum de ordine studiorum, sicut in distinctione nona, capitulo quarto exprimitur, inviolabiliter teneatur, hoc adiuncto, quod in omnibus abbatiis Ordinis in quibus sexaginta monachi vel amplius fuerint, ut ibidem lectorem de Ordine modis [d] omnibus habere satagant, benigne hortatur Capitulum

---

5 : *MQ²V*. [a] *deest M* ; suas : *V*.

1300. *Fontes* : *Be* : 8 ; *E* : 1, 2, 3, 5, 6 ; *G* : 7 ; *M* : 1-6 ; *U* : 4, 5 ; *V* : 1, 3, 4, 5, 6 ; *W* : 4. [a] *Titulus apud EV*. [b] etc. ibi dicitur quod festum... : *E*. [c] ibi dicitur quod ubi sexaginta... : *E qui abbreviatum refert textum*. [d] monachis : *M*.

generale. In talibus autem abbatiis, ubi minus sexaginta monachi fuerint, si lectorem habere potuerint, hanc diligentiam habebit idem Capitulum commendatam ; ita etiam quod in illis abbatiis ubi lectores fuerint, abbates illi mittere monachos suos ad alia studia minime tenebuntur. Abbates vero qui lectores in abbatiis suis non habuerint, secundum statutum praedictum infra Nativitatem Domini mittere monachos ad studia non omittant, qui autem mittere neglexerint, extra stallum abbatis maneant, quousque istud statutum executioni debitae fuerit demandatum, et nihilominus veniam inde petant in sequenti Capitulo generali, ad ipsius arbitrium puniendi, et commissio de Ordinis studio facta domno Cistercii et domno Claraevallis in suo robore perseveret, et monachi qui ad studia mittendi fuerint, de consilio conventus vel maioris partis et sanioris consilii destinentur.

3. Item, ne in receptione [e] personarum ordinis paucitas dispendium vel confusionem pariat multitudo, statuit et ordinat Capitulum generale quod in singulis abbatiis Ordinis, secundum statutum et facultates earum, taxetur a patribus abbatibus certus numerus personarum, quem numerum abbates licite complere poterunt, nisi iustis de causis ipsos a patribus abbatibus prohiberi ab hoc contigerit, diffinitione aliqua in contrarium olim edita non obstante. Qui si forte taxatum numerum presumpserit excedere, per patres abbates statim depositos decernit Capitulum generale. In abbatiis autem monialium fiat consimilis taxatio personarum et abbatissae nullam omnino personam ad habitum Ordinis recipiant nisi de patrum abbatum vel visitatorum speciali licencia, ut ex hoc maxime vitium simoniacae pravitatis cautius evitetur ; caveant autem abbates potissime et abbatissae ne circa hoc simonia intercedat quae si intervenerit poena tanto excessui debita puniantur et etiam receptae totaliter expellantur.

4. Item, ut modestia nostra sit omnibus manifestata, statutum de silentio nuper factum, sic duxit generale Capitulum moderandum, quod rigoribus aliis cessantibus, statutum diffinitionis de servando silentio distinctione septima, capitulo quinto editum inviolabiliter observetur. Statutum [f] etiam antiquum de non intrando monasteria monialium, sicut in distinctione decima,

---

[e] etc. ibi dicitur quod taxetur.. : *E, et sequitur textus abbreviatus.* [f] *haec altera pars statuti legitur sola apud VW.*

capitulo undecimo, expressum est, inviolabiliter teneatur, aliis statutis et diffinitionibus abrogatis.

5. Item, deliberatione [g] provida statuit et ordinat Capitulum generale ut excommunicationis, suspensionis et interdicti sententia cum maturitate debita proferatur. Si quis abbas interdicit, suspendit, vel excommunicat, sententiam in scriptis proferat et causam expresse scribat propter quam huiusmodi sententia proferatur. Caveant autem abbates ne tales sententias sive specialiter sive generaliter in aliquos pro futuris videlicet : si tale quid fecerint, nec etiam pro iam commissis sub hac forma : si de illis infra tale tempus minime satisfacerint, proferre praesumant, nisi mora in exhibenda satisfactione vel culpa sive offensa precesserint quibus merito ad iniungendum satisfactionem huiusmodi et taliter prohibenda similia inducantur, aut alia rationabilis, quam in ipsis sententiis exprimant, causa subsit. Superiores vero abbates si aliquem sibi subiectorum tales sententias repererint protulisse, ipsas sine difficultate relaxent, et latores ad generale Capitulum citant cum digna animadversione a dicto Capitulo puniendos, ut, poena docente, discant quam gravis sit excessus tales sententias sine maturitate debita fulminare [h].

6. Ceterum, quia ex praecepto Capituli generalis indicitur omnibus abbatibus Ordinis seu presidentibus capitulis quod in Ramis Palmarum omnibus annis in singulis monasteriis sententiam excommunicationis proferant in fures, proprietarios et ceteros criminosos in diffinitionibus comprehensos. Simplicitati quorumdam volens idem Capitulum consulere, formam et modum sub quibus dicta sententia proferri debeat, praecinit idem capitulum et enuntiat isto modo : Quoniam conspiratorum, incendiariorum, furum, et proprietariorum, et per universi Ordinis processum visitatorum suorum aut iudicem a generali Capitulo concessorum, in visitationibus, electionibus, ordinationibus, correptiones [i] seu excommunicationes impedientium, vel ipsis visitatoribus aut patribus abbatibus procaciter et proterve se opponentium, et ista facientibus consentientium, per se vel per alios, litteras, preces, minas, insidias, auxilia potentium aut saecularium protestantium excessibus, plura et quam magna

[g] etc. ibi dicitur quod nullus proferat... : *E*. [h] *in rubrica haec habet E* : Nota ibi modum excommunicationis in Ramis Palmarum. [i] correctionibus seu executionibus : *E*.

gravamina Ordini nostro provenerint, et generale Capitulum ad retinendum eorum excessus multiplices, et ad revocandum eos ad statum poenitentiae annis singulis in Ramis Palmarum, in cunctis capitulis Ordinis supradicti publice excommunicari a praesidente in capitulo provide diffinierit malevolos [j] memoratos; nos praedicti decreto Capituli devotione qua congruit obedire volentes, ob praedictam causam, auctoritate Dei Omnipotentis, Patris et Filii et Spiritus Sancti, et Beatae Mariae Virginis, et omnium sanctorum, et totius Ordinis et nostra, in his scriptis excommunicamus omnes praefatos maleficos, qui se corrigere non caverint, vel neglexerint, nisi infra diem Jovis [k] proximam se duxerint corrigendos.

7. Ut futuris periculis occasio precludatur, et damnis imminentibus provido consilio occurratur, omnibus abbatibus, prioribus, cellerariis et bursariis Ordinis in regno Franciae constitutis sub poena depositionis districtione qua potest praecipit Capitulum generale, ut ipsi infra instantem beati Ioannis Baptistae Nativitatem pro debitis in Ordine pro ipsis negotiis et domini regis Franciae caritativo subsidio iam contractis, et in posterum necessario contrahendis domino Cisterciensi, ut ipsius mandato apud Parisius, quantum pro una decima solvere constituerint, solvere non omittant. De aliis vero, qui sunt extra dictum regnum, domino Cisterciensi et quatuor primis abbatibus committit idem generale Capitulum, ut in praedictis negotiis possint eis auctoritate dicti Capituli certam contributionem imponere loco et tempore quibus viderint opportunum. Abbates vero, priores, cellerarii et bursarii, qui non solverint terminis assignatis, ipso facto depositos se noverint esse auctoritate Capituli generalis.

8. Item, cum anno praeterito et alias, sub poena depositionis et excommunicationis districte praescriptum fuit omnibus abbatibus et abbatissis, ut quicumque generali Capitulo vel domno Cisterciensi sub annuo censu vel ex debito tenebantur modo quolibet obligati, infra generale Capitulum integraliter domno Cisterciensi vel mandato eius satisfaciant. Item, qui illi summas sibi impositas pro decima regis Franciae promissa non solverint in Nativitate sancti Ioannis nuper praeterita, infra instans Pascha modis omnibus satisfacere non omittant; alioquin se ipsos noverint depositos auctoritate Capituli generalis.

---

[j] maleficos: *E.* [k] Cenae: *V.*

1301

Anno [a] Domini millesimo trecentesimo primo statuta sunt haec apud Cistercium in [b] Capitulo generali.

1. In primis, ne Ordinem nostrum [c] qui [d] supra firmam petram Dominum nostrum Iesum Christum fundatus est contingat quibuslibet inordinatis novitatibus commoveri, districtione qua potest prohibet Capitulum generale ne deinceps fiant translationes abbatum in Ordine nisi secundum formam [e] in privilegio Domini Clementis papae quarti traditam et concessam [f], nisi forte propter aliquam necessitatem inevitabilem de Domini Cistercii et quatuor primorum abbatum licentia speciali, aut saltem alterius ipsorum cum Domino Cistercii, aliter oportuerit ordinari. Quicumque vero aliter praesumpserit, tam transferens quam translatus, ipso facto se esse depositos noverint auctoritate Capituli generalis; translationes autem hactenus factas ipsum Capitulum ratificat et confirmat.

2. Item, ut Ordo noster praelucidus [g] per studiorum ordinationem velut splendor firmamenti lucidius refulgeat in medio nebulae mundi huius, idcirco de illis abbatibus qui ad studia monachos mittere debuerunt et in hoc negligentes fuerunt et rebelles, districte praecipit Capitulum generale, quod modis omnibus secundum ordinationem dicti Capituli mittere teneantur. Ne autem temeritas inobedientiae ipsorum transeat impunita, districte praecipit Capitulum generale, ut infra instans Pascha de bursis quas monachi in dictis studiis expendere debuissent, provisoribus studiorum integraliter satisfacere non omittant, illis dumtaxat exceptis, qui impotentiam suam domino Cistercii humilitate qua convenit suggerentes, ab ipso gratiam super hoc ante vel post assignatum terminum impetrarunt. Quicumque antedictas bursas infra Pascha non solverint, ex tunc usque ad satisfactionem plenariam gradum altaris ascendere non praesumant.

1301. *Fontes* : *E* : 1-10 ; *M* : 1-7 ; *U* : 4, 6, 7 ; *V* : 1, 4, 5, 6.

[a] *Titulus apud EUV.* [b] tempore Cap. gen. : *U.* [c] etc. ibi dicitur quod translationes... : *E qui textum refert abbreviatum.* [d] quoniam : *M.* [e] et privilegium : *E.* [f] expressam : *M.* [g] etc. ibi dicitur quod abbates qui debuerunt... : *E.*

3. Item, pravorum [h] conventicula congregari in corpus singulariter cohibere intendens diligentia circumspecta Capitulum generale, districtione qua potest omnibus abbatibus et personis Ordinis generaliter interdicit, ne alicubi in Ordine de cetero fiant convocationes occasione quacumque; hoc tantummodo excepto pro libertatibus Ordinis et privilegiis defendendis. Quicumque vero aliter facere praesumpserint, quia ad ipsam conspirationem redolere videtur, auctoritate Capituli generalis tam convocantes quam etiam convocati, sententiam excommunicationis, quam ex nunc fert idem Capitulum in ipsos in his scriptis, se noverint incurrisse, poenae conspiratorum pro nunc per omnia subiacentes. Abbati [i] autem de Worrelia [1] in Anglia qui in praedictis excessisse dicitur, districtissime praecipit idem Capitulum, quod anno sequenti Capitulo se praesentet, modis omnibus ibidem se purgaturus, vel secundum demerita recepturus.

4. Item, evagationes [j] et insolentias personarum Ordinis refrenare cupiens Capitulum generale ordinat et diffinit quod quandocumque aliqua persona de domo propria fuerit emittenda, de domo sua emittens usque ad locum illum, ad quem ipsa persona destinanda est, teneatur de famulo proprio eidem providere cum [k] expensis sufficientibus et modestis, et hoc idem faciant remittentes.

5. Item, misericordiam superexaltari [l] iudicio volens et intendens Capitulum generale, omnibus abbatibus qui ad istud Capitulum generale monachos adduxerunt super poenitencia talibus inducta distinctione quinta capitulo sexto parcit misericorditer ista vice, omnibus et singulis abbatibus districtione [m] qua potest prohibens idem Capitulum ne de cetero monachos ad ipsum presumant adducere, nisi secundum conditionem in praefata distinctione positam; alioquin absque retractatione aliqua, poenam ibidem taxatam sustineant, videlicet quod tribus diebus uno eorum in pane et aqua peragant levem culpam.

6. Item, quoniam secundum Apostolum ab omni specie [n]

---

[h] perversorum conventicula, etc. ibi dicitur quod in Ordine... : *E*. [i] Abbati... *etc. apud M tantum*. [j] etc. ibi dicitur quod quando aliqua... : *E*. [k] cum... modestis : *deest U*. [l] exaltari : *V* ; exaltare, etc. ibi dicitur quod abbatibus...: *E*. [m] districte : *M*. [n] etc. ibi prohibet Cap. gen. ne abbatissae... : *E*.

---

1) Waverleia.

mala abstinere debemus omnibus abbatissis Ordinis districte praecipit Capitulum generale ne, infra monasteriorum suorum clausuras, mulieres coniugatas permittant aliquatenus habitare ; ubicumque autem aliter praesumptum fuerit, quamdiu ibidem tales habitaverint, altaria discooperiantur et divina ibidem minime celebrentur.

7. Item, quoniam nobiliores actus [o] naturaliter eliciuntur de potentiis melius et perfectius ordinatis, quotiens Cisterciensi aut alicui de quatuor primis abbatibus aliquid a generali Capitulo committitur in plenaria Ordinis potestate, sic declarat Capitulum generale, quod illa potestas se extendat ad correctionem, institutionem et destitutionem omnimodam, et in omnibus quae potest et debet dictum Capitulum, in omnibus etiam quae mandatum exigunt speciale.

8. Et de contributione facienda in Ordine pro ipsius negotiis et libertatibus Ordinis defendendis, necnon pro debitis iam contractis, domino Cistercii et quatuor primis abbatibus committitur ut inde faciant, etc.

9. Universis abbatibus, prioribus, cellerariis, bursariis Ordinis in regno Franciae constitutis, praecipitur ut ipsi in instanti termino Paschae apud Parisius domino Cistercii vel eius mandato satisfaciant integraliter de summis sibi imponendis, et illi qui sunt extra regnum apud Cistercium in sequenti Capitulo generali ; terminus autem solutionis apud Parisius in quindena incipiet per octo dies duraturus ; qui excesserit deponitur.

10. Item, divinum cultum, etc. ibi dicitur quod fiat solemne festum de beata Catharina in monasteriis monialium Brabantiae, cum historia propria.

1302

Anno [a] Domini millesimo trecentesimo secundo statuta sunt haec apud Cistercium in [b] Capitulo generali.

1. In primis, cum ubi eadem iuris ratio cernitur, ibi idem ius sit per omnia statuendum, diffinitionem anno praeterito editam

---

[o] etc. ibi dicitur quod quotiens domino... : *E*.

1302. *Fontes* : *E* : 1-9 ; *G* 7 ; *M* : 1-7, 9 ; *U* : 3, 5, 6, ; *V* : 1-3, 6, 8 ; *W* : 7, 8. [a] *Titulus apud UV*. [b] tempore Cap. gen. : *U*.

de translatione abbatum, generale Capitulum extendi diffinit ad Ordinis abbatissas.

2. Item, cum constet [c] status Ordinis ad integrum diutius conservari non posse, nec ea, quae sibi ad formationem aut correctionem ipsius pertinent, perfici competenter nisi continuetur assueta annua congregatio Capituli generalis, prout alias scilicet anno Domini M. CCIIC extitit diffinitum, multi tamen contra tenorem illius diffinitionis a generali Capitulo remanere presumunt ; ideo generale Capitulum eorum inobedientiam considerans, eamque intuens manifeste, omnes illos qui ad ipsum generale Capitulum non venerunt, nec se legitime excusaverunt, tempore, quo illis est ab ipso Capitulo generali constitutum, citat ad sequens proximum generale Capitulum ibi se super huiusmodi inobedientia purgaturos, vicinis abbatibus praecipiens quatinus tales accusent in proximo Capitulo generali ; quod si non fecerint, gradum altaris non ascendant. Omnes vero abbates Ordinis qui de cetero preces quascumque [d] saecularium personarum, domino Papa dumtaxat excepto, pro remanendo a Capitulo generali impetraverint vel impetratis usi fuerint, idem Capitulum excommunicat in his scriptis, a qua sententia absolvi non valeant nisi ab ipso Capitulo vel cui commiserit vices suas.

3. Item, quorundam [e] perniciosam malitiam abhorrens et punire [f] cupiens Capitulum generale, qui in salutis suae dispendium et communis utilitatis Ordinis detrimentum secreta Ordinis saecularibus detegere non verentur, utpote quando contributiones fiunt in Ordine pro ipsius libertatibus et aliis iuribus defendendis, hoc saecularibus potentibus, puta baronibus, principibus et regibus revelantes, procurant quod huiusmodi contributiones, Ordini tam necessariae, non solvantur, vel si solutae vel collectae [g] alicui fuerint, procurant quod ab ipsis potentibus habeantur, praedictos Ordinis proprii proditores excommunicat in his scriptis, et tales excommunicati denuntientur cum ceteris malefactoribus in Ramis Palmarum in capitulis per Ordinem universum.

4. Item, ut novitates [h] et notabiles curiositates a nostro Ordine excludantur, ordinat et diffinit Capitulum generale quod

---

[c] etc. ibi dicitur quod abbates qui non venerint... : *E*. [d] quorumcumque : *E*. [e] etc. ibi dicitur quod secreta Ord. revelantes... : *E*. [f] perimere : *U*. [g] collatae : *M*. [h] etc. ibi dicitur quod in illis... : *E*.

in illis quae ad cultum divinum pertinent, quantum ad cantum, modus antiquus totaliter observetur [i], aliis diffinitionibus super hoc editis penitus abrogatis.

5. Item, diffinitionem olim editam de studiis Tolosano, Stellensi et Montispessulani sic temperat Capitulum generale, quod abbates qui ad illa studia mittere tenentur, si viginti quinque monachos habeant, unum monachum mittere tenebuntur [j]. Aliis autem abbatibus, qui minorem habent numerum, ut nullum mittere teneantur, indulget Capitulum generale.

6. Item, nihil obedientia [k] prodesse videretur humilibus, si contemptus contumacibus non obesset, sane distinctione septima, capitulo sexto continetur quod omnes personae Ordinis, quae processum visitatorum aut [l] iudicum a generali Capitulo concessorum, in visitationibus, electionibus, ordinationibus, correctionibus seu exsecutionibus impediunt, vel ipsis visitatoribus aut patribus abbatibus procaciter vel proterve se opponunt aut ita facientibus consentiunt, per se vel per alios, litteras, preces, minas, insidias vel auxilia parentum suorum aut saecularium procurando, in Ramis Palmarum excommunicationis sententia percellantur. Huic diffinitioni in suo robore perduranti hoc addit Capitulum generale quod, quicumque propriis abbatibus in correctionibus regularibus temere obviare praesumpserit, vel qui minas, litteras, preces pro promotione officialium aut receptione in Ordine personarum impetraverint [m], aut impetratis usi fuerint, eadem sententia se noverint innodatos, a qua non nisi a domino Cistercii, vel a quatuor primis abbatibus quolibet in sua generatione, possint [n] absolutionis beneficium obtinere; quicumque [o] vero super hoc culpabiles inventi fuerint, ad domos remotissimas emittantur poenae conspiratorum per omnia subiacentes, nec aliqui de genere eorum de cetero ad habitum regularem admittantur, et si recepti fuerint, nondum tamen professi, praecipit generale Capitulum, ut quam citius emittantur. Illi [p] etiam pro quibus huiusmodi preces vel litterae fuerint impetratae, finem non assequantur optatum; quinimo abbates eis talia praeter conscientiam concedentes, donec revocaverint, gradum altaris non ascendant. Ordinat insuper Capitu-

[i] *hic desin. E.* [j] *hic desin. E.* [k] etc. ibi dicitur quod omnes personae : *E.* [l] ante : *M.* [m] vel impetrari fecerint : *E.* [n] absolvi : *E.* [o] qui excesserint : *R.* [p] Illi... ascendant : *deest V.*

lum generale, quod nulla persona de genere eorum monachorum, qui patribus, vel propriis abbatibus minas, damna vel iniurias inferunt,de cetero recipiantur ad habitum Ordinis qualemcumque. Hanc autem diffinitionem extendi Capitulum ad abbatissas et moniales Ordinis universi [q].

7. Item, cum piae voluntatis [r] petitio sit favore benigno prosequenda, maxime ubi cultus divinus ampliatur, ad petitionem illustris regis Bohemiae Capitulum generale ordinat et diffinit, quod in vigilia beati Michaelis annis singulis fiat commemoratio de beato Wanzeleio [s] martyre non pontifice, cum una missa per Ordinem universum.

8. Item, cum anno praeterito diffinitum fuit ut abbates, qui aliquas contributiones seu debita, in quibus obligati domino Cistercii tenentur, aut Ordini solverent, hoc instanti Capitulo non solverunt, nec super hoc defectu aliquam excusationem praetenderunt, ipsos ex nunc depositos denuntiat Capitulum generale, nisi domino Cistercii suam impotentiam insinuaverint, vel suo mandato infra sequens Capitulum generale, eidem sententiae subiacere decernens omnes illos, qui redditus Capitulo non solverunt in quibus eidem obligati tenentur, nisi infra sequens Capitulum modo consimili se excusaverint aut satisfecerint competenter [t].

9. Item, ut ius cuiuscumque [u] non depereat, sed unicuique restituatur quod suum est, diffinit et ordinat Capitulum generale, quod omnes abbatiae, quae sunt incendio vel alias destructae, si quae suorum mobilium inveniuntur distracta seu alienata, possint ea recuperare pro eodem pretio pro quo fuerunt ab aliis recepta. Et praecipit idem Capitulum generale, quod illi qui res sic distractas detinent, iurent pro quo pretio habuerint. Quod si iurare noluerint, gratis restituant, decernit Capitulum generale [v]. Et si notum fuerit patribus abbatibus per censuram ecclesiasticam compellantur.

---

[q] universas : *E*. [r] etc. ibi dicitur quod in vigilia... : *E*. [s] Wenzezlao : *G* ; Ventelo : *M* ; Wencelo : *W*. [t] *apud E tantum*. [u] etc. ibi dicitur quod abbatiae... : *E*. [v] *hic desin. E*.

1303

Anno [a] Domini millesimo trecentesimo tertio statuta sunt haec apud Cistercium in [b] Capitulo generali.

1. In primis, ut tollatur [c] simplicibus errandi materia et austeris et nimis rigidis occasio suos subditos affligendi, diffinitionem anno praeterito editam contra obviantes propriis abbatibus et procurantes preces pro promotione [d] officialium aut receptione in Ordine personarum, generale Capitulum sic declarat quod illi solummodo poenam incurrunt in illa diffinitione contentam, qui tantam violentiam, puta minas, insidias per armatos [e] et potentes propriis abbatibus inferunt ; vel qui pro dictis preces tam violentas procurant per se vel per alios, ita quod non potest libere correctio vel iurisdictio Ordinis exerceri.

2. Item, cum Ordo sit in magnis debitis ac diversis creditoribus obligatus, domino Cistercii et quatuor primis abbatibus committitur in plenaria Ordinis potestate, quatinus ipsi vias et modum inquirant et considerent, quibus Ordo ab huiusmodi debitis valeat relevari, prout melius viderint expedire, utendo quoad hoc contra quascumque personas Ordinis plenaria ipsius Ordinis potestate.

3. Item, cum propter [f] diversorum procuratorum constitutionem in Romana curia, Ordo non modicum aggravetur, abbatibus et abbatissis Ordinis universi, generale Capitulum inhibet quatinus [g], si contingat ipsos vel ipsas aliquem procuratorem ad curiam mittere, illi misso ne dent potestatem in procuratorio alium substituendi, nisi sint procuratores Ordinis generales. Quicumque contrarium fecerit, donec revocaverit, gradum altarus ascendere non presumat.

4. Item, cum universo [h] Ordini a sanctissimo patre domino Bonifacio summo pontifice sit indultum, ut terras nostras cultas vel non cultas, non solvendo decimas, possimus tradere colonis saecularibus ad colendum, de quibus nullus alius decimas vel primitias percepit, prout in ipso privilegio plenius continetur, ex quo indulto speramus bona non modica Ordini in posterum

---

1303. *Fontes* : *E* : 1, 4, 5 ; *G* : 4 ; *M* : 1-6 ; *U* : 3 ; *V* : 1-6 ; *W* : 7, 8.
[a] *Titulus apud UV.* [b] tempore Cap. gen. : *U.* [c] etc. ibi dicitur quod obviantes... : *E qui abbreviatum refert textum.* [d] remotione : *V.* [e] arma : *E.* [f] *deest M.* [g] quod : *M.* [h] etc. ibi dicitur quod a domo emittantur.. : *E.*

eventura, generale Capitulum universis Ordinis personis inhibet, ut hoc clam vel palam, per se vel per alium deduci impediant ad effectum. Quaecumque persona Ordinis contrarium fecerit quoquomodo, ipsam excommunicat generale Capitulum in his scriptis, et quaecumque personae Ordinis in hoc culpabiles inventae fuerint, a domo propria emittantur, non nisi per ipsum generale Capitulum reversurae.

5. Item, cum ob sacramenti eucharistiae reverentiam, monachis quod radantur de quindena in quindenam a generali Capitulo sit concessum, circa huiusmodi vero rasuram excedant conversi sibi labium superius et sub mento inferius radendo contra consuetudinem Ordinis approbatam, generale Capitulum ordinat et diffinit quod quicumque conversus labium superius radat et inferius sub mento, vel [i] nimis notabiliter rotondet, cum forcipibus sibi barba totaliter abradatur.

6. Item, cum non deceat pauperes Christi et humiles religiosos, quos magis decet habere habitum lugubre et deiectum, nimis curiosis et irreligiosis vestibus adornari generale Capitulum, ea qua potest districtione, omnibus personis ordinis inhibet [j] quatinus a vestibus irreligiosis, puta coloratis pretioso colore, vel nimium apparenti, et ipsis non utantur omnino, alioquin quamdiu talibus usi fuerint, sine dispensatione aliqua, generale Capitulum eos vino praecipit abstinere, et super hoc patres abbates in suis visitatationibus diligenter inquirere non omittant. Hoc ipsum servetur de curiositatibus in picturis.

7. Abbas Libertus de Dunamunde petit, ut liceat abbatiam illam ordini Teutonico vendere, cum paganis resistere non possit et bona in dies minuantur. Abbati de Morimundo committitur ut diligenter inquirat et deinde referat.

8. Bertramus de Amelungsborne, Iacobus de Paradiso, Rodingerus de Oliva, Wichardus de Buckovia, Nicolaus de Lacu Sanctae Mariae, Ludolfus de Nemore Sanctae Mariae, Banner (?) de Loco Dei abbates in Capitulo generali constituti vident privilegium Bonifacii VIII de decima, de 18 decembr. 1302.

---

[i] ut notabiliter tondeat : *V*. [j] iubet ut : *M*.

1304

Anno [a] Domini millesimo trecentesimo quarto statuta sunt haec apud Cistercium [b] in Capitulo generali.

1. In primis, cum propter novitates [c] sive novas adinventiones historiarum novarum aliquorum sanctorum, et novarum octavarum [d], difformitas in cultu divino oriri in ordine videatur, generale Capitulum omnes diffinitiones super praemissis, a decem annis et infra editas, revocat et de cetero denuntiat nullas esse [e]. Conceditur [f] tamen illis, in quorum monasteriis illorum sanctorum corpora requiescunt, quod in festis eorum propriis historiis, et illi de regno Franciae in festo sancti Ludovici eius propria historia possint uti.

2. Item, ad admovendum [g] dubietatis scrupulum quod circa depositiones abbatum in aliquibus diffinitionibus contineri videtur, generale Capitulum sic ordinat et diffinit quod quotienscumque in aliquibus diffinitionibus continetur quod abbas, pro tali et tali culpa, vel modo alio, deponatur vel pro deposito habeatur, nisi in ipsa diffinitione contineatur expresse, per patrem abbatem hoc fieri, ipsius potestas ad huiusmodi depositionem nullatenus se extendat, sed Capitulo generali reservetur.

3. Item, sicut Ordo [h] noster propriis contentus limitibus non praesumit falcem mittere in messem alienam, sic e contrario non est iustum ipsi ab aliquibus in suo iure vel iurisdictione praeiudicium generari; eapropter universis et singulis monachis, conversis et monialibus, et aliis personis Ordinis universi, generale Capitulum inhibet quantum potest ne cuipiam saeculari vel religioso cuiuscumque religionis [i], nisi personis Ordinis nostri quibus dumtaxat audire confessiones est in Ordine constitutum audeat confiteri. Quaecumque persona Ordinis contrarium fecerit generale Capitulum excommunicat in his scriptis et privetur habitu regulari. Huic poenae subiacent [j] qui, ad minus semel in anno,

1304. *Fontes* : *E* : 1-4, 6, 8 ; *G* : 1 ; *M* : 1-9 ; *U* : 1-3, 6-8 ; *V* : 1-8.
[a] *Titulus apud GUV.* [b] tempore Cap. gen. : *U.* [c] ibi revocantur (*ms.* : renovantur) historiae... : *E.* [d] culturarum : *G qui in nota indicat* : *ms.* : colavarum. [e] *M add.* : sed quoad hoc modus antiquus totaliter observetur. [f] *incip. U* : Concedit Cap. gen. [g] movendum : *MV* ; ibi dicitur quod quando dicitur quod aliquis abbas... : *E.* [h] ibi dicitur quod quaecumque personae Ord... : *E.* [i] existat : *M.* [j] subiacebunt : *U.*

conscientiam suam abbati proprio non revelant, si eius copiam habere commode possint et tempore competenti. Quaecumque persona autem Ordinis in fraudem huius diffinitionis alteri praesumpserit confiteri, vel confessiones audire, poenae subiaceat supradictae.

4. Item, secundum apostolum [k] tunc legem Christi fideliter adimplemus, si nostra onera ad invicem supportamus. Idcirco generale Capitulum praecipit abbatibus universis illarum regionum, in quibus aliqua monasteria per guerras vel alia infortunia sunt destructa, quatinus monachos monasteriorum huiusmodi ad se missos retineat donec ipsa ad bonum statum et pristinum sunt reducta. Et hoc patres abbates in abbatiis sibi subiectis auctoritate Capituli generalis faciant observari.

5. Item, iustitia dictante secundum rerum venalium caristiam [l] augmentatis appretiatis quantitas pretii debeat augmentari, generale Capitulum ordinat et diffinit quod illi scolares, qui ad Montispessulani et Tholosae studia sunt mittendi, solvant de cetero pro bursa per annum integrum 14 libras turonenses, quamdiu duraverit moneta haec quae communiter modo currit.

6. Item, ad removendas [m] illicitas evagationes emissorum, ordinat Capitulum generale ut emissi pro culpa, extra monasteria ad quae mittuntur, nisi cum conventu, exire nullatenus permittantur. Quicumque vero alicui talium licentiam dederit exeundi, pro qualibet vice tribus diebus uno eorum in pane et aqua poenitentiam peragant levis culpae, nec talibus [n] emissis equitaturae ab aliquibus ministrentur.

7. Item, quia [o] facilitas [p] veniae incentivum tribuit delinquendi, praecipit generale Capitulum ut apostatae ad Ordinem revertentes, secundum regulam in ultimo gradu recepti et in eodem sine dispensatione aliqua teneantur, nec de cetero petitiones oblatae pro talibus aliquatenus admittantur [q].

8. Item, cum [r] nonnumquam [s] subtilitas exquisita materia sit erroris, generale Capitulum volens circa ferendas sententias a deceptionis periculo simplicioribus praecavere ordinat et dif-

[k] ibi dicitur quod monachi missi... : *E.* [l] commutantibus temporibus : *M.* [m] etc. ibi dicitur quod poenam peragat...: *E.* [n] taliter : *M.* [o] ne... det : *U.* [p] facultas : *M.* [q] audiantur : *U.* [r] ut nunquam : *U.*
[s] ibi revocatur diffinitio de modo excomm. in Ram. Palm. et teneatur mod. ant. : *E.*

finit ut tam in Ramis Palmarum quam in alias antiquus modus in ferendis sententiis observetur.

9. Item, commissio abbati Claraevallis anno praeterito facta, super correctione et reformatione abbatiae de Alna, in suo robore perseveret, ita quod eam reformet per se vel per alium in plenaria Ordinis potestate ; et quid inde factum est et fiet, ratum habet et habebit Capitulum generale ; et quid inde, etc.

1305

Anno [a] Domini millesimo trecentesimo quinto statuta sunt haec apud Cistercium [b] tempore Capituli generalis.

1. In primis, ut via malivolis [c] praecludatur, sic duxit generale Capitulum statuendum ut quaecumque personae Ordinis, monachus, monialis vel conversus adire Capitulum generale, patres abbates vel superiores potentes, aut quoscumque alios praesumpserint, abbates proprios vel abbatissas scripto, verbo vel modo quolibet alio diffamantes, seu contra praedictos abbates vel abbatissas litteras diffamatorias miserint vel tulerint, omni occasione postposita, carceri mancipentur ; praecipitque Capitulum generale abbatibus ac personis Ordinis universi, in virtute sanctae obedientiae, quatinus si quam talem personam Ordinis invenerint, in expensis proprii abbatis carceri mancipari faciant indilate, et referatur ista diffinitio ad praeterita [d] pariter [e] et futura.

2. Item, cum ob defectum currentis monetae res venales sint solito cariores, praecipit Capitulum generale quod scolares, qui ad Tholosae et Montispessulani studium sunt mittendi, solvant per annum integrum 10 libras parvorum turonensium antiquorum, sicut ante mutationem monetae fieri consuevit.

3. Item, contributionem faciendam pro solvendis annuis pensionibus domini cardinalis et debitis iam contractis pro libertatibus Ordinis defendendis necnon pro visitatione summi Pontificis, domino Cistercii et quatuor primis abbatibus committit generale Capitulum in plenaria Ordinis potestate, praecipiens insuper

1305. *Fontes* : *E* : 1, 4 ; *M* : 1, 3, 4 ; *U* : 1 ; *V* : 1-9 ; *W* : 2, 5-10. [a] *Titulus apud EUV.* [b] *hic desin. E.* [c] malivolentium : *M* ; ibi dicitur quod quaecumque personae... : *E.* [d] *cancellatum apud U.* [e] veluti ad : *EM.*

abbatibus Ordinis universi, quatinus summas sibi impositas, patribus abbatibus solvant in locis et terminis sibi assignatis alioquin statim pro depositis habeantur.

4. Item, cum ad aliorum[f] debeat transire profectum quod singulariter pluribus est concessum, Capitulum generale ordinat et diffinit ut abbates, qui a Capitulo generali per tempus determinatum a susceptione hospitum absolvuntur, tempore quo dicta utuntur gratia, recipiendi novitios, aut monachos emittendi, nisi gravis necessitas aut enormis casus[g], prout in diffinitionibus continetur, emerserit, libera[h] careant facultate.

5. Item, petitionem pro illustri quondam rege Bohemiae oblatam sic exaudit Capitulum generale, ordinatque, statuit ut in omnibus abbatiis regnorum Alemaniae, Ungariae et Bohemiae pro ipsius anima plenarium fiat servitium, et sit particeps omnium bonorum quae de cetero fient in singulis domibus Ordinis universi.

6. Item, petitio abbatis de Sancta Cruce in Austria qui petit pro duobus filiis suis abbatibus de Zwetel et Campililiorum, qui remanserunt in medio viae graviter infirmati, ut ad ipsum Capitulum generale venisse reputentur, exauditur.

7. Item, petitio eiusdem abbatis de Sancta Cruce, ut possit remanere uno anno a Capitulo generali cum quinque filiis suis abbatibus, exauditur.

8. Item, petitio reginae Ungariae, quae petit habere capellaniam perpetuam in Zwetel, dummodo conventus consenserit, exauditur.

9. Item, petitio cuiusdam nobilis viri de Celking qui petit habere missam quotidianam in Paumgartenberg[1], exauditur.

10. Abbatia de Stolp[a], Ordinis sancti Benedicti in Pomerania, Ordini incorporetur et sit filia de Porta. Abbates de Dunamunde et de Valcana[2] amodo sint filii de Stolp.

1306

Anno[a] Domini millesimo trecentesimo sexto statuta sunt haec apud Cistercium[b] in Capitulo generali[a].

---

[f] etc. ibi dicitur quod abbates qui... : *E*. [g] causa : *V*. [h] omnimoda : *V*.

1306. *Fontes* : *E* : 1-4, 6 ; *G* : 7 ; *M* : 1, 5, 6 ; *U* : 2 ; *V* : 1-4 ; *W* : 2-4.

[a] *Titulus apud EV* ; *U* : Stat. in Cap. gen. habito in Cist. [b] *hic desin. E.*

---

1) Mons Pomarius. 2) Valkena.

1. In primis, quoniam viros [c] spirituales non decet secundum [d] carnem vivere, nec carnis, quae semper concupiscit adversus spiritum, sequi corruptelam, clamorem, qui aures Capituli pluries pulsavit, non valens ulterius dictum Capitulum sustinere, districtissime prohibet ne monachi vel conversi vel moniales, in locis ab Ordine non concessis, carnes audeant comedere vel praesumant. Quicumque aliter fecerit sententiam excommunicationis auctoritate dicti Capituli se noverit incurrisse, a qua sententia etiam absolvi non possit nisi per ipsum Capitulum generale.

2. Item, cum aures [e] Capituli generalis clamor propulsaverit super excessibus illorum de Ordine Mendicantium alias in nostro Ordine receptorum, cum alias eorum receptio a generali Capitulo fuerit interdicta, idem Capitulum inhibet iterato ne quis de illis Mendicantium Ordinibus recipiatur in Ordine de cetero absque Capituli generalis licentia speciali [f]. Quod si contrarium fuerit attentatum, patres abbates in suis visitationibus tales receptos eiicere non omittant, et nihilominus abbas tales recipiens poenam levis culpae tribus diebus, uno eorum in pane et aqua, peragat [g] et veniam petat in sequenti Capitulo generali; et hoc idem teneant [h] abbatissae.

3. Item, cum per rei evidentiam [i] a temporibus retroactis constet Capitulo generali plures ambitiosos de Ordine [1], non a Deo vocatos sicut Aaron, fraudulenter et nequiter procurasse quomodo ad episcopatus assumi valerent, vel ad superiores alias dignitates, ut obedientiam Ordinis et disciplinam effugerent et haberent materiam evagandi, in Ordinis confusionem et suarum periculum animarum, generale Capitulum inhibet omnibus abbatibus Ordinis universi, ne de cetero alicui personae Ordinis ad episcopatum vel aliam dignitatem licentiam ascendendi tribuant [j], nisi tales dignitates redditus habeant ex quibus competenter sibi valeant providere. Abbates qui contrarium fecerint se nove-

---

[c] ibi dicitur quod clamorem... : *E.* [d] sequendo : *M.* [e] etc. ibi dicitur quod : *E.* [f] sub poena eiectionis receptorum, et levis culpae 3 dieb. quoad recipientes : *U.* [g] sustineat : *E.* [h] sustineant : *E.* [i] etc. ibi dicitur quod gen. Cap. prohibet... : *E.* [j] concedant : *E.*

---

[1] Cf. epistola Henrici, Cist. abbatis et Joannis, Claraev. abb. denuntians toto Ordini duos monachos qui in hac re reprehensibiles fuerant : in *Codice Dunensi (ms.* 418 bibl. publ.Brugensi), documentum 849, quod est sub n° 306 in editione J.-B. Kervyn de Lettenhove.

rint deponendos, et nihilominus illi, quos taliter contigerit promoveri, ad communionem Ordinis nullatenus admittantur.

4. Item, universi Ordinis abbatibus prohibet Capitulum generale ne monachos, pueros vel equos, ultra numerum in diffinitionibus praetaxatum in Cistercium introducant ; aliter facientes gradum altaris non praesumant ascendere, donec super hoc se Capitulo generali recognoscant praeter eos quibus est hoc licitum vel etiam consuetum, absque Domini Cistercii licentia speciali.

5. Item, quoniam non decet illos poenam ignorantiae incurrere, quos potest et debet iusta causa ignorantiae rationabiliter excusare ; diffinitionem anno praeterito latam, contra personas Ordinis abbates et abbatissas diffamantes, vel contra ipsos litteras diffamatorias mittentes, sic modificat Capitulum generale, quod diffinitio illa a tempore editionis tantummodo extenditur ad futura.

6. Item, quoniam sapientia [k] professores suos semper de bono in melius provehit, et despicit contemptores, auctoritate Capituli prohibetur Ordinis abbatibus universi, ne ipsi ad studia Ordinis mittant scolares insufficientes et improvectos, sed potius tales qui mittuntur ita sint in grammaticalibus imbuti, quod ad logicalia condigne provehi, et magis proficere quam deficere valeant in studendo ; aliter ad studia missos provisores remittere teneantur ex parte dicti Capituli, nullo mandato alio expectato ; sed nec pro iure audiendo exire extra dicta studia permittantur, alioquin pro fugitivis, si aliter fecerint, habeantur.

7. Cum plurimorum querulosis vocibus super defectu studii Parisiensis generale Capitulum fuerit pluries excitatum, idem Capitulum considerans quod ex laudabili ipsius reformatione totus Ordo claris laudibus diversa suscepit incrementa, domino Cisterciensi et Claraevallensi abbatibus committit ut personaliter accedant ad locum, ibidem ordinent, puniant et reforment, prout honori et utilitati [l] Ordinis viderint expedire.

---

[k] etc. ibi dicitur quos auct. Cap. gen. : *E. ann. seq.* n. 2.

[l] universitati : *edit. G* ; *cf.*

1307

Anno [a] Domini millesimo trecentesimo septimo statuta sunt haec apud Cistercium [b] in Capitulo generali.

1. In primis, exigit perversorum detestanda temeritas [c] ut circa delicta eorum poena modum non habeat, ipsorumque facta piae compassionis gratia careant et respectu. Diffinitione igitur anno praeterito in generali Capitulo edita contra personas Ordinis, quae in locis prohibitis utuntur carnibus, simul cum poena in suo robore perdurante, nihilominus adiicit Capitulum, ut transgressores dictae prohibitionis, si officiales fuerint deponantur, nec absque generalis Capituli licentia ad officia aliqua assumantur; carentes vero officiis pro qualibet vice per mensem priventur habitu regulari.

2. Item, cum plurimorum querelosis vocibus super defectu studii Parisiensis, *etc. ut in stat. 7 ann. praeced.*

3. Item, ne plurimorum transgressio temeraria incentivum tribuat delinquendi, generale Capitulum ordinat et diffinit ut abbates, qui hoc anno ad generale Capitulum venire debeant et non venerunt, nec legitime se excursarunt, ut omnibus postpositis ad sequens Capitulum veniant. Alioquin eosdem ex tunc idem deponit Capitulum, absolvens eorumdem subditos ab omni obedientia regulari, precipiens nihilominus sub pena excommunicationis ut nullus eisdem tamquam abbatibus reverentiam exhibeant, vel eorum praeceptis pareant vel mandatis.

4. Item, cum prohibitae rei assecutio nullius auxilio sit amminiculo prosequenda, diffinitioni anno praeterito editae, de ambitiosis Ordinis qui fraudulenter procurant sibi episcopatus et dignitates, hoc additur per Capitulum generale quod illi, qui olim procuraverunt extra Ordinem dignitates et specialiter episcopatus, si habuerint redditus vel alia ex quibus sibi competenter valeant providere, (scilicet ?) tantum ipsis per monasteria transeuntibus necessaria exhibeantur, secundum Ordinis honestatem.

5. Monachi etiam qui capellas vel aliquas ecclesias saeculares habent, per proprios abbates revocentur, ut infra duos menses ad claustra revertantur propria ; alioquin pro fugitivis habean-

---

1307. *Fontes* : *E* : 1, 6 ; *G* : 7, 8, 9 ; *U* : 5 ; *V* : 1-6 ; *W* : 1-6. [a] *Titulus apud EUV*. [b] *hic desin. E* ; tempore Cap. gen. : *U*. [c] ibi dicitur quod diffinitio.. : *E*.

tur, hiis exceptis qui in capellis monasteriorum Ordinis commorantur [d]. Inhibetur [e] insuper abbatibus ne de cetero concedant licentiam monachis suis acceptandi huiusmodi capellas vel ecclesias saeculares; qui vero contra fecerint, poenam levis culpae faciant tribus diebus, et in generali Capitulo se de eo recognoscere teneantur.

6. Item, ut dissensionis materia [f] variaque plurimorum [interpretatio] de medio resecetur, generale Capitulum ordinat et diffinit ut diffinitio olim edita de convocationibus faciendis maiorum de provincia pro privilegiis et libertatibus Ordinis defendendis, ab omnibus inviolabiliter observetur; praecipiturque patribus Ordinis ut in suis visitationibus ad hoc compellant contradicentes pariter et rebelles.

7. Petitio domini vicecancellarii domini Papae, qui petit quod in missa conventuali in singulis nostri Ordinis monasteriis, quotidie pro subsidio Terrae sanctae psalmus *Deus venerunt gentes* cum usitata collecta dicatur, pro domini Papae reverentia, exauditur.

8. Dispersio conventuum Bohemiae domino patri abbati de Ebraco committitur in plenaria Ordinis potestate.

9. Item, abbatibus de Bohemia, de Austria et Bavaria, qui in ipso Capitulo fuerunt, concessum est semel a Capitulo remanere.

1308

Anno [a] Domini millesimo trecentesimo octavo statuta sunt haec apud Cistercium tempore Capituli generalis.

1. In primis, ne Ordinis nostri [b] tam praeclarus et tam famosus status [c] obfuscetur ex receptione villium personarum et defectum patientium in natalibus, generale Capitulum inhibet, in quantum potest, ne alias de cetero quis in Ordine admittatur ad habitum monachilem, nisi constiterit ipsum de legitimo matrimonio procreatum, absque generalis Capituli licentia [d] speciali; patres abbates de hoc in suis visitationibus inquirant diligenter, et si tales receptos invenerint, eiicere non omittant.

---

[d] *hic desin. U.* [e] *sensum refert W, non vero textum.* [f] etc. ibi dicitur ut diffinitio... : *E.*

1308. *Fontes* : *E* : 2, 3, 5, 8 ; *U* : 1, 2 ; *V* : 1-7 ; *W* : 1-7. [a] *Titulus apud UV.* [b] percelebris titulus... : *UW.* [c] ibi dicitur quod gen. Cap... : *E.* [d] et assensu sub poena eiectionis : *U.*

2. Item, licet animarum zelum habentes omnibus prodesse debeant ex affectu, expedit tamen ut puritati conscientiae non desit iudicium rationis, generale Capitulum considerans iniquum fore quemquam de sua malitia commodum reportare, ordinat et diffinit ut abbates et abbatissae, exigentibus suis demeritis, depositi vel metu poenae cedentes, in omnibus ceteris conventualibus adaequentur nec aliqua gaudeant gratia speciali quae bene meritis ratione praevia est concessa.

3. Item, ut suspicionis et murmuris [e] materia et damnificandi abbatias occasio subtrahatur, sic generale Capitulum duxit ordinandum, quod in omnibus abbatiis Ordinis sit unus vel duo fideles bursarii deputati, qui redditus [f] ipsius abbatiae recipiant, custodiant atque tradant [g], et hoc patres abbates in suis visitationibus tam in abbatiis monachorum quam monialium faciant diligentius observari.

4. Item, quia rerum efficax experientia edocet quantis sit Ordo subiectus dispendiis, quod praesentis temporis discrimina manifestant, generale Capitulum opportuno hiis volens occurrere remedio, ordinat et diffinit ut dominus Cistercii cum quatuor primis abbatibus ad obviandum praedictis aciem suae intentionis dirigant et pro solutione debitorum, ac pro impetrandis conservatoriis privilegiorum perpetuis, nec non etiam libertatibus Ordinis defendendis, similem contributionem imponant abbatiis Ordinis universi, praecipiens abbatibus de regno Franciae et circa montana usque ad Renum, ut summas sibi impositas a patribus, cum residua parte praeteritae contributionis non soluta, in locis ab eisdem patribus deputandis infra instans Pascha solvere teneantur. Alioquin a gradu altaris simpliciter sint suspensi; ceteri vero abbates sequenti Capitulo non differant solvere summas ipsos contingentes, adiecta praeterita contributionis parte residua similiter non soluta, alioquin poenae supradictae sint subiecti. Priores nihilominus, subpriores, cellerarii, bursarii abbatum negligentium solvere praenotata, a suis officiis ipso facto pro depositis habeantur.

5. Item, periculoso et detestabili statui quorumdam capellanorum monialium [h], qui extra septa monasteriorum Ordinis car-

[e] ibi dicitur quod in omnibus domibus... *E.* [f] seu proventus : *E.* [g] tractent : *E.* [h] ibi dicitur quod capellani monial. qui modestiae habenis impudenter laxatis... *E.*

nibus utuntur, in opprobrium et scandalum plurimorum, generale Capitulum obviare desiderans, ordinat et diffinit ut dicti capellani a tali corruptela abstineant, alioquin dictum Capitulum denuntiat eos poenis in diffinitione praeterita contra tales editis simpliciter subiacere, nonobstante quod iidem capellani a personis [i] Ordinis in habitu sint distincti.

6. Item dispersio conventuum Bohemiae, *etc. ut in stat.* 8 *ann. praeced.*

7. Item, abbatibus de Bohemia *etc. ut in stat.* 9 *ann. praeced.*

8. Antiquam patrum laudanda sollertia, etc. ibi dicitur quod [Cap. gen.] ordinat et diffinit ut monachi saeculares ecclesias seu capellas officiantes secundum praeteritae diffinitionis statutum infra tempus duorum mensium, ad propria revertantur monasteria, alioquin a participio Ordinis se noverint esse exclusos. Abbates etiam praecipit extra stallum per quadraginta dies remanere, qui eosdem ad propria neglexerint revocare.

1309

Anno [a] Domini millesimo trecentesimo nono statuta sunt haec apud Cistercium in Capitulo generali.

1. In primis, cum parum esset iura condere... : ibi dicitur quod nullus ante decimum octavum annum aetatis suae reciperetur in novitium ; visitatores super hoc in suis visitationibus inquirerent et facerent observari, et abbates, donec tales emitterent, omni sexta feria essent in pane et aqua ; et in hoc tam proprii abbates quam visitatores extiterint negligentes, Capitulum ordinat et praecipit quod visitatores hoc exsequi negligentes poenae subiacebunt supradictae, exceptis illis de remotis regionibus in quibus adulti vix ad conversionem veniunt, quae in praedictis distinctione et capitulo notantur.

2. Item, sicut bonum commune pro viribus procurantes... : ibi dicitur quod quaecumquae personae Ordinis, monachus aut conversus, qui abbates suos impedierint ne obediant ordini aut ordinationi Capituli generalis in exsolvendis contributionibus

---

[i] patribus : *W*.

1309. *Fontes* : *E* : 1-3 ; *UW* : 4 ; *V nihil refert nisi titulum.* [a] *Titulus apud EV.*

pro utilitate Ordinis, cum sibi imponuntur et aliis, emittantur a domo propria ad domos remotissimas, non, nisi per Capitulum generale, reversuri.

3. Item, cum excessus multitudinis... : ibi dicitur quod de cetero plures quam unum conversum et unum famulum sine armis cum duobus equis, aut duos famulos, si conversus convenienter haberi non poterit ullus, tempore Capituli Cistercium introducant ; quicumque abbas de contrario convictus fuerit numerum famulorum vel equorum excedendo aut etiam de tempore sine speciali licentia domini Cistercii introducendo, quatuor primis dumtaxat et abbate Savigniacensi exceptis, tribus diebus continuis, uno eorum in pane et aqua, in expensis propriis statim solutis in hac domo, poenitentiam peragat levis culpae. Consimilem poenam sustineant omnes illi, qui tales postquam ad eorum notitiam pervenerit, distulerint proclamare. Monachi vero qui in Cistercio [inventi] fuerint, coram omnibus in capitulo vapulent, et expulsi statim de Cistercio pedites ad propria revertantur.

4. Quaedam ex distinctione undecima, capitulo primo, de suscipiendis novitiis repetita, itemque de non pluribus personis ad Capitulum generale Cistercium adducendis.

1310

Anno [a] Domini millesimo trecentesimo decimo statuta sunt haec apud Cistercium in Capitulo generali.

1. In primis, cum omne bonum in commune deductum clarius elucescat et vitio iniquitatis et fraudulentiae carere minime videatur, qui patribus abbatibus et eorum commissariis certitudinem status domus suae specialiter in computationibus non revelant integraliter et perfecte, abbatum quorumdam et officialium malitiis super hoc cupiens obviare, districtius praecipit Capitulum generale abbatibus sub poena excommunicationis, prioribus, cellerariis, et bursariis sub poena depositionis, quatinus tempore visitationis de omnibus receptis communibus [b] et expensis fideliter computantes, visitatori statum domus suae fide-

1310. *Fontes* : *G* : 5, 6 ; *U* : 1, 2 ; *V* : 1-5 ; *W* : 1-5. [a] *Titulus apud V* ; *apud U* : Ann. Dom. 1310 ap. Cist. definitur. [b] *deest V.*

liter [c] et integraliter studeant intimare ; nec abbates seu officiales penes se retineant pecuniam aut abscondant [d], sed in loco communi et tuto sub clausura pecunia huiusmodi reponatur.

2. Item, ut via et occasio malignandi malevolis praecludatur, Capitulum generale duxit provide statuendum, quatinus omnes illi, qui conventicula et congregationes suspectas, temporibus et locis suspectis, contra suos superiores malitiose fecerint, vel eis crimen, quod probare non possint, imposuerint vel detraxerint, poena conspiratorum per omnia puniantur, et ne aliqui monachi aut conversi arma habeant vel deferant, nisi in necessitate manifesta, et hoc de abbatis licentia speciali, inhibet Capitulum generale. Qui vero aliter habuerint arma vel portaverint, sententia excommunicationis se noverint innodatos, et si officiales fuerint, ab officiis [e] deponantur.

3. Item, quoniam omne opus stabile debet consilium praevenire, ne post factum contingat operarium poenitere, et Ordo noster variis teneatur debitis graviter obligatus, generale Capitulum ipsis dispendiis praecavere cupiens, Domino Cistercii et quatuor primis committit in plenaria Ordinis potestate, quatinus pro solvendis debitis solito magis urgentibus et ad usuras currentibus, contributionem faciant prout relevationi Ordinis noverint expedire ; et si abbates summas sibi impositas non solverint statutis terminis, ad solutionem usurarum se noverint obligatos.

4. Item, cum ab omnibus comportari debeat quod communiter tangit omnes, et anno praeterito omnibus abbatibus iniunctum sit, quod summas contributionum sibi impositas, sub poena depositionis, statuto sibi termino, solverent vel apud Cistercium se legitime excusarent, quod plurimi non fecerunt, generale Capitulum eis parcens misericorditer ista vice, iterato eis praecipit et iniungit, quatinus in proximo generali Capitulo dictas contributiones solvant, aut ad Capitulum personaliter veniant suam impotentiam legitime ostensuri. Quod si neutrum, isto spreto mandato Ordinis, ex tunc pro depositis habeantur.

5. Item, depositionem abbatis de Sar [1] factam per patrem abbatem de Pomuk [2] confirmat et ratificat Capitulum generale,

[c] *deest V.* [d] *deest V.* [e] *deest V.*

[1]) Fons S. Mariae in Saar. [2]) Nepomucum.

et praecipit ipsum cum suis complicibus excommunicari per provinciam illam in omnibus Ordinis abbatiis. Committit etiam idem Capitulum patri abbati supradicto, ut provideat monasterio de persona idonea et probata, per electionem canonicam vel alias, prout secundum Deum et Ordinem viderit expedire.

6. Emissio conventuum de Alderspach et de Pilthusen [1] et de Cella Principum committitur patribus abbatibus in [plenaria] Ordinis potestate, et dispersionem in Hylaria factam per visitatorem ratificat Capitulum generale.

1311

Anno [a] Domini millesimo trecentesimo undecimo statuta sunt haec apud Cistercium tempore capituli generalis [b].

1. In primis [c], cum clamor validus super multiplici excessu quorumdam visitatorum aures propulsaverit Capituli generalis, idem Capitulum cupiens remedium adhibere ordinat et diffinit ac omnibus abbatibus in virtute sanctae obedientiae firmiter interdicit, ne de cetero monachi mittantur ad visitandum, nisi de ipsius Capituli petita licentia speciali et obtenta, et nihilominus si dicti patres a biennio vel circa missos culpabiles vel excessisse invenerint, ipsos facta diligenti indagatione secundum quantitates excessuum punire sub poena excommunicationis praecipit Capitulum generale.

2. Item, exigit perversorum audacia, ut non prohibitione culparum contenti, poenam delinquentibus infligamus. Igitur clamorem qui super esu carnium ac ministratione aures Capituli generalis propulsaverit, non valens Capitulum generale diutius sustinere, ceteris diffinitionibus ac prohibitionibus cum poenis appositis in suo robore perdurantibus, adiungit Capitulum generale omnibus personis Ordinis firmiter prohibendo ne intra abbatiarum terminos quibuscumque personis saecularibus aut alterius religionis cuiuscumque conditionis aut status existant, carnes administrent ; nec abbates nec quaecumque personae

1311. *Fontes* : *U* : 1 ; *V* : 1-5 ; *W* : 1-5. [a] *Titulus apud UV.* [b] sequentia : *U.* [c] Defectibus et excessibus quorumdam visitatorum Cap. gen. : *UW.*

[1]) Bildhusa.

Ordinis tales in mensis suis, nisi infirmitorio ad esum carnium admittere presumant. Contravenientes poenas talibus constitutas teste conscientia sustineant, et nihilominus sub poena excommunicationis sicut prohibet Capitulum generale.

3. Item, cum cautius sit agendum ubi maius periculum timeatur, domino Cistercii et quatuor primis committit Capitulum generale, quatinus persolvendis debitis iam contractis, et in posterum certis ex causis necessario contrahendis, contributiones faciant prout relevationi et utilitati Ordinis viderint expedire, et si abbates summas sibi impositas ab ipsis patribus, locis et terminis statutis, non solverint, omni sexta feria sint in pane et aqua ; quamdiu poenam istam facere distulerint, gradum altaris non ascendant ; et nihilominus prior et subprior, cellerarius et bursarius pro depositis habeantur.

4. Item, cum ea quae sancta romana instituit ecclesia cedant ad honorem et salutem animarum, debemus summopere custodire et pro nostris viribus adimplere.

5. Item, abbatibus extra regnum Franciae constitutis praecipit Capitulum generale, misericorditer ipsis parcens ista vice, ut usque ad sequens Capitulum generale solvant summas sibi impositas, quod si non solverint pro depositis habeantur. Bursarii vero et cellerarii ab officiis amoveantur, non promovendi ad aliqua officia sine consensu Capituli generalis.

1312

Anno [a] Domini millesimo trecentesimo duodecimo statuta sunt haec apud Cistercium in Capitulo generali.

1. In primis, cum debeamus nos regulae sancti Benedicti et Clementinae, quantum possumus, conformare, statuit Capitulum generale ut esus carnium quantum ad omnes personas Ordinis, tam tempore visitationis quam tempore Capituli generalis, quam etiam aliis temporibus, more solito amplius constringatur, ut in hoc modus contentus in regula et Clementina, prout erit possibile, teneatur ; excedentes per suos superiores secundum proportionem excessuum puniantur. Diffinitio[ne] anno praete-

---

1312. *Fontes* : *U* : 2, 3, 5, 8, 10 ; *V* : 1-7, 9 ; *W* : 1-6, 8-10. [a] *Titulus apud V* ; *apud U* : tempore Cap. gen. apud Cist. sequentia sunt statuta.

rito edita super esu carnium, quantum ad hoc quod carnes in mensis abbatum et monachorum nisi infirmitorio saecularibus non ministrentur [permanente].

2. Item, ut in visitationibus ab excessivis sumptibus caveatur. Ne [b] sint visitatores in petendo delicata cibaria, illis quos visitant onerosi.

3. Item, quia munera excecant oculos prudentum et subvertunt verba iustorum, districtius inhibet Capitulum generale, ne in visitationibus dentur vel accipiantur munera [c] quae de sui natura et quantitate et intentione dantis et accipientis [d] possent recipientes a rectitudine equitatis [e] declinare. Sed si aliqua dantur vel recipiuntur, hoc solum sit in casu per Clementinam concesso, et secundum modum ibidem expressum, scilicet quando aliqua caritative et liberaliter offeruntur.

4. Item, cum in multis regionibus fervor observantiae regularis sit nimium relaxatus, et super hoc quaerimonia Capitulo generali sit delata, idem Capitulum committit domino Cistercii et quatuor primis abbatibus, ut de communi ordinatione et assensu ista vice mittant aliquas personas sapientes et discretas, Deum habentes prae oculis, et manus excutientes ab omni suspecto munere, ad dictas regiones reformatione indigentes, qui auctoritate dicti Capituli corrigant et reforment tam in capite quam in membris quae correctione et reformatione noverint indigere, et si quae gravia vel dubia invenerint, referant sequenti Capitulo generali.

5. Item, cum electio sit actus voluntatis exigens et supponens animi libertatem, praecipit Capitulum generale ut omnino caveatur a suspectis muneribus, promissionibus illicitis, minis et terroribus et impressionibus quibuscumque directe vel indirecte clam vel palam, per patrem abbatem vel per alium quemcumque, qui possit impedire in ipsis electionibus libertatem. Qui autem in praedictis culpabilis inventus fuerit, si pater abbas fuerit, ipso facto sit privatus a confirmatione immediati successoris. Si autem commissarius fuerit, per quadraginta dies sit extra stallum, et per tres dies faciat levem culpam et nihilominus sit in pane et aqua omni sexta feria usque ad sequens Capitulum generale, et similem poenam sustineant qui fuerint assistentes in

---

[b] neque illi qui visitant : *UW*. [c] suspecta : *UW*. [d] recipientis : *UW*. [e] equitates : *W*.

talibus et fautores, nec per hoc excludit Capitulum generale, quin notabiliter excedentes in praemissis per depositionem vel alias gravius puniantur.

6. Item, cum albus habitus iugis sit consonus primae institutioni nostri Ordinis, vitamque contemplativam ac interiorem munditiam perfectius representet, uniformitas habitus inter religiosos eiusdem professionis potissime in locis claustralibus et conventualibus sit habenda, statuit generale Capitulum, ut omnes abbates et monachi nostri Ordinis intra monasteriorum claustra albis utantur gugullis, ubi panni albi sine gravi dispendio reperiri poterunt ; tamen patres abbates quantum ad dormitorium et infirmitorium super hiis poterunt dispensare.

7. Item, cum doctrina sacra sit de hiis quae maxime pertinent ad salutem, et per sapientes et clericos possit Ordo noster vigere, immo et multipliciter honorari statuit Capitulum generale ut ad studium Parisiense et ad alia sollemnia studia mittantur personae idoneae et aptae ad proficiendum, secundum facultates abbatiarum et numerum personarum.

8. Item, cum doctrina sacra, *etc. ut supra*, in abbatiis habeatur ad minus ter in septimana lectio de sacra scriptura, ubi et quo fieri poterit bono modo, et sit talis lectio, in qua omnes generaliter, tam simplices quam subtiles, haurire possint talia, per quae proficere valeant ad salutem animarum.

9. Item, [cum] ab alienatione possessionum sit cavendum, inhibet Capitulum generale ne de cetero tradantur grangiae vel cellaria ad vitam vel perpetuitatem, cuicumque personae extraneae, cum per hoc possit periculum alienationis evenire. Qui autem contrarium fecerit per depositionem vel alias graviter puniatur. Si vero possessiones vendi a dicto Capitulo concessum fuerit, prius teneatur personis Ordinis vendere et offerre.

10. Item, effrenatae rei abusionem laudabili moderamine generale Capitulum temperare cupiens, ordinat ut de cetero nulli liceat, visitatoribus dumtaxat exceptis, ad abbatias monialium cuiuscumque rei gratia declinare, nisi evidens utilitas aut necessitas aliud exigat aut requirat.

1313

Anno [a] Domini millesimo trecentesimo decimo tertio statuta sunt haec apud Cistercium in Capitulo generali.

1. In primis, cum ubi gravius periculum imminet, requirendum sit et utendum consilio saniori, et Ordo noster damna quam plurima ex quorumdam abbatum secretis obligationibus incurrit, Capitulum generale volens futuris periculis opportunis remediis obviare, ordinat et diffinit, quod de cetero nulla persona Ordinis possit debita contrahere summam centum librarum turonensium excedentia, vel locare immobilia ad vitam, vel ad perpetuitatem vendere sine consilio conventus sui seu partis etiam sanioris, et qui contrarium fecerit, teneatur se recognoscere in Capitulo generali, ad praesidentis arbitrium puniendus.

2. Item, cum parum videatur proficere mundanis abrenuntiasse divitiis atque lasciviis, et in iis iterum implicari, quorumdam generosorum et aliorum plurium, qui status et morum conversionem professi fuerant, ut sub humili religionis habitu possent Dei liberius famulari, et postea suae professionis obliti secundum pristinum se gerere non verentur, Capitulum generale videns excessus multiplices, ordinat et diffinit, quod nullus monachus aut conversus, quantuncumque de generosa prosapia fuerit procreatus, aut cuiuscumque conditionis existat, equos, armigeros famulos, pensionem annuam seu quodcumque aliud ultra Ordinis communia, de cetero audeat retinere, praecipue cum ista sint occasio periculi animarum, nisi cum ad talia officia fuerint deputati quae praemissa vel eorum aliqua ex necessitate requirant.

3. Capitulum generale confirmat venditionem abbatiae de Dunamunde, quae per patrem abbatem de Stolp[a] facta fuerat ; quam abbas Alexander de Oliva utilem esse Ordini testatur.

4. Petitio ducis Austriae, qui petit quod in terra sua festum Corporis Christi cum duodecim lectionibus et una missa celebretur, si conventus eiusdem terrae consenserit, exauditur.

1313. *Fontes* : *G* : 4 ; *U* : 1, 2 ; *V* : *titulus tant.* ; *W* : 1-3. [a] *Titulus apud U* : Anno Dom. 1313 tempore Cap. gen. apud Cist. sequentia sunt statuta.

1314

Anno [a] Domini millesimo trecentesimo decimo quarto statuta sunt haec apud Cistercium in Capitulo generali.

1. In primis, cum cultus divinus, inter filios Dei summi regis servicio deputatos [b], sit semper et ubique merito ampliandus, cum ex eo fructus copiosior apud largitorem omnium acquiratur, decrevit Capitulum generale salubriter ordinare quod de cetero in omnibus missis de Spiritu Sancto decantandis, tam in conventu cum nota quam in privatis missis sine nota, *Gloria in excelsis Deo* devote dicatur, sicut in missis Beatae Virginis diebus sabbatis.

2. Item, quia nemo tenetur propriis stipendiis militare, nec ad serviendum altari absque spe retributionis temere obligari, ordinat Capitulum generale et diffinit quod, quicumque a Christi fidelibus missa quotidiana seu capellania in aliquo monasterio Ordinis petitur celebrari, ante obligationem conventus pro huiusmodi servitiis adimplendis, a dictis petentibus prius certi redditus assignentur ; si aliter factum fuerit, iudicat generale Capitulum promissiones seu conventiones inter ipsos initas nullam firmitatem obtinere. Pecunia autem, si quae inde recepta fuerit, in emptionem reddituum convertatur.

3. Item, temeritatem aliquorum de Ordine, qui suae salutis immemores, obliti quod erant antea, nolunt abbatibus propriis profiteri, admirans Capitulum generale nec reputans monachos qui non militant Domino sub regula vel abbate, ordinat et diffinit quod, postquam abbas aut abbatissa creati fuerint, infra duos menses omnes monachi, conversi, moniales et conversae suo abbati vel abbatissae professionem faciant humiliter, ut tenentur. Alioquin habeantur ex tunc pro fugitivis Ordinis, nisi per impedimentum legitimum excusentur. Cui poenae presentes subiaceant, nisi professionem fecerint in instanti.

4. Item, ne multiplicitas camerarum monialium Ordinis eis occasionem tribuat malignandi, diffinit perpetuo generale Capitulum, ut pro quibuscumque monialibus Ordinis, nulla de novo camera de cetero construatur ; quod si fieri contigerit, irreme-

---

1314. *Fontes* : *G* : 7,8 ; *VW* : 1-6. [a] *Titulus apud V tant.* [b] deputatus : *W*.

diabiliter destruantur. Moniales autem huic salubri mandato rebelles et inobedientes excommunicationis sententiam se noverint incurrisse, nec plus quam duae de genere abbatissae in eodem monasterio de cetero induantur, si possit fieri bono modo.

5. Item, [cum] possessiones monasteriorum Ordinis possent per subtractas particulas taliter minorari quod eas ad quantitatem minimam contigerit devenisse finaliter, eapropter Capitulum generale duxit provide statuendum ut quandocumque aliquibus detur specialis gratia vendendi possessiones aliquas, quas dicunt minus utiles, pro emendis utilioribus, aut etiam permutandis, non est intentionis ipsius Capituli generalis confirmare et ratificare vel venditiones vel permutationes huiusmodi, quousque aliis possessionibus exhibita pecunia plenarie certificetur Capitulo supradicto, et hoc idem fiat de locationibus perpetuo vel ad vitam, nec aliter facti contractus super hoc robur obtineant firmitatis.

6. Item, cum in recessu abbatum de Capitulo vix possunt victualia quadragesimalia inveniri, ordinat et diffinit Capitulum generale quod ieiunia quatuor temporum in septembri et in vigilia Mathei apostoli, per totum Ordinem cum lacticiniis ieiunetur.

7. Contributio moderata pro subveniendo domino cardinali Albo [1] et aliis negotiis Ordinis incumbentibus facienda, domino Cisterciensi et quatuor primis committitur in plena Ordinis potestate. Qui vero non solverint loco et termino eis a patribus abbatibus assignato, prior et cellerarius et bursarius ab officiis deponantur, nec aliqua officia usque post solutionem exsequantur.

8. Item, licet praelatus quanto efficitur prudentior, tanto sit magis idoneus ad regendum, Ordoque eminentius per litteratos tam honorem quam commodum multipliciter assequatur, quia tamen abbatis officium magis oneris est quam honoris, vix potest quisquam simul vacare commode studio et sollicitudini pastorali, idcirco Capitulum generale ordinavit et diffinivit, ut nullus abbas, nisi prius resignare voluerit, de cetero sit scolaris sed honore habito sit contentus, cuiuscumque quantaecumque conditionis existat, super concedendi licentiam auctoritate per idem Capitulum denegata. Praecipitque dictum Capitulum licen-

---

[1]) Arnaldus Novelli, ord. cist. antea abbas Fontis frigidi; † 14 aug. 1317.

ciandis in theologica facultate, quod suis principiis faciant expensas moderatas.

1315

Anno [a] Domini millesimo trecentesimo decimo quinto statuta sunt haec apud Cistercium in Capitulo generali.

1. In primis, quaecumque persona Ordinis propter defectum victualium aut vestimentorum scienter ac malitiose a divino servitio se subtraxerit et ecclesiam intrare noluerit poena conspiratorum puniatur. Si vero defectus aliquis notabilis per negligentiam officialium administrantium et specialiter abbatis loci evenerit, punitio talis seu defectus vel negligentia usque ad visitationem sequentem differatur, et in visitatione, illi per quorum negligentiam aut malitiam defectus talis evenerit, secundum sua demerita absque fictione simulatoria [b] puniantur.

2. Item, quod ex gratia concessum non debet trahi ad perniciem, unde nullus praesumat defendere aut allegare septimanas consuetudinarias ad esum carnium esse debitivas et pro iure concessas. Sed tantum abbas gratiose personis indigentibus carnes poterit ministrare, cum sibi visum fuerit expedire, prout in regula continetur, qui vero dictam consuetudinem voluerit procaciter defendere tribus diebus uno eorum in pane et aqua poenitentiam peragat levis culpae.

3. Item, ne ex receptione personarum emissarum monasteria nimis graventur, ordinat Capitulum ut ubi sunt viginti personae, unus hospes recipiatur, ubi vero quadraginta duo et sic deinceps usque ad centum.

4. Item, Capitulum admittit quod bona terrae seu possessiones possint tradi saecularibus ad vitam seu ad firmam [c] perpetuam, si ex tali locatione est, vel esse poterit, utilitas manifesta ; dictam autem utilitatem teneantur filii abbates patribus in visitationibus intimare.

5. Item, abhorrenda temeritas improbitas sic quorumdam animos irretivit quod in tantam audaciae vesaniam prorumpunt, ut postposita paternali reverentia in abbates manus iniiciant

---

1315. *Fontes* : *G* : 8 ; *VW* : 1-7. [a] *Titulus apud V tant.* [b] simulatorum : *W*. [c] formam : *W*.

violentas. Unde Capitulum ordinat quod quicumque monachus aut conversus hoc attentare praesumpserit, seu abbatem expulerit, vel ingressum negaverit vel detineri procuraverit, per se vel per alios, ubicumque et undicumque, publice vel privatim, per sententiam excommunicationis perpetualis carceri districtissime mancipetur nec relaxetur a carcere nisi per Capitulum generale. Qui vero iniuriosa verba seu minas abbati intulerint poenae conspiratorum debent per omnia subiacere, et haec diffinitio ad moniales extendatur.

6. Item, cum commodum et profectus naturaliter debeant a patribus in filios derivari, statuitur ut nullus dispensationem super quocumque casu sine patris proprii licentia audeat impetrare, secus vero faciens careat impetratis.

7. Item, qui abiecto iugo Ordinis per saeculum devagantur Ordinem dehonestando, abiecto vel non abiecto habitu, sive sit monachus, sive conversus vel monialis, per quinquennium privetur habitu regulari.

8. Item, diffinitionem anno praeterito editam, quod abbates ad studia Ordinis sollemnia morandi gratia non accedant, nisi prius resignaverint abbatias, sic decrevit Capitulum generale temperandam, quod licentia domini Cisterciensis et quatuor primorum cuiuslibe [a] in generatione sua proprii et patris abbatis assensu et voluntate conventus, nullus abbas existens ad standum in dictis studiis admittatur.

1316

Anno Domini millesimo trecentesimo decimo sexto statuta sunt haec apud Cistercium in Capitulo generali.

1316. *Fontes* : *G* : 1 ; *V* : *titulus tant.* ; *W* : 2. — *Apud* L^1, *immediate ante secundam partem, legimus sequentia* :

Nota quod anno Domini 1316 fuit compilatus *Libellus Diffinitionum*. Anno autem 1350 fuit facta additio quae dicitur *Novellae* ; et ita omnia quae habentur in Registris diffinitionum usque ad annum Domini 1350 sunt collecta in eisdem *Libello* et *Novellis*, et sic ipsa integra manent, sic ea quae habentur in isto et universis sequentibus bene examinanda et ponderanda sunt, quia derogatur contentis in eisdem *Libello* et *Novellis* ubi eis adversantur. Anno 1390 de sigillo Diffinitionum.

1. Cum Ordo noster multipliciter sit gravatus, Capitulum generale ordinat quod mediocris et moderata fiat contributio pro servitio domini Papae facto, et expensis factis et faciendis in romana Curia, et pro domino cardinali nostro, quae contributio domino Cisterciensi et quatuor primis committitur ordinanda, ita quod abbates in provincia Burdigalensi et ceteri in Montepessulano certo mandato domini Cisterciensis, illi vero qui sunt citra montes, Rhenum et mare, Parisius in Sancto Bernardo in mense Paschae, ceteri autem omnes abbates in Cistercio tempore Capituli generalis summas eis impositas absque defectu solvere teneantur. Si vero non solverint locis et terminis nominatis, abbates extra stallum abbatis erunt donec persolverint ; prior vero, cellerarius et bursarius ab officio deponantur nec aliquod officium exsequantur, donec persolverint.

2. Capitulum generale omnibus eleemosinas monasterio Campensi praestantibus fraternitatem et participationem omnium bonorum, quae in Ordine fiunt, concedit.

1317

Anno [a] Domini millesimo trecentesimo decimo septimo statuta sunt haec apud Cistercium in Capitulo generali.

1. In primis, ut [b] gloriosae Virginis Mariae in nostris cordibus

---

D^1, *sub anno* 1316, *proponit quinque statuta quae casus referunt excommunicationis latae a Capitulo generali in diversis tamen annis. Sunt haec* :

1. Toute personne religieuse qui oserait appeler contre les statuts de l'Ordre ou bien qui appellerait contre l'obéissance à la correction régulière du Père immédiat, encourt la peine d'excommunication.

2. Celle qui méprisant le jugement et la correction des supérieurs qui président au chapitre qui se tient tous les jours dans chaque monastère, s'obstinerait à attendre la décision des Pères immédiats, est condamnée à la même censure.

3. Celles qui porteraient leur appel hors de l'Ordre, ou qui favoriseraient ces sortes d'appels, sont sujettes à la même peine.

4. Celles qui, au mépris de la discipline régulière, obtiendraient des privilèges particuliers, des exemptions ou dispenses, des droits ou permissions contre les règles et instituts communs de l'Ordre, ou qui les garderaient et en useraient, sont également excommuniées.

5. Celles qui, se laissant aller à l'esprit d'orgueil, écriraient des libelles diffamatoires contre quelqu'un, qui les garderaient, ou les feraient répandre, toutes ces personnes sont liées de la sentence d'excommunication.

1317. *Fontes* : P^8 : 1-20 ; P^9 : 1-17 ; *V* : 1, 2, 5, 9, 11, 12, 21 ; *W* : 1, 2, 5, 9, 11, 12, 21, 22. [a] *Titulus apud* P^8P^9V. [b] quatinus : *VW*.

memoria iugiter devotius [c] imprimatur, et a nobis congruis honoribus veneretur, ordinat generale Capitulum et diffinit quod de cetero commemoratio Beatae Mariae fiat et dicatur antiphona *Spiritus Sanctus superveniet*, et versus *Ecce ancilla Domini*, collecta *Laetifica et adiuva nos*, post horas canonicas extra chorum dicendas [d] ab omnibus personis Ordinis universi. Nomina etiam beatissimorum confessorum Edmundi et Malachiae quorum reliquiae et corpora apud nos sunt in honore, de cetero et in litania Ordinis post beatum Petrum confessorem pronuntientur, in libris cum eorumdem sanctorum nominibus conscribantur.

2. Item, generale Capitulum cupiens libertates, iura et bonas consuetudines Ordinis nostri in suo robore conservare, prohibet abbatibus Ordinis universi ne ad preces vel minas cuiuscumque principis [e] vel domini temporalis, aliquem praesumat recipere ad habitum regularem, nonobstante quod dicti principes seu domini dicant sibi hoc competere de consuetudine, de iure ; quod si secus actum fuerit, recipiens ipso facto sententiam excommunicationis incurrat, et receptus per patrem abbatem [f] expellatur, nisi super hoc habeat privilegium speciale ; poterunt tamen patres abbates iustas preces pro personis idoneis exaudire.

3. Item, paci et tranquillitati domus Cistercii providere cupiens, Capitulum generale ordinat et diffinit et districte prohibet, ne abbates, monachi et conversi et famuli [g] abbatum ad Capitulum venientes, in ingressu in Cistercium, arma et cultellos acuminatos deferant secum quoquo modo. Si abbates, monachi et conversi contrarium fecerint, aut scienter famulos suos portare permiserint, excommunicationis sententiam se noverint incurrisse; famuli culpabiles a servitio Ordinis perpetuo excludantur ; nec in fraudem arma sua dimittant in Cistercio ante ingressum Capituli generalis aut permittant, sub poena praedicta. Ordinat etiam generale Capitulum ut rixae et contentiones evitentur, et quod dabitur prima die Capituli abbati cuilibet in refectorio vel alibi signum et quilibet abbas illud signum dabit famulo suo quod deferet in locum in quo avena libratur ; qui vero illud signum non habuerint nihil reportabunt ; famuli vero ad habendum avenam accedant secundum generationes ordinate.

---

[c] devotio : *P*[8]. [d] dicatur : *VW*. [e] cuiuslibet domini... saecularis : *P*[8].
[f] de monasterio : *VW*. [g] seu familiares : *P*[8].

4. Item, diffinitionem anno praeterito editam de capellanis monialium sic temperat Capitulum generale, districtius inhibendo ne aliqua persona cuiuscumque status existat de cetero recipiatur in capellanum in abbatiis monialium ad habitum regularem sine patris abbatis illius monasterii petita licentia et obtenta ; nec iam recepti vel recipiendi confessiones monialium audiant absque eiusdem patris abbatis licentia speciali. Si vero in aliquo monasterio monialium huiusmodi capellani de cetero contra istam inhibitionem recipiantur, monasterium supponatur ecclesiastico interdicto quamdiu ibidem moram traxerint, et abbatissae ipsos recipientes excommunicationis vinculo innodantur.

5. Item, ut in nostris actibus uniformitas observetur, generale Capitulum ordinat et diffinit quod de cetero in principio et in fine comestionis ubique stando, exceptis graviter infirmantibus et impotentibus Domino gratiae devote et humiliter referantur.

6. Item, cum ex mutuo servitio praemium uberius consequamur [h], generale Capitulum ordinat quod monachi et conversi Ordinis in communibus [i] infirmitoriis sibi invicem serviant, et personae saeculares ab huiusmodi famulatu, quantum possibile fuerit, excludantur. Illi tamen qui propter intolerabilem infirmitatem sunt ab aliis segregati, saeculares servientes habere poterunt, ubi abbati visum fuerit expedire, et fratres servire nolentes in pane et aqua pro inobedientia puniantur.

7. Item, ut futuris periculis congruis remediis succurratur, ordinat Capitulum generale quod quandocumque contributionem in Ordine fieri contingit pro necessitatibus et libertatibus Ordinis defendendis, pecunia apud Cistercium conservetur in archa ad hoc assignata, cuius quilibet quatuor primorum abbatum clavem habeat et suum receptorem, solvatur tempore Capituli generalis pro pretio quo recipitur Parisius monetae currentis.

8. Item, quod nemo de suo bono debet incommodum reportare, Capitulum generale ordinat et diffinit quod quandocumque abbates Ordinis dilationem debitorum impetraverint ab aliquo domino gratiose, ad illa debita et censuras quae debentur personis Ordinis minime extendatur ; qui secus fecerit sententiam excommunicationis incurret ipso facto ; eidem poenae subia-

---

[h] exsequamur : *VW*. [i] conventibus : *W*.

ceant qui iam impetrata tali gratia uti praesumerent quoquo modo.

9. Item, ut vitium proprietatis a personis Ordinis cautius evitetur, districtius inhibet Capitulum generale ne monachi aut conversi officia in monasterio seu extra, non habentes pecuniam penes se retineant quoquo [j] modo. Officiales autem penes se et in sua custodia ex causa [k] et de abbatis licentia poterunt retinere. Abbati tamen suo ea quae habent debent fideliter intimare et de eisdem dicto abbati quandocumque requisiti fuerint reddere rationem; alioquin poenae proprietariorum per omnia subiacebunt.

10. Item, cum ab omni illicito et suspecto munere nos doceat propheta penitus abstinere, generale Capitulum a visitatoribus Ordinis istud vult et praecipit districte et inviolabiliter observari, et quod visitatores a quocumque subdito donum quodcumque praeter mandatum seu voluntatem proprii abbatis donantis recipere non praesumant; quod si secus praesumptum fuerit, tam donans quam recipiens sententiam excommunicationis incurrant; a qua quidem sententia recipiens minime absolvatur donec de receptis restitutionem fecerit integram et perfectam, vel in proposito fuerit facere satisfactionem quam citius poterit de receptis; et per praedicata nullum ligari intendit dictum Capitulum nisi donum summam viginti solidorum parvorum turonensium excedat. Moderatas tamen expensas visitator accipere poterit ab abbate, ita tamen ut praemissis nullam fraudem, dolum vel concussionem faciat vel committat.

11. Item, cum ubi maius periculum et dubietas imminent, sit cautius et clarius procedendum, generale Capitulum circa electiones in Ordine celebrandas ordinat cautius procedendum videlicet quod quandocumque electionem in nostro Ordine in discordia contigerit celebrari, ille qui a duabus partibus electus fuerit, si electa persona fuerit idonea, et electores ad eligendum habiles, per patrem abbatem vel eum cui in praemissis commiserit vices suas, electus modo praedicto absque contradictione qualibet confirmetur; et quia electio modo debito non procedit absque mutuo consensu eligentium et electi [l], prohibet Capitulum generale electionem quamcumque confirmari donec electae personae

---

[j] *deest VW.* [k] *deest VW.* [l] *deest VW.*

habeatur consensus et ad consentiendum electioni abbas electi ipsum electum inducere teneatur.

12. Item, cum ea quae sunt arduis laboribus exarata et utiliter recollecta, sint merito ab omnibus personis Ordinis observanda, statuit Capitulum generale quod *Libellus diffinitionum antiquarum* noviter compilatus et omnibus personis Ordinis inviolabiliter et firmiter teneatur, aliis libellis diffinitionum annulatis et penitus revocatis.

13. Item, cum frequens emissio personarum Ordinis pro culpis ad alia monasteria confusionem pariat et discrimen, generale Capitulum cupiens talium culpabilium evagationem aliqualiter refrenare, ordinat et diffinit quod quicumque abbas monachum suum aut conversum emiserit pro culpa, decem libras turonensium parvorum abbati ad quem missus fuerit, per annum pro expensis refundere teneatur, et emissus ab abbate ad quem missus fuerit vestes et calceamentorum necessaria percipiet prout monachi et conversi illius monasterii professi percipiunt, et secundum patriae qualitatem. Diffinitiones Capituli de huiusmodi emissis editae in suo robore permanebunt prout in nova compilatione diffinitionum plenius continetur. Si quis vero abbas monachum ad se missum pro culpa vel dispersione retinere recusaverit aut conversum, decem libras turonensium parvorum abbati mittenti solvere non omittat, quandocumque ab eodem fuerit requisitus, nisi super hoc per generale Capitulum dispensatum fuerit cum eodem ; monachi et conversi pro culpa emittendi, et si in monasteriis ad quae mittentur moram trahere voluerint, aut de suis monasteriis exire renuerint, pro sua inobedientia carceri mancipentur.

14. Item, translationes abbatum et abbatissarum in Ordine non fiant de cetero, nisi secundum formam in privilegio domini Clementis Papae IV traditam et expressam, nisi forte per aliquam imminentem utilitatem de domini Cistercii et quatuor primorum abbatum licentia aut saltem alterius ipsorum cum ipso domino Cistercii aliter oportuerit ordinari et concedi. Quicumque vero aliter praesumpserit, tum transferens quam translatus se esse depositos noverint ipso facto auctoritate Capituli generalis.

15. Item, dubietatis scrupulum volens generale Capitulum a quorumdam mentibus amovere, diffinitioni alias editae de pensionibus concessis vel concedendis abbatibus sponte cedentibus et

bene meritis [m], addit Capitulum generale quod si iterato ad abbatiae regimen contingerit promoveri et inde postmodum sponte cedere, huiusmodi pensio post cessionem non expiret, sed eadem gaudeat libere sicut prius.

16. Item, ad abolitionem fictae artis alchimiae [o] inhibet Capitulum generale personis Ordinis universi sub poenae excommunicationis latae sententiae in quoquo modo dicta arte uti audeant vel praesumant. Quaecumque vero personae Ordinis quae aliquos uti cognoverint denuntiare sub eadem poena superioribus teneantur.

17. Item, excessus notabiles personarum Ordinis in pumpis et curiositatibus quae paupertatem monasticam dehonestant, cupiens generale Capitulum refrenare, praecipit personis Ordinis universi ut a multitudine equorum et familiae et a vasis argenteis deferendis se retrahant, et a vestibus pretiosis et nimium coloratis.

18. Item, expeditionem et promotionem negotiorum Ordinis in romana Curia, generale Capitulum committit domino Cistercii et quatuor primis abbatibus, adiunctis ipsis de Pruliaco et Caroloco abbatibus, in plenaria Ordinis potestate. Negotium etiam de taxatione bonorum immobilium monasteriorum Ordinis in regno Franciae facienda ipsis committit Capitulum generale, sicut alias extitit a generali Capitulo ordinatum.

19. Item, comestionem carnium monachis confessoribus monialium concedendi generale Capitulum committit domino Cistercii et quatuor primis cuilibet in generatione sua, ut inde faciant quod saluti animarum ipsorum videbitur expedire.

20. Item, studium promovendorum in partibus Lombardiae committit generale Capitulum domino Cistercii in plenaria Ordinis potestate, ut inde faciat quidquid viderit ad honorem Dei et utilitatem Ordinis pertinere.

21. Item, contumaciam et rebellionem quorumdam abbatum, qui ad Capitulum generale non venerunt, nec se legitime excusarunt, graviter ferens Capitulum generale ipsos citat, ut sequenti anno veniant, secundum ipsorum demerita puniendi.

22. Cum abbas de Lucka prope grangiam suam Hamelspringe capellam lapideam aedificare inceperit, Capitulum gene-

---

[m] regentibus : *P*[8]. [o] arq[ue]miae : *P*[9].

rale omnibus benefactoribus plenariam participationem bonorum spiritualium in Ordine concedit.

1318

Anno [a] Domini millesimo trecentesimo decimo octavo statuta sunt haec apud Cistercium in [b] Capitulo generali.

1. In primis, ut fragilitatis humanae praesidium peregrinationis nostrae viaticum pretiosissimum corporis Domini nostri Iesu Christi sacrificium, cuius sancta oblatione non solum sancti[c] sanctorum omnium memoriam colimus [d] spiritualem, verum etiam realem ipsius, licet sub alia forma, praesentiam obtinemus, debitis venerationum obsequiis adoremus et intimis comedemus [e] praecordiis, devotis prosequimur officiis, omissaque circa quotidianum ipsius mysterium devota diligentia suppleamus, diffiniendum duxit non improvide [f] Capitulum generale quod fiat festum de Corpore Christi cum duabus missis et propria historia, feria quinta post octavas Pentecostes, prout a felicis recordationis domino Clemente V in suis [g] constitutionibus in Viennensi concilio editis, est laudabiliter institutum ; conversi ea die in laboribus minime occupentur.

2. Item, cum sancta et salubris est cogitatio pro defunctis exorare, Capitulum generale ordinat [h] et diffinit quod post gratias refectionis in prandio et in coena, *Pater noster*, et *Ave Maria* ab omnibus personis universi Ordinis devotius recitentur antequam *Fidelium animae* dicatur [i].

3. Item, cum Beatissima Dei Genitrix Maria omni [j] laude dignissima a nobis, quorum est advocatrix specialissima, semper et ubique debeat congruis laudibus venerari, statuit [k] et ordinat Capitulum generale quod post horas consuetas ipsius Virginis gloriosae, dicatur ab omnibus personis Ordinis antiphona *Missus est Gabriel*, versus *Ave Maria*, collecta *Omnipotens sempiterne Deus qui gloriosae Virginis*, etc., et post collectam dicatur *Dulce*

1318. *Fontes* : *M* : 1-3, 6, 7, 9 partim, 13 ; P^8 : 1-20 ; P^9 : 1-19 ; *V* : 1-3, 7, 10, 16, 20 ; *W* : 1, 10, 13, 16, 17, 20, 22. [a] *Titulus apud* P^8P^9V.
[b] tempore Cap. gen. : *V* [c] sanctum : *V* ; secundum : *W*. [d] agimus spiritu : *VW*. [e] commendemus : *W*. [f] *hic incip. M*. [g] sanctis : *W*. [h] *hic incip. M*. [i] *M add.* : extra chorum. [j] omni... ubique : *deest V*. [k] *hic incip. M*.

nomen Domini nostri Iesu Christi sit benedictum in saecula, Amen. Et missa eiusdem post missam de conventu diebus sabbatorum per Quadragesimam celebretur, nisi festum fuerit duodecim lectionum.

4. Item, ne Ordo noster, qui debet esse in suis ordinationibus et statutis solide firmatus, aliis in exemplum valeat quibuslibet indebitis novitatibus deviari, generale Capitulum ordinat et diffinit quod non fiant translationes abbatum in Ordine de cetero nisi secundum continentiam Clementinae.

5. Item, cum Curiae romanae tamquam speciales filii et alumni studere debeamus parati desideriis complacere, hortatur nihilominus praecipiendo districte Capitulum generale quatinus, ob reverentiam Beatitudinis Apostolicae ac dominorum Cardinalium et totius Curiae romanae, cursores ac nuntii Papae et Cardinalium ubicumque venerint recipiantur gratiose a personis Ordinis universi. Quicumque vero ipsos receperint indecenter, sciat se in futuro Capitulo generali gravi animadversione plectendum.

6. Item, ne Ordo noster, qui in paucis temporibus, divino suffragante munere, per industriam discretorum de parvo fonte crevit in fluvium possessionum terrenarum, iterum collabi valeat per incursionem iniquorum ad infima paupertatis, inhibet [l] Capitulum generale personis Ordinis universi ne ausu praesumpto audeat quis bona immobilia detrahere, ad pensionem dare perpetuo, vel vendere ad vitam, absque consilio patris abbatis et consensu maioris partis conventus, quorum nomina in scripto ponantur sigillata [m] patri abbati in visitatione proxima ostendenda. Qui aliter fecerit ipsum Capitulum generale ex nunc prout ex tunc excommunicat in suis scriptis, et nihilominus pro falsario habeatur, contractusque nullius habebit roboris firmitatem.

7. Item, ut fraudis et doli excogitata malitia, quae nulli [n] praestare debet patrocinium, a personis Ordinis cautius subtrahatur, districtius [o] quantum potest inhibet Capitulum generale ne aliqua persona Ordinis per modum commendae, mutui vel depositi seu aliter, reponat pecuniam aliquam [p] vel res alias qualescumque, nec fingat se debere debita quae non debet. Qui-

---

[l] *hic incip. M.* [m] sigillatim : P^8P^9. [n] nullum procurare : *V.* [o] *hic incip. M.* [p] animalia : *MV.*

cumque contrarium fecerit, nisi ex causa super hoc licentiam habuerit ab abbate proprio, ipso facto sententiam excommunicationis incurrat ; et deprehensus in hoc tamquam fur et proprietarius puniatur. Eidem sententiae subiaceant qui de rebus ecclesiae sibi redditus seu animalia emi faciunt sub nomine proprio [q] vel alieno.

8. Item, cum illud quod omnes tangit debeat ab omnibus supportari, et ex praeteritorum memoria, quae cautelam futurorum arguit, edocemur, quod ex antiquarum contributionum distributionibus quam plures extiterint gravati et plurimi supportati, ut omnia in lucem clarius producantur, et onere suo quilibet contentetur, deliberatione provida ordinat et diffinit Capitulum generale quod, quotienscumque contributionem fieri contigerit in Ordine, patres abbates per se vel per alios, vel per litteras sigillatas, distributiones quas filiis suis imposuerint, proximo sequenti teneantur intimare Capitulo generali, uni libro ad hoc specialiter deputato distributiones omnium singulariter conscribantur, ita quod qui non solverint ad arbitrium dicti Capituli, per depositionem vel aliter secundum quantitatem demeriti, puniantur.

9. Item, cum appellationis remedium non sit ad defensionem iniquitatis, sed ad praesidium innocentis institutum, non est provocationibus appellantium temere deferendum, maxime cum Ordini nostro per Sedis Apostolicae privilegium sit indultum, ne pro quacumque causa seu difficultate in Ordine emergente, extra Ordinem quis audeat appellare, et per canones prohibemur ne a correctionibus quis appellet. Si quis autem temere appellare praesumpserit, ipso facto sit excommunicatus, et nihilominus usque ad nutum Capituli generalis carceri mancipetur. Qui vero sic temere appellantibus consilium dederit, auxilium vel favorem, per se vel per alium, publice vel privatim, eamdem incurrat excommunicationis sententiam, et poena conspiratorum puniatur. Praecipit [r] tamen Capitulum generale districtione quanta potest abbatibus [s] et iudicibus Ordinis universi, ut in suis correctionibus non excedant. Abbates qui excesserint a suis superioribus acriter castigentur ; quod si non correxerint debito modo, citentur ad Capitulum generale ; quod si per excessum

[q] *deest* P^9. [r] Praecipit... deponantur : *haec tant. habentur apud M.*
[s] et abbatissis : *M.*

correctionum ipsorum scandalum exortum fuerit, deponantur. Fugitivi siquidem Ordinis in romana Curia dicti Ordinis ad propriorum abbatum expensas capiantur et carceri mancipentur, et qui ad Curiam cum debita licentia accesserint, secunda die qua intraverint Curiam procuratori Ordinis personaliter se praesentent et causam sui adventus integre et fideliter exponere teneantur; et si cum debita licentia non accesserint, dictus procurator ipsos expellere teneatur. Quod si recedere noluerint, ipsos capi faciat tamquam Ordinis fugitivos.

10. Item, ut vitium simoniae a personis Ordinis cautius evitetur, et unitas generalis Capituli per adventum abbatum continuum perfectius conservetur, inhibet Capitulum generale ne aliquis [t] procuret, aut quis de voluntate promittat ut a generali Capitulo excusetur; quicumque vero pro tali excusatione aliquid qualitercumque dederit aut promiserit, et qui similiter receperit, ex nunc prout ex tunc ipsum excommunicat Capitulum generale. Poterunt tamen Diffinitores Capituli generalis alicui vel aliquibus abbatibus libere ex causa licentiam concedere a dicto Capitulo remanendi. Huic poenae excommunicationis latae sententiae abbates subiaceant, qui monachos, equos [u] vel famulos ultra taxatum numerum per octo dies ante Capitulum et durante Capitulo apud Cistercium introduxerint, nisi de domini Cistercii licentia speciali; et dicti monachi taliter sine domini Cisterciensis licentia introducti, eamdem excommunicationis sententiam ex nunc prout ex tunc latam a dicto Capitulo se noverint incurrisse. Excipiuntur autem quatuor primi abbates, qui habent super hoc singularem libertatem, et abbates de Prulliaco cum monacho suo, et de [v] Savigniaco cum suo notario, cui propter generationis suae latitudinem concessum est non improvide ab antiquo; et ista gratia libere uti poterunt magistri in theologica facultate.

11. Item, ut status Ordinis in tranquilliori securitate servetur, ordinat et diffinit Capitulum generale quod patres abbates et visitatores cum debitis suis debita filiorum suorum, sequenti anno in conscientiis suis teneantur Capitulo generali fideliter ac certitudinaliter intimare.

12. Item, ut Cartae caritatis continentia, quae est originale novi Cistercii Ordinis fundamentum in suo robore diutius per-

---

[t] det vel promittat: *VW*. [u] *deest* P^9. [v] *de Savigniaco nulla mentio apud VW*.

severet, ordinat et diffinit Capitulum generale quod nulla persona Ordinis, cuiuscumque conditionis, sexus aut dignitatis, irrequisito Ordine, pro quocumque debito, dono vel legato, bona Ordinis capi vel arrestari, per se vel per alium, quocumque exquisito colore faciat vel procuret, per iustitiam saecularem vel eis consilium aut auxilium praebeat vel favorem. Quicumque vero contrarium fecerit, incurrat sententiam excommunicationis ipso facto auctoritate Capituli generalis.

13. Item, quia tantam confert [w] efficaciam digne communicantibus nostrae peregrinationis viaticum, quod imperfectum perfecit, et perfectum ad statum [x] maioris perfectionis perducit, Capitulum generale volens viam devotionis et perfectionis saeculo renuntiantibus aperire, ordinat [y] et diffinit quod novitii Ordinis illo die quo professionem faciunt, novum hominem induentes sacro corpore dominico se muniant, etiam si missa specialiter [z] — quod ordinationi abbatum relinquitur — deberet ipso die propter hoc celebrari [a]. Et hanc diffinitionem ad novitias monialium extendi praecipit Capitulum generale.

14. Item, cum sacra theologia, cui ceterae ancillantur scientiae, sit eo specialius a nostri Ordinis professoribus, ceteris mundalium scientiarum spretis anfractibus, prosequenda, quo per ipsius adeptionem maiorem apud Deum et homines gratiam assequuntur, Capitulum generale universis inhibet, sub poena expulsionis a studio immediate ferenda a provisore studii, ne ad audientiam aliam scientiam praeterquam theologiam limites studiorum Ordinis exeant de cetero, omnibus, quacumque dignitate fulgeant, super hoc dispensandi auctoritate remota ; licentias autem super hoc concessas praesenti constitutione revocat idem Capitulum generale.

15. Item, quoniam anno praeterito facta fuit diffinito qua dicitur quod electio facta per duas partes electorum vel fere, simpliciter confirmetur, confusionem conscientiarum induxerit aliqualem, generale Capitulum illud elucidare cupiens, praecipit quod illud « fere » appositum amoveatur simpliciter, et electus a duabus partibus perfecte sine contradictione aliqua confirmetur, dum tamen alia quae continentur in diffinitione super actu huiusmodi inviolabiliter observentur.

---

[w] inducit : *VW*. [x] perfectiorem : *VW*. [y] *hic incip. M*. [z] specialis : *MVW*. [a] dici : *M*.

16. Item, abolendae dissolutionis abusum quo nonnullae nostri Ordinis moniales, pudoris [b] et verecundiae puellaris immemores, nimis frequenter per saeculum evagantur, in animarum suarum dispendium et scandalum plurimorum refrenare cupiens generale Capitulum ordinat et diffinit, ut ipsas extra monasteria sua non liceat egredi, nisi necessitas, quod conscientiis praelatorum relinquitur, aliud [c] exegerit faciendum. Si quae vero moniales ad balnea qualitercumque processerint extra monasteria, irremissibiliter regulari priventur habitu, et licentiantes eas, ut praefata petant balnea, sententiam excommunicationis incurrant, auctoritate Capituli generalis.

17. Item, ut suspicionis [d] materia [e] de medio resecetur, generale Capitulum censuit statuendum quod quotienscumque inter patrem abbatem et filium discordiam oriri contigerit, personis neutri parti suspectis committitur discordia, auctoritate dicti Capituli terminanda.

18. Item, indemnitatibus monasteriorum Ordinis generale Capitulum providere cupiens, statutum domini Clementis Papae V, volens in omnibus observare universis abbatibus et abbatissis Ordinis inhibet idem Capitulum, ne possessiones eorum ad vitam vel ad certum tempus concedant, pecunia inde recepta [f], nisi iuxta formam quae in constitutione eiusdem domini Clementis Papae praedicti plenius continetur.

19. Item, contributio facienda pro servitiis et expensis factis et faciendis in Curia romana, domino Cistercii et quatuor primis committitur in plenaria Ordinis potestate. Qui vero non solverit locis et terminis statuendis, abbates excommunicationis incurrant sententiam ipso facto, priores, cellerarii et bursarii ipso facto sint depositi, nec officium exsequantur aliud, sub poena excommunicationis latae sententiae, donec de [g] ipsa contributione fuerit plenarie satisfactum.

20. Item, ut futuris periculis salubrius occurratur, provide duxit generale Capitulum statuendum quod fiat sigillum speciale pro sigillandis tantummodo suffragiis, quae conceduntur in Capitulo generali. Diffinitiones vero dicti Capituli de contrasigillo domini Cistercii licite poterunt sigillari, et quae de dicto contrasigillo fuerint sigillatae faciant plenam fidem.

---

[b] indolis : *VW*. [c] aliunde : *VW*. [d] suspentionis modus : *W*. [e] malum : *V*. [f] sine licentia Cap. gen. : P^8 *add. in marg.* [g] imponenda : P^8.

21. Item, quoniam domus Cistercii est multipliciter aggravata, praecipit Capitulum generale, etc.

22. Ioannes XXII Papa vituperat Ordinem Cisterciensem quod abbatiam de Dunamunde vendiderit et ipsi imponit ut privilegia papalia de vendendis abbatiis proponat.

1319

Anno [a] Domini millesimo trecentesimo decimo nono statuta sunt haec apud Cistercium in Capitulo generali.

1. In primis, cum non liceat a capite membra recedere, nec a doctrina patris filios temere deviare, Capitulum generale ordinat et diffinit quod servitium editum per felicis [b] recordationis Urbani Papae ordinationem de festo Corporis Christi, per universum Ordinem die statuto celebretur solemniter et devote.

2. Item, diffinitionem anno praeterito editam de bonis immobilibus minime distrahendis vel ad vitam seu perpetuo concedendis absque consilio patris abbatis, vel maioris partis conventus, quorum nomina in scripto ponantur sigillato sigillo patris abbatis in visitatione proxima ostendendo, sic temperando declarat Capitulum generale quod illud, quod de patribus abbatibus dicitur ad eorum commissarios vult extendi, et poena simili de diffinitione sublata, contrarium faciens se poenam suspensionis latam a canone noverit incursurum, et nihilominus se super hoc recognoscere teneatur in Capitulo generali, aliis poenis debitis ad arbitrium Capituli puniendus.

3. Item, ut in distributionibus contributionum, quas amodo fieri contigerit, omnis fraus et sinistrae suspicionis materia sub-

---

1319. *Fontes* : P^8 : 1-13 ; P^9 : 1-9 ; *V* : 1, 5, 6, 9, 10 ; *W* : 1, 5, 6, 9, 10, 11. D^1 ad hunc annum refert haec duo statuta : 1. Nous voulons et ordonnons que toutes les religieuses qui sont de notre Ordre, ou qui y seront incorporées dans la suite, soient renfermées et gardent la plus exacte et inviolable clôture, ainsi qu'il a été réglé par le S. Siège, et celles qui ne voudront pas se soumettre à la clôture, doivent être retranchées du cors *(sic)* de l'Ordre. 2. Les vices d'attachement et de propriété faisant une espèce d'idolâtrie qui cause la perte de beaucoup d'âmes, nous ordonnons de nouveau qu'aucune religieuse de quelque rang et qualité qu'elle soit, ne s'approprie aucune chose de la vie, comme n'ayant plus le moindre droit de désirer, de retenir, de disposer, ni de posséder en propre quoique ce puisse être. [a] *Titulus apud* P^8P^9V. [b] felicem dominum Urb. : P^9 *qui non citat festum Corp. Christi.*

trahatur, Capitulum generale duxit provide statuendum quod, quandocumque contributio fit in Ordine, taxationes impositionum et certae summae quantitatis superiores patres abbates filiis immediatis distribuant, et reliqua summae quae superest quota eis assignata fuerit per alios inferiores abbates aliis gradatim filiis abbatibus imponant et distribuant, solvendis locis et terminis assignatis.

4. Item, quia temerarium est terminos quos sancti patres provide posuerunt transgredi, districtiori modo quo potest sub poena excommunicationis prohibet Capitulum generale personis Ordinis universi, ne Ordinariis vel praelatis aliis carnes in monasteriis ministrentur, cum talis abusus contra Ordinis honestatem et mentem Sedis Apostolicae nec sit dubium militare.

5. Item, religionem et augmentum divini cultus cupiens Capitulum generale liberaliter ampliare, et fervorem devotionis quorumdam abbatum et quorumdam conventuum Ordinis, qui festa aliquorum sanctorum desiderant in suis monasteriis specialiter celebrari, diligenter attendens, statuit et diffinit quod quilibet pater abbas in filiabus suis hoc concedendi [c] habet facultatem, si per conventum fuerit requisitus.

6. Item, cum Capitulum generale disposuit [d] efficaciter subvenire in necessitatibus subditorum, et ad aures dicti Capituli pervenit quod per indiscretam considerationem personarum Ordinis in via directarum, loca Ordinis magis solito praegraventur, ordinat et diffinit dictum Capitulum quod, quando personae Ordinis in via constitutae ad monasterium nostri Ordinis vel ad alia loca, ubi consuevit hospitalitas exhiberi, causa pernoctandi declinaverint, alia loca propinqua [e] ad unam leucam eidem monasterio non accedant ; sed illa loca monasterio secum propinqua a susceptione hospitum sint exempta, visitatoribus dumtaxat exceptis et aliis personis emissis pro culpa, vel aliis necessitatibus compulsis recipiant in officio caritatis.

7. Item, quoniam propter retardationem et negligentiam solutionum reddituum debitorum, Capitulo generali, domui Cistercii, totique Ordini multa incommoda retroactis temporibus pervenerint, Capitulum generale ordinat et diffinit [quod illi] qui tenentur domino Cistercii vel Capitulo generali in quibuscumque redditibus obligati, illi scilicet qui tenentur pro tempore praeterito

---

[c] instituendi : *VW*. [d] disponat : *W*. [e] propius quam : *W*.

infra Pascha; qui vero non, Capitulo generali solvere eidem domino Cistercii vel satisfacere non omittant. Qui vero praedictis terminis solvere noluerint, suspensionis sententiam ipso facto se noverint incurrisse; quam si animo indurato per spatium duorum mensium subsequentium sustinuerint, sententia excommunicationis lata a Capitulo se sentiant innodatos, a qua si per mensem satisfactione non praemissa absolvi non curaverint per patres abbates vel eorum commissarios auctoritate Capituli generalis depositi numerentur.

8. Item, ut in eisdem, quae per promotionem studentium Ordo Cisterciensis promeruit commendationis eximiae titulis et privilegiis gratiarum procurare valeat ad honorem Altissimi et incrementum scientiae salutaris, hortatur [gen. Cap.] affectione quanta potest abbates Ordinis universi, quatinus secundum tenorem diffinitionum novae compilationis scolares suos mittant ad studia et super hoc patres abbates filios suos in suis visitationibus inducere teneantur.

9. Item, quia ubi pericula imminent graviora, ibi est de salubriori remedio providendum, statuit et ordinat Capitulum generale quod, quaecumque personae Ordinis, per se vel per alium, litteras, preces, minas, a quibuscumque personis quae non sint de Ordine impetraverint, impetrari procuraverint, seu uti praesumpserint impetratis, ne pro suis excessibus puniatur, seu quod de poenitentia relaxetur, vel quod ad officia Ordinis promoveatur, seu amotus seu amota ab aliquo officio restituatur, ipso facto sententiam excommunicationis incurrat; et nihilominus si super hoc convictus vel convicta fuerit, numquam de cetero ad aliquod officium Ordinis admittatur, sine speciali licentia [f] Capituli generalis.

10. Item, quia parum [g] prodesset humilibus obedientia, si inobedientibus contumacia non obesset, generale Capitulum omnes abbates, qui hoc anno ad Capitulum venire debuerunt, et non venerunt, nec se legitime excusarunt, citat ut sequenti Capitulo se personaliter representent, alioquin pro depositis habeantur.

11. Item, quoniam constitutio pro contributionibus faciendis in singulis provinciis in diffinitionibus novis edita, pro libertatibus Ordinis defendendis, cum omnes astringat, nihil obscurum

---

[f] sentention: P^9. [g] nil: P^8.

vel ambiguum derelinquat, pluresque abbates provinciae Remensis de novo solvendis portionibus suis extiterint negligentes, statuit et ordinat Capitulum generale quod qui statutis terminis non solverint, dum tamen debito modo eisdem fuerit nuntiatum, sint excommunicati ipso facto. Eamdem poenam incurrant in aliis provinciis negligentes, et receptores de receptis computationem teneantur sub poenis superius nominatis et restituere teneantur.

12. Item, ut excommunicationum sententiis latis contra non solventes contributiones statutis terminis de celeriori remedio valeat provideri, committit generale Capitulum domino Cistercii et quatuor primis cuilibet in generatione sua, ut quilibet per se vel per commissarium aut commissarios suos in eos qui solvere tenentur et non satisfaciant, eisdem absolutionis beneficium impendere debeant et cum eisdem misericorditer dispensare auctoritate Capituli generalis.

13. Abbatia de Padis[io] in dioecesi Revaliensi sit in perpetuum filia de Stolp[a].

1320

Anno [a] Domini millesimo trecentesimo vigesimo statuta sunt haec apud Cistercium in Capitulo generali.

1. In primis, si Dominum in sanctis suis venerari nos convenit, illorum non sunt a nobis sub silentio relinquenda laude digna praeconia, qui non solum vitam monasticam verum etiam universam Dei ecclesiam meritis gloriosis et exemplis salutaribus decorarunt, statuit ob hoc generale Capitulum ordinando, quod de [b] cetero fiat commemoratio de sancto Hugone primo abbate Cluniaci, tam in laudibus quam in vesperis, tertio kalendas maii ; et prima missa de ipso cantabitur eodem die per Ordinem universum.

2. Item, commendandae devotionis actum, quem nuper illustrissimus princeps dominus rex Portugalliae laudabiliter exercuit Ordinem Militiae [c] Iesu Christi ad defensionem sacrosanctae fidei et violentias infidelium propellendas, fundando, congaudens cum gratiarum actionibus Capitulum generale statuit

---

1320. *Fontes* : *G* : 2 ; *N* : 1-8, 11, 12 ; *P*[8] : 1-15 ; *P*[9] : 1-11 ; *VW* : 1, 3-9, 11-13. [a] *Titulus apud NP*[8]*P*[9]*V*. [b] *hic incip. VW*. [c] etc. : *sic desin. P*[8].

ad rogatum ipsius domini regis, et diffinit quod paternitas praedicti Ordinis Militiae Iesu Christi, qui iam confirmatus est, et nostro Ordini incorporatus per summum pontificem totaliter resideat penes abbatem de Alcobatia tamquam patrem abbatem Ordinis memorati, qui iuxta decretum et ordinationem sanctissimi patris nostri domini Ioannis, Dei gratia Papae XXII, praedicti regularis observantiam et alia quae severitatem [d] Ordinis respiciunt ibidem perpetuo faciat observari.

3. Item, simplicitatem Ordinis a strepitu saecularium et cautelosis eorum processibus praeservare gestiens Capitulum generale inhibet districtius personis Ordinis universi, ne in visitationibus, electionibus, correctionibus [e], punitionibus aut ea tangentibus, consilio et auxilio advocatorum, et personarum secularium uti audeant et praesumant. Quod si fecerint, ipso facto sententiam excommunicationis incurrant, et nihilominus, si probabiliter inventi fuerint, tales emittantur sub poena conspiratorum ad domum remotissimam, non revocandi nisi de licentia Capituli generalis. Abbates vero, si in hoc inventi fuerint culpabiles, deponantur.

4. Item, ut excessus multiplices et inobedientias monialium per saeculum damnabiliter evagantium et aliter irreligiose se habentium, nolens amplius generale Capitulum sub dissimulationis velamine pertransire, patribus abbatibus praecipit et committit, quatinus tales per se, per alium vel per alios in plenaria Ordinis potestate sic puniant et corrigant per incarcerationem, emissionem, vel alias, quod talia de cetero committere, poena docente, desistant.

5. Item, diffinitione dudum facta super esu carnium cum adiunctis poenis in suo robore perdurante, addit generale Capitulum quod abbates in hoc deprehensi per patres abbates deponantur; monachi autem et conversi deprehensi, privati maneant habitu regulari, et omni sexta feria sint in pane et aqua, usque ad revocationem Capituli generalis. Hanc autem diffinitionem extendit generale Capitulum ad abbatissas et moniales et personas regulares contentas sub eisdem.

6. Item, quia per abusum gratiarum incaute concessarum personis cedentibus, religionis obedientia laeditur, et disciplina in pluribus enervatur, inhibet generale Capitulum patribus abba-

---

[d] fraternitatem : *G*. [e] *deest VW*. [f] dediscant : *NP*[8].

tibus et visitatoribus Ordinis universi, ne de cetero concedant abbatissis cedentibus generalem licentiam, quod possint monialem vel moniales secum extra monasterium vel septa monasterii ducere, vel in cameris sibi concessis aut concedendis moniales sine licentia speciali abbatissae retinere, nec etiam ipsis extra monasterium progredi liceat nisi hoc ab abbatissa licentiam meruerit obtinere ; gratias autem factas in contrarium ex nunc revocat Capitulum generale.

7. Item, ne per defectum spiritualis medici animae langueant diutius, mordentibus vitiorum aculeis sauciatae, generale Capitulum diffiniendo praecipit quod abbatissae viginti quinque [g] moniales habentes unum teneantur recipere et retinere confessorem, quem pater abbas aut visitator eis duxerit transmittendum, cui teneantur in victu et vestitu curialiter [h] providere, et illi confessores diebus quibus in confessionibus audiendis minus occupati fuerint, missas teneantur dicere, sicut ceteri capellani, in illis praecipue monasteriis ubi haec consuetudo est ab antiquis observata.

8. Item, ut interioris mentis religio per exteriorem habitum decentius ostendatur, ordinat generale Capitulum et statuit ut capellani sacerdotes monialium Ordini perpetuo traditi et oblati [i], de cetero portare regularem Ordinis habitum teneantur, quem si portare renuerint a dictis monasteriis, excusatione quacumque semota [j], simpliciter expellantur.

9. Item, ridiculosas novitates superinductas in officio divino nolens sustinere de cetero, Capitulum generale ordinat et diffinit quod antiqua forma cantandi a beato patre nostro Bernardo [k] tradita, sincopationibus notarum et etiam hoquetis [l] interdictis in cantu nostro simpliciter quia talia magis dissolutionem quam devotionem sapiant, firmiter teneatur ; contra facientes ad praesidentis arbitrium puniantur. Abbates autem et abbatissae hoc statutum faciant inviolabiliter observari.

10. Item, quoniam mater Ecclesia cultrix et auctrix iustitiae, in se vel in alium iniustitiam fieri non permittit, ideo generale Capitulum cupiens in posterum providere ne in distributionibus contributionum, quae fient a modo in Ordine, sibi locum vendicet fraus et dolus, vel generale Capitulum supra hoc prae-

---

[g] viginti : *VW*. [h] regulariter : *V* ; specialiter : *W*. [i] obligati : *P*[9].
[j] submota : *NVW*. [k] Benedicto : *W*. [l] okkekis : *VW*.

gravetur addit idem generale Capitulum diffinitioni super hoc anno praeterito editae, quod quilibet pater abbas summam cuilibet coabbati suo impositam teneatur patri abbati immediato solutionis tempore sigillatam et fideliter indicare ; et sic gradatim ascendendo faciant superiores, ut sic tempore Capituli generalis, de singulis summis et totis impositis quibuslibet eidem Capitulo possit fieri plena fides. Si quis autem super hoc negligens fuerit ipso contemptu mulctatur a generali Capitulo poena duarum marcharum argenti eidem Capitulo applicanda, et nihilominus se teneatur recognoscere in sequenti Capitulo generali ; quod si facere contempserit ascensum gradus altaris se noverit interdictum.

11. Item, insolentiam et abusum [m] quarumdam Ordinis personarum, quae per contractus damnatos et fraudulentos [n] colore quaesito in praeiudicium animarum suarum monasteria sua laedunt [o] enormiter et diffamant, dum de pecunia suae ecclesiae emiserint redditus et proventus alios sub nomine proprio vel alieno, sibi suisque consanguineis ad tempus vel perpetuo applicandos, volens reprimere Capitulum generale emptiones vel contractus huiusmodi, modo fortiori quo potest amodo fieri inhibet Capitulum generale a personis ordinis universi. Si quis autem contrarium attentaverit, si abbas vel abbatissa fuerit, per patrem abbatem deponatur ; si monachus vel conversus carceri mancipetur usque ad nutum Capituli generalis et nihilominus pecunia illorum reddituum restituatur monasterio cuius erat [p]. Et haec diffinitio ad praeterita extendatur.

12. Item, si in festis sanctorum omnium uniformitas in Ordine debet servari, hoc praecipue tenendum est in officio sacratissimi Corporis Christi [q], quod est nostrae peregrinationis salubre viaticum, christianae fidei firmissimum fundamentum ; proinde dominis de Pontiniaco et Pruliaco abbatibus committitur, quatinus officia diversa seu historias inspiciant de festo praedicto, examinent et corrigant per omnem modum, et illud, quod est correctum, sequenti Capitulo deferant, idem publicabitur et uniformitas decantabitur per Ordinem universum. Interim autem fiat festum praedictum secundum quod in singulis domibus fieri consuevit.

---

[m] abusiones : *VW*. [n] fraudulosos : *VW*. [o] damnificant : *NP*[9].
[p] *hic desin. VW*. [q] etc. quia facta est eius historia : *P*[8].

13. Item, contributio moderata pro solvendis Ordinis debitis facienda Domino Cistercii et aliis quatuor primis, vel ab eis deputandis, committitur, in Ordinis plenaria potestate. Qui vero summas sibi imponendas per eosdem statutis terminis non solverint, ab ingressu ecclesiae sint suspensi. Cellerarii vero, priores et bursarii pro depositis habeantur, et nihilominus expensarum usuras et interesse solvere tenebuntur.

14. Item, damnis et incommodis quae ex defectu solutionum debitorum et reddituum quae debentur Capitulo generali et domui Cistercii verisimiliter evenient, occurrere cupiens Capitulum generale ordinat et diffinit quod abbates et abbatissae qui tenentur generali Capitulo vel domui Cistercii in quibus cum redditibus ac debitis obligati satisfaciant ex integro infra sequens Capitulum generale, vel saltem, si omnino impotentes fuerint ad solvendum fateantur absque velamine arreragia quae debent, indutias humiliter postulando ; quod si non fecerint, in poenam anno praeterito latam contra non solventes redditus praedictos, incidunt ipso facto, et nihilominus visitatores in suis visitationibus super arrèragiis tam reddituum praedictorum quam contributionum diligenter inquirant, contemptores huius constitutionis citando ad praesentiam futuri Capituli generalis. Quicumque vero pater abbas cuiusquam provinciae fuerit, de contributionibus filiis abbatibus suis impositis recipiet, et nisi in sequenti Capitulo generali de sic receptis satisfaciat, vel generali Capitulo fideliter computationem reddiderit, in poenam excommunicationis incidat ipso facto, et nihilominus in hoc deprehensus pro deposito habeatur.

15. Item, quoniam merita earum, etc.

1321

Anno [a] Domini millesimo trecentesimo vigesimo primo statuta sunt haec apud Cistercium in Capitulo generali.

1. In primis, sicut assiduis in mundi maris huius naufragiis protectricis nostrae Mariae Virginis suffragiis indigemus, sic

---

1321. *Fontes* : *G* : 14, 19, 20 ; *M* : 1-10, 15-18 ; P^8 : 1-18 ; P^9 : 1-13 ; T^5 : 2, 3 ; *V* : 1, 2, 7, 8, 10-14, 19, 20. *W* : 11-14, 17, 19, 20. [a] *Titulus apud* P^8P^9V ; *apud* T^5 *legitur* : Ann. Dom. 1321 stat. est in Cap. gen. cist. quod sequitur.

affluentem ipsius pietatem crebris tenemur devotionibus laudis excitare ; quod solerter attendens, diffinit [b] et ordinat Capitulum generale quod per octavas Purificationis Virginis gloriosae dicatur ad *Benedictus*, loco *Beata Mater*, antiphona *Cum inducerent*, et ad *Magnificat* loco *Sancta Dei Genitrix*, *Hodie Beata Virgo*, et collecta *Omnipotens*, et sabbato infra Purificationis octavas dicatur officium et missa *Suscepimus Deus*, cum collecta *Omnipotens*, solemniter ut in sabbatis fieri consuevit.

2. Item, licet universos in regnis coelestibus constitutos sollicitis honorare studiis teneamur, praecipue tamen [c] Reverendissimum Patrem Nostrum Bernardum, qui velut sidus novum [d], non solum Ordinem suum, verum etiam corpus Ecclesiae, fugatis errorum tenebris, illustravit ; decet nos specialibus debitis laudum praeconiis venerari ; hinc est quod Capitulum [e] generale duxit provide statuendum, quod fiant octavae praedicti sanctissimi Patris cum missa una, lectionibus et responsoriis, et aliis sicut in die penitus per Ordinem universum.

3. Item, cum ad mutuam caritatis [f] gratitudinem ex debito professionis monasticae teneamur, servitium pro sancto Hugone, primo abbate Cluniacensi, eo quod in dicta domo et suo Ordine universo sancti Bernardi Patris Nostri solemne servitium celebratur, in hunc modum salubriter statuit Capitulum generale in singulis abbatiis Ordinis faciendum, quod prima missa in die sancti Roberti sicut de sancto Antonio celebrari solemniter pro eodem, et antiphonae commemorationis erunt ad Vesperas et Laudes *Iste cognovit*, et *Collaudabunt multi*.

4. Item, quia illi qui potioris gratiae suscipiunt incrementa, et amplioris reverentiae titulis attolluntur, tenentur se suis exhiberi superioribus eo amplius humiles et devotos, ut ceteris transeant in aedificationis exemplum, ordinat et diffinit Capitulum generale quod abbates qui cesserint, seu etiam abbatissae, si suo abbati vel abbatissae inobedientes reperti fuerint, per visitatorem secundum quantitatem demeriti, puniantur. Quod si sic correpti non emendaverint, sciant se per Capitulum generale, si ad eius notitiam devenerint, per substractionem pensionum, ve aliter gravi animadversione plectendos [g].

5. Item, cum quatuor primae abbatiae Ordinis, quae tam-

---

[b] *hic incip. V.* [c] circa : *M.* [d] *deest MV.* [e] *hic incip. V.* [f] *largitatis* : P^8. [g] amplectendos : P^9.

quam columnae ipsius praecipuae ipsum Ordinem dirigunt [h] et sustentant, potiori prae aliis debeant gaudere libertate, indulget eisdem Capitulum generale gratiose, quod cum aliqua vel aliquae praedictarum pastoribus vel pastore vacare contigerit, si electores omnino concordes fuerint, liceat eis libere assumere quemcumque abbatem in linea [i] generationum praedictarum, diffinitione quacumque super hoc in contrarium edita non obstante. Volumus autem quod provisionis gratia ad hoc aliqualiter se extendat.

6. Item, damnabiles divisionis parietes suasu capitalis humani generis adversarii introductos detestans Capitulum generale, praecipit patribus abbatibus Ordinis universi, et specialiter illis de Hibernia, pro quibus gravis quaerimonia delata nuper extitit ad Capitulum generale, quod tales ibi reperti facientes partes [j] coniungere studeant in concordia et unitate [k], et indifferenter de omni natione ad regularem habitum, dum tamen reperiuntur idonei, admitti faciant et procurent ; alioquin patres abbates, vel alii quicumque, si super hoc culpabiles fuerint reperti, gravissime se noverint per Capitulum generale puniendos.

7. Item, singula membra tabescere cogerentur si eis deficeret necessarium nutrimentum, et ideo Capitulum generale omnes pensiones particulares factas personis particularibus Ordinis de bonis communibus monasteriorum, vult [l] esse irritas et ad communem cursum monasteriorum reduci, inhibens districtius ne de cetero talia attententur, nihil tamen revocat vel immutat ipsum Capitulum in pensionibus abbatibus cedentibus assignatis.

8. Item, quia privilegium meretur amittere qui concessa sibi abutitur potestate, ideo ordinat Capitulum generale quod quandocumque [m] abbati cedenti aliqua pensio est concessa, si eam ad quoscumque alium vel alios quoquomodo transferre praesumpserit, privetur perpetuo huiusmodi pensione et ad communitatem monasterii inde sumpta [n] est, reducatur.

9. Item, venditionem, alienationem, translationem domus Sancti Bernardi Parisiensis, cum omnimoda iurisdictione ac cum omni porprisio [o] quas fecerunt abbas ac conventus Claraevallis,

---

[h] diligunt : *P*⁹. [i] linea sita (?) : *P*⁹. [j] parietes coniungere : *MP*⁸.
[k] veritate : *P*⁹. [l] irritat : *M* ; mutat : *P*⁹. [m] cuicumque : *M*.
[n] sumptus : *M*. [o] promissio : *P*⁸ ; spurcitio : *P*⁹.

de licentia domini Cistercii, patris sui, in manu Ordinis, ac totius Capituli generalis, cum redditu annuo et perpetuo ducentarum librarum turonensium, vel circiter, ac cum omnibus mobilibus dicti loci valentibus mille libras et ultra, Capitulum generale considerans quod exinde debeat honor Ordinis et profectus studii multipliciter augmentari, approbat, ratificat et confirmat, committens domino Cistercii et quatuor primis, adiunctis eisdem de Pruliaco et de Bolbona abbatibus, magistris in theologia, quatinus, tam [p] super litteris hinc inde super hoc conficiendis, quam super statum regiminis dicti studii, et super omnibus dictum studium et studentes ibidem quocumque modo tangentibus, statuant, ordinent, disponant, et faciant hac vice in Ordinis potestate plenaria, quidquid ad honorem [q] Dei et salutem animarum, tam spiritualiter quam temporaliter, et profectum studii viderint expedire. Deinceps autem locus ipse et ordinatio eius totalis penes Capitulum generale remanebit hoc proviso, quod omni anno per Diffinitores in Capitulo generali congregatos ordinabitur de visitatore dicti studii, qui primo anno eligendus erit de generatione Cistercii, secundo anno de generatione Firmitatis, tertio anno de generatione Pontiniaci, quarto anno de generatione Claraevallis, et quinto anno de generatione Morimundi, et sic in perpetuum procedendo; quae visitatio facienda erit circa festum beati Ioannis Baptistae, nisi ex causa mutetur. Provisor autem et cellerarius dicti studii singulis annis per Diffinitores Capituli generalis eligentur. Restitutiones nunc [r] provide factas et faciendas per dictos dominos abbates Cistercii et quatuor primos cum adiunctis dictis, domino abbati et conventui Claraevallis, generale Capitulum ex nunc approbat et confirmat.

10. Item, decori religionis et moribus [s] contradicunt qui volunt secundum carnem vivere, vel discedere a regularibus fundamentis; et ideo districte prohibet Capitulum generale ne de cetero, tempore Capituli generalis, in Cistercio carnes comedant, nec de refectorio communi remaneant sine domini Cistercii licentia speciali, vel illius qui ab eo super hoc habuerit potestatem. De [t] ingressu et de non ingressu etiam in Cistercium tempore Capituli, servetur diffinitio facta anno Domini M CCC XVII,

---

[p] tam super... studii : *deest* P^9. [q] amorem : P^9. [r] autem : *M*.
[s] *deest* P^9. [t] *sequentia desunt apud V.*

et super danda licentia monachis soli Diffinitores valeant dispensare.

11. Item, quia virilem [u] constantiam et solertiam natura denegat mulieri, ideo statuit Capitulum generale ut procuratores ad negotia et administratores temporalium in monasteriis monialium, de patrum abbatum consensu [v] et consilio deinceps instituantur, et illi qui nunc instituti sunt, approbentur per ipsos patres, et etiam reprobentur.

12. Item, quia videtur mortem diligere aegrotus [w] renuens necessariam medicinam, abbatissae Ordinis et moniales, quae confessores per patres abbates ad se missos recipere et eis providere noluerint, per visitatorem taliter puniantur ut gravitas poenae deterreat quas culpae enormitas non deterret. Priorissa [x] monialium de Monceio et abbatissa de Bono loco, quae dicuntur patribus abbatibus rebellasse, per abbates de Savigniaco et de Bono monte et eorum quemlibet, auctoritate Capituli generalis per se vel per alios iuxta demerita puniantur in plenaria Ordinis potestate.

13. Item, quia varietas notabilis religionis honestatem dedecorat et violat quodammodo Ordinis unitatem, ideo quibusdam monialibus quae varietatem modorum celebrandi quaedam sollemnia contra formam Ordinis invenerunt, praecipit generale Capitulum ut amodo caveant a praedictis. Quae in hoc excesserit, eidem regularis [y] habitus auferatur.

14. Item, ne in ordinationibus sacrosancti [z] Ordinis nostri sit aliquid superfluum vel etiam defectivum, moderatio omnium poenarum, reformatio omnium statutorum contentorum in *Libello diffinitionum* Capituli generalis et diffinitionum annalium dominis de Pontiniaco, de Morimundo et de Pruliaco abbatibus vel eorum duorum in absentia tertii committitur in plenaria Ordinis potestate.

15. Item, ut nihil ambiguum in his quae ad salutem animarum pertinent relinquatur, statuit generale Capitulum et diffinit, quod quicumque contributionem non solverint in isto Capitulo, sive sint abbates, sive sint monachi procuratores, et solvere potuerunt, nisi cras per totam diem apud Divionem satisfaciant, sententia excommunicationis se noverint innodatos. Abbates

---

[u] utilem, : P^4. [v] assensu : P^9. [w] infirmus : P^9, [x] Priorissa... potestate : *apud* P^8 *tant.* [y] *deest* P^9. [z] sacramenti : *G.*

vero absentes vel praesentes, qui solvere nequiverunt, de regno et citra Alpes et citra Rhenum, nisi infra festum sancti Andreae in Cistercio satisfecerint, alii vero nisi infra Pascha apud Cistercium similiter satisfecerint, eamdem excommunicationis sententiam se noverint incurrisse, et nihilominus interesse et usuras solvere tenebuntur.

16. Item, recta libra iustitiae moderata libramine aequitatis reddit unicuique quod suum est, et ideo diffinit Capitulum generale, ut omnes illi qui tenentur domui Cistercii matri nostrae, in annuis redditibus vel aliis debitis obligantur, solvant domino Cisterciensi, vel eius certo mandato, in terminis instrumenti et terris assignatis, qui sunt annuatim. Qui post terminum per mensem solvere distulerint, abbas a suo officio sit suspensus, cellerarius et bursarius sint depositi ipso facto, nec illa vel alia officia exsequantur, donec fuerit satisfactum, vel cum eodem domino Cisterciensi concordatum. Qui autem debent arreragia de decimis vel aliis, satisfaciant infra Purificationem Virginis matris Dei, vel easdem poenas se noverint incurrisse. Et idem statuitur de illis qui tenentur generali Capitulo in redditibus vel arreragiis quibuscumque. Et quia abbas de Ripatorio pensionem annuam debebat eidem Capitulo pro grangia vocata de Domo episcopi, quam tenebat ad firmam ab eodem Capitulo, solvere non curavit, ideo ipsa grangia reducitur ad manus ipsius Ordinis cum suis pertinentiis in instanti. Illi autem qui decimas solverunt collectoribus diversis, quorum solutionem noluerunt thesaurarii regis acceptare, abbati Cistercii infra dictum terminum Purificationis sub praefata poena solvere non omittant.

17. Item, ab unitate corporis videtur abscedere, qui negligit loco et tempore suum caput, et ideo abbatibus de Dania et Frisia sub depositionis poena iniungitur, ut de qualibet praedictarum provinciarum duo abbates veniant quolibet anno ad Capitulum, alioquin contra eorum contemptum durius procedetur.

18. Item, quia nemo tenetur propriis stipendiis militare, ideo diffinit Capitulum generale, ut illi qui sunt procuratori Ordinis in romana Curia obligati, ei satisfaciant infra Natale Domini. Qui non fecerint, donec absolverint, ab ingressu ecclesiae sint suspensi. Abbas de Eleemosyna obligatur ei viginti florinis; de Burina[1] in triginta; de Bonavalle Viennensi in viginti.

---

[1]) Burium.

19. Item, petitio abbatis de Ebra[co], qui petit quod servitium de Corona Domini fiat per totam Alemanniam, exauditur ; et quod abbates, qui non fecerint celebrari dictum servitium in domibus suis, ab ingressu ecclesiae sint suspensi.

20. Item, petitio magnifici principis domini regis Bohemiae, qui petit quod in die Resurrectionis Dominicae, in qua sol iustitiae Christus Iesus cum glorioso comitatu, ruptis mortis vinculis, victor processit ab inferis, in monasteriis regni sui et etiam in aliis domibus Ordinis nostri, dummodo conventus consentiat et de patrum abbatum licentia, fiat processio per ambitum cum responsorio *Si consurrexistis cum Christo,* et antiphona *Cum rex gloriae,* et *Sedit angelus,* pro sui reverentia exauditur.

1322

Anno [a] Domini millesimo trecentesimo vigesimo secundo statuta sunt haec apud Cistercium in Capitulo generali.

1. In primis, quia Parisiensium scolarium honorabilis universitas, cuius est portio non modica studium Sancti Bernardi, tamquam quoddam virtutis et sapientae fundamentum [b] principium sui luminis radios ubique diffundens mundum illuminat universum ; idcirco ut copiosiores radios luminis scientiae possit effundere, universis nostri Ordinis abbatibus praecipit Capitulum generale, quod mittendo scolares ad dictum studium idoneos, antiquam diffinitionem super hoc editam implere nullatenus intermittant. Visitatores autem quos negligentes invenerint, ad hoc faciendum auctoritate Capituli paterne compellant et rebelles in hoc teneantur in sequenti Capitulo generali proclamare.

2. Item, ut inter studentes, reiecta singularitate, concors unitas observetur, ordinat Capitulum generale, quod omnes scolares de cetero, nisi infirmitate depressi, in lecto decumbant, magistris solummodo dumtaxat exceptis, tam in refectorio quam infirmitorio ad communes expensas bursae simul comedant ; et ut omnia necessaria possint eisdem per cellerarium commode

---

1322. *Fontes* : *M* : 1-16 ; *P*[9] : 1-5, 8, 13, 14 ; *S* : 17-22 ; *V* : 6, 7, 9, 10, 12, 14. [a] *Titulus apud P*[9]*V.* [b] fontale : *M.*

ministrari, quilibet scolaris pro bursa sua quatuordecim libras Parisius annis singulis ministrantibus assignare teneatur.

3. Item, ut in tam solemni loco solemnis ecclesia divino cultui deputanda, fieri [c] per fidelium personarum liberale subsidium procuretur, concedit generale Capitulum illis omnibus, qui de bonis sibi a Deo collatis ad dictum aedificium construendum aliquid obtulerint, plenam participationem omnium bonorum spiritualium, quae ibidem et in toto Ordine fient de cetero in vita eorum et in morte pariter ; volens quod super hoc litterae inductivae ad diversas dirigantur provincias, et a Summo Pontifice indulgentiae super hoc impetrentur, et quod nihilominus super hoc excitetur illustrissimi principis domini regis Franciae devotio, prout visitatori dicti studii expedire videbitur, quodque super hoc ipsius subsidium ea devotione qua convenit requiratur.

4. Item, quoniam structura fabricae Sancti Bernardi per Dei gratiam in proximo inchoanda, sine personarum [d] Ordinis pio [e] subsidio commode perfici non valeret, generale Capitulum praecipit omnibus abbatibus et abbatissis Ordinis universi, quod usque ad decennium de singulis decem [f] libris annuorum redditum et proventuum, duodecim denarios pro praedicta ecclesia construenda solvere non omittant. Hanc pecuniam quilibet pater abbas [g] vel visitator recipiat suae visitationis tempore, mittens vel deferens ipsam ad sequens Capitulum generale, reponendam in Sancto Bernardo sub clavibus quatuor primorum, pro structura fabricae tunc non aliter expendendam ; ita quod non solventes ad duplum solvendum per generale Capitulum compellentur ; hoc adiuncto, quod ad dictam fabricam construendam exponentur omnes eleemosynae legatae vel expositae [h] vel singulis annis exhibendae Capitulo generali.

5. Item, cum omnia quae ad directionem et promotionem dicti studii faciunt, non possint rite in conspectu Diffinitorum omnium ordinari, cum sint in aliis plurimum occupati, omnes ordinationes factas et faciendas pro dicto studio per dominum Cistercii, et quatuor primos, dominum Pruliaci, et magistrum in actu regentem, ex nunc prout ex tunc generale Capitulum approbat et confirmat.

---

[c] scilicet : *M.* [d] patrum : *M.* [e] *deest M.* [f] centum : *M.* [g] *deest M.* [h] exhibitae : *M.*

6. Item, ne pastores animarum ad studia diversa se transferant, et oves proprias sic dimittant, omnes licentias concessas et concedendas abbatibus Ordinis universi, quod in scolis solemnibus studere valeant, omissis propriis monasteriis, ut ad gradum altiorem scolasticum valeant promoveri, revocat generale Capitulum, et tales [i] de cetero conferri perpetuo licentias interdicit.

7. Item, ut a statutis Ordinis omnis superfluitas vel contrarietas excludatur, dominis de Firmitate, de Morimundo, de Pruliaco doctoribus in sacra theologia, aut duobus ex eis, si tertius adesse non potuerit, committit generale Capitulum, quatinus *Libellum diffinitionum* cum statutis annalibus corrigant, contrarietates et superfluitates amovendo, et si quae moderanda fuerint, debite reducendo ad medium, auctoritate Capituli generalis.

8. Item, ne pro defectu reformationis et ordinationis debitae, studia Ordinis solemnia confusioni subiaceant, in eorumdem vituperium et grave praeiudicium plurimorum, eorum reformationem et ordinationem per modum qui sequitur ducit Capitulum generale committendum domino videlicet Cistercii et quatuor primis, adiunctis eisdem abbate Pruliaci et magistro in actu regente Parisius in Sancto Bernardo, quicumque fuerit pro tempore, committit generale Capitulum reformationem studii Parisiensis in plenaria Ordinis potestate, ut per se vel per alium, vel alios ad hoc idoneos, dictum studium reforment, necnon leges et statuta ibidem faciant adeo salubria, proficua, et honesta, quod per hoc studium vigeat in honore, et studentes proficiant in scientia, disciplinae regularis observantia non abiecta. Reformationem vero studii Tolosani committit idem Capitulum de Bono fonte, de Bona valle abbatibus doctoribus in sacra theologia et abbatibus Grandisylvae in plenaria Ordinis potestate. Quod si omnes praedicti doctores adesse non potuerint, duo ex eis cum abbate Grandisylvae dictum reformationis negotium exsequentur. Reformationem autem Montispessulani studii dictum Capitulum de Fonte frigido, de Mansiade, et de Valle magna abbatibus committit in Capituli potestate plenaria sub hac forma, quod si omnes interesse non potuerint, duo ex ipsis, altero se debite excusante, negotium exsequantur ; hoc proviso in refor-

---

[i] talibus : *V*.

mationibus singulis [j] studiorum, quod universi studentes, qui singulis diebus legibilibus lectionem principalem theologiae audire neglexerint, aut extra studia praedicta ad audienda iura canonica exierint, et admoniti per provisorem non emendaverint, continuo ad domum propriam remittantur per eumdem. Qui si taliter obedire noluerint, et per villam evagaverint, tamquam fugitivi Ordinis puniantur. Quicumque vero litteras, preces, aut minas a personis, quae non sunt de Ordine nostro, pro promotionibus ad magisterium vel ad lecturas quaslibet impetrarit, aut impetratis usus fuerit, inhabilis sit omnino ad illum gradum, quem sibi habere voluit obtinendum de cetero, nisi de dispensatione Capituli generalis, salvis aliis diffinitionibus editis, contra huiusmodi preces, minas, aut litteras impetrantes.

9. Item, diffinitionem anno praeterito editae de monachis non intrandis Cistercium tempore Capituli generalis absque licentia Diffinitorum in sede sua residentium, addit idem generale Capitulum quod Diffinitores nemini possint conferre licentiam intrandi Cistercium, nisi domino Cistercii personaliter assistente.

10. Item, quoniam nonnulli abbates sententias generalis Capituli non abhorrentes, contributiones sibi impositas solvere neglexerunt in Ordinis grave dispendium [k], et suarum periculum animarum ; idcirco universos abbates, qui contributiones praeteritis temporibus sibi impositas non solverint, monet idem Capitulum, quod omnes illi qui sunt citra Rhenum, montes et mare solvant infra Pascha ; illi vero qui sunt magis remoti infra sequens Capitulum generale, vel in ipso Capitulo ; alioquin ex nunc prout ex tunc ipsos deponit generale Capitulum, et conventus eorum ad electionem alterius abbatis procedere poterunt, statutis Ordinis quoad alia in omnibus observatis.

11. Item, contributionem necessariam faciendam pro debitis Ordinis persolvendis, et negotiis utiliter procurandis, committit generale Capitulum domino Cistercii et quatuor primis in plenaria Ordinis potestate ; ita quod illi qui statuendis terminis per patres abbates summas sibi imponendas solvere neglexerint, abbates ab executione suorum officiorum sint suspensi ipso facto ; cellerarii et bursarii sint depositi, numquam de cetero sine licentia Capituli generalis ad officia, promovendi.

12. Item, ne in praeiudicium unitatis Ordinis abbates indif-

---

[j] *hic incip.* P^9 ; In singulis studiis generalibus, universi... [k] scandalum : *V.*

ferenter assuescant remanere, tempore praecipue quo se tenentur ibidem personaliter praesentare, omnes illi abbates, qui hoc anno debuerunt venire, et non venerunt ad generale Capitulum, citentur personaliter ad sequens proximum Capitulum, qui si non comparaverint [e], deponantur.

13. Item, cum, teste Apostolo, omnis anima potestatibus sublimioribus sit subiecta, et inferioribus suorum superiorum statuta non liceat immutare, omnes punitiones per dominum abbatem de Firmitate auctoritate Capituli generalis et paterna anno praeterito factas, tam in monasterio Locedii, quam Staphardiae, quae per aliquos abbates fuerunt relaxatae, approbat et ratificat Capitulum generale, et abbatibus praedictorum monasteriorum praecipit, ut eas faciant observari, nec per aliquem, nisi per generale Capitulum valeant relaxari. Monachi vero, vel conversi, qui obedire noluerint, carceri mancipentur. Abbates vero quamdiu in exsequendo fuerint negligentes ingressum ecclesiae sibi noverint interdictum. Sub poenis praedictis punitiones [m], ordinationes, et ordinabilia statuta quorumcumque visitatorum Ordinis praecipit Capitulum inviolabiliter observari.

14. Item, ne Ordo noster his modicis temporalibus bonis quae possidet destituatur, in posterum super licentia abbatibus vel abbatissis quibuscumque a generali Capitulo concessa, seu etiam in posterum concedenda super alienatione, venditione, seu etiam permutatione cuiuscumque rei immobilis, pro utilioribus facultatibus procurandis, sic statuit Capitulum generale ordinandum, ut pecunia ex talium rerum immobilium venditione seu permutatione a vendentibus recepta, non sit in vendentium potestate, sed in tuto loco sigillis patris abbatis et abbatis vendentis consignetur sigillata, nec in alios usus quam in comparandis redditibus aliquo modo ex ea aliquid expendatur. Nec aliquis contra hoc praeter generale Capitulum auctoritatem habeat dispensandi. Abbas vendens, seu etiam consentiens, quod in alios usus quam pro aliis redditibus comparandis aliquid ex ea convertatur ipso facto a suis officiis suspendatur; super [n] qua suspensione non possit, nisi per generale Capitulum, dispensasari.

15. Item, discordiam habitam inter abbatem Grandisylvae

[l] apparuerint : *M.* [m] *hic incip. P⁹, et in fine addit sanctionem* : monachi... mancipentur. [n] super qua... *etc.* : *deest V.*

et quosdam abbates suae generationis super distributionem contributionis terminare cupiens Capitulum generale statuit quod distributiones factae secundum modum antiquum et consuetum, maneant, et nullus super his praesumat prosequi quaestionem, sed contributiones distribuendae de cetero dividantur secundum quod anno Domini M.CCC.XIX extitit ordinatum per idem Capitulum cum deliberatione matura.

16. Item, relevatio monasteriorum Ordinis, per voraginem usurarum miserabiliter desolatorum, committitur domino Cistercii et quatuor primis, unicuique in generatione sua, per se vel per alium, seu alios probos viros, ut per quamcumque viam magis utilem et minus damnosam dicta relevent monasteria in plena Ordinis potestate, servatis tamen in omnibus canonum institutis.

17. Item [o], necessitates sanctissimi patris in Christo, *etc. ut anno* 1327, *n*o 1.

18. Item, quoniam, prout generali Capitulo relatum est, plures monachi... *etc. ut anno* 1327, *n*o 6.

19. Item, cum fraudulentus et nequam sit... *etc. ut anno* 1327, *n*o 2.

20. Item, ut partialitatis vitium... *etc. ut anno* 1327, *n*o 3.

21. Item, quoniam non solum vitium ingratitudinis... *etc. ut anno* 1327, *n*o 4.

22. Item, quoniam frequenter ad tantam... *etc. ut anno* 1327, *n*o 5.

1323

Anno [a] Domini millesimo trecentesimo vigesimo tertio statuta sunt haec apud Cistercium [b] in Capitulo generali.

1. In primis, quia [c] in illorum veneratione sanctorum quorum reliquias conservamus, ac profuturas nobis suffragia fiducialius praestolamus, attentiores nos fore convenit et unitatem in eorum sollemniis diligentius custodire, ordinat et diffinit Capitulum gene-

---

[o] *Sequentia sex statuta a codice S et eius editore ad hunc praesentem annum referuntur, sed revera ad annum* 1327 *pertinent.*

1323. *Fontes* : *G* : 15 ; *M* : 1-10 ; *P*[9] : 1, 3-5, 7, 8, 10, 12, 13. *V* : 1, 3-5, 7, 10-12, 14. *W* : 11, 12, 14. [a] *Titulus apud P*[9]*V*. [b] tempore Cap. gen.: *V*. [c] quos : *MP*[9].

rale [d] quod sollemnitas beati Malachiae episcopi et confessoris, cuius corpus in abbatia Claraevallis requiescit, devotione qua congruit cum duabus missis ac responsorio in vesperis celebretur per Ordinem universum.

2. Item, contributio facienda in Ordine pro negotiis in Curia et alibi utiliter et necessario procurandis, committitur domino Cistercii et quatuor primis in plena Ordinis potestate, ita quod poenas et terminum possint ponere, prout viderint expedire.

3. Item, ut vexationi abbatum parcatur et monachorum, et dispensationis gratia necessitatibus indigentium succurratur uberiori qua potest misericordia, generale Capitulum condescendens, cum omnibus de soluto et soluta genitis, qui recepti in Ordine fuerunt ante inhibitionem contentam in diffinitionibus, distinctione undecima, capitulo primo edita anno Domini M.CCC.XVII°, ut possint ad omnia officia temporalia praeter cellerariatum promoveri, gratiose dispensat Capitulum generale, et hanc gratiam ad moniales vult extendi. Cum receptis vero post inhibitionem non dispensatur, nisi de gratia Capituli sint recepti [f].

4. Item, quanto crescunt negotia Ordinis communia, tanto specialia [g] sunt ampliori remedio restringenda, quod advertens generale Capitulum indulget patribus abbatibus Ordinis universi, ut cum filiis suis super capellanis, missis, et historiis novis ac orationibus [h] aliis libere valeant dispensare, supposita sufficientia reddituum et conventuum unanimi consilio et assensu, aliis etiam circumstantiis in aliis diffinitionibus nullatenus abrogatis, nec super hiis onerent in petitionibus Capitulum generale.

5. Item, quia indecens est afferre quod nescitur, statuit Capitulum generale non improvide, quod nullus abbas deferat excusationem alterius abbatis, nisi de causa excusationis certitudinem [i] habuerit et fuerit super hoc sufficienter informatus.

6. Item, cum ea quae pro bono communi rationabiliter sunt statuta, merito sint confirmatione valida confirmanda, generale Capitulum provida deliberatione statuta et ordinationes factas per domnum abbatem Cistercii et quatuor primos una cum abbate Pruliaci anno Domini M.CCC.XXII pro studio Sancti Bernardi approbat et confirmat, hoc excepto quod quando sco-

[d] non improvide : *M.* [e] ecclesia : *M.* [f] *deest M.* [g] spiritualia : *P*[9]. [h] omnibus : *P*[9]. [i] certus sit : *P*[9].

lares comedunt in infirmitorio, ibidem gratias Domino decantabunt, nec in aliis statutis aliquis auctoritatem habeat dispensandi.

7. Item, cum in nova compilatione diffinitionum contineatur expresse quod omnes teneantur ieiunia regularia custodire, addit Capitulum generale quod, quicumque transgressus fuerit regularia ieiunia absque licentia superioris et [j] ex rationali causa, pro qualibet vice una die communi pitantia careat, quam poenitentiam si facere contempserit, absque remissione uno die pane et aqua vescatur, nec cum ipso aliter dispensetur. Regularia ieiunia intelliguntur omnes dies infra Exaltationem sanctae crucis et festum Paschatis comprehensi. Similem [k] poenam sustineant qui diebus dominicis et diebus quibus bis comedimus bina comestione minime sunt contenti.

8. Item, ut [l] indemnitatibus monasteriorum opportuno remedio succurratur, inviolabiliter statuit Capitulum observandum, ne abbas quicumque in curia cuiuscumque principis saecularis audeat aut praesumat monasterium suum in minima [m] summa cuiuscumque debiti obligare, per litteras recognitionum [n], quod sit vera summa debiti et praecisa, cum legitimo interesse [o], quam ad solvendam [p] bona fide debebit monasterium existere obligatum. Qui vero contrarium fecerit, per patrem abbatem in instanti absque relaxatione aliqua deponatur. Quod si pater abbas super hoc negligens fuerit, in sequenti generali Capitulo de hoc se recognoscere teneatur, ex tali negligentia et inobedientia ad arbitrium Capituli puniendus. Insuper ordinat et diffinit Capitulum generale, quod quicumque abbas contractum fecerit cum saecularibus vel mercatoribus totum [q] temporale, vel maiorem partem monasterii sui manibus eorum supponendo, per patrem abbatem deponatur, et nihilominus talem contractum reputat Capitulum generale irritum et inanem [r].

9. Item, cum in diffinitione facta anno praeterito super contributionibus persolvendis in abbates qui portionem eis per patres abbates impositam terminis non solverunt, per generale Capitulum lata sit sententia suspensionis ; ut animarum periculis obvietur, ipsam sententiam relaxat misericorditer idem generale

---

[j] aut : *M.* [k] eamdem : *M.* [l] ut de penuria monasterii : *P*[9]. [m] maiori : *M.* [n] vel per recognitiones : *M.* [o] *deest P*[9]. [p] observandam bonam fidem : *M.* [q] *deest M.* [r] *deest M.*

Capitulum de gratia speciali ; hoc adiuncto quod illos qui praedictam contributionem non solverunt, monet Capitulum una monitione peremptorie pro omnibus, ut de illa satisfaciant infra Pascha. Quod nisi fecerint, ipsam sententiam excommunicationis latae sententiae incurrisse se noverint ipso facto ; quam si per duos menses animo sustinuerint indurato, pro depositis per generale Capitulum habeantur, et ad electionem alterius abbatis libere a conventibus procedatur. Abbates autem praesentes potentes eam solvere, nisi solverint antequam de Divione recedant, a suis officiis sint suspensi, sicut in dicta diffinitione anni praeteriti plenius continetur.

10. Item, cum quos timor Dei a malo non revocat, iustum sit eosdem alicuius poenae feriat severitas disciplinae[s] ; apostatas[t] de cetero ab Ordine, etiam sola vice, omnino decernit generale Capitulum inhabiles ut eligantur abbates, nisi Capituli generalis super hoc dispensationem habuerint specialem.

11. Item, ut plurimorum scandala evitentur et multorum conscientia serenetur, omnibus abbatibus, monachis et personis Ordinis nostri praecipit generale Capitulum ut litteras domini Papae, per quas dicunt sibi licere carnes comedere, teneantur ostendere patribus abbatibus vel visitatoribus in visitationibus. Quas litteras sequenti Capitulo repraesentent ; alioquin poenam in diffinitionibus positam sustineant ipso facto.

12. Item, delatum est auribus Capituli generalis quod quaedam moniales, deliciis intendere cupientes, assumunt officium abbatiae faciliter, ut post modicum temporis spatium resignent, ea ratione quod habeant pensiones de bonis monasteriorum et cameras sibi appropriatas in abbatia, ad grave praeiudicium et disciplinae regularis excidium formidandum[u]. Huic igitur morbo ne nimium pullulet, remedium opportunum opponere cupiens, Capitulum generale ordinat et diffinit quod nulli de cetero abbatissae cedenti concedatur pensio vel camera cuicumque.

13. Item, cum statuti transgressor debeat merito reputari qui contra faciens non valeat causa legitima se tueri super recusatione receptionis hospitum vel ad domos alienas ex culpa emissorum, sic ordinat Capitulum quod abbates renuentes sub sigillis suis abbatibus mittentibus teneantur diffinitionem mit-

---

[s] *deest* P^9. [t] apostatores : *M*. [u] formandum : *W*.

tere, per quam dicunt se esse a susceptione hospitum absolutos, alioquin ipsos tamquam diffinitioni Capituli super hoc editae non obedientes teneantur ipsos abbates mittentes per se vel per alios aut litteras suas sequenti generali Capitulo aut Diffinitoribus attestare. Taliter autem renuentes ad arbitrium Capituli ex tali inobedientia se noverint graviter puniendos. Abbates autem pro personis emissis decem libras solvere recusantes contra tenorem diffinitionis super hoc editae ab illis abbatibus ad quos fiet emissio vel aliis abbatibus in generali Capitulo proclametur ; abbatissas autem Ordinis ad dictarum decem librarum solutionem cum aliquas moniales emiserint Capitulum vult arctari. In remissionibus autem faciendis attentissime caveant quod tenor Clementinae et diffinitionum super hoc factarum omnino inviolabiliter observetur.

14. Item, Capitulum generale obligat omnes personas Ordinis ad observantias diffinitionum, quousque praedictum Capitulum generale aliud legitime duxerit ordinandum.

15. Item, collectionem pecuniae pro fabrica sancti Bernardi Parisius per regnum Alemanniae, Bohemiae et Poloniae committit domino de Ebra[co] Capitulum generale ita ut quicumque abbates vel abbatissae non solverint, possit compellere ad solvendum duplum plenaria auctoritate praedicti Capituli generalis.

1324

Anno [a] Domini millesimo trecentesimo vigesimo quarto statuta sunt haec apud Cistercium [b] in Capitulo generali.

1. Ut plurimorum conscientiae serenentur, dispendiosis periculis salubriter obvietur, inhibet dictum Capitulum omnibus abbatibus Ordinis ne episcopos Ordinis citra decennium institutos in suis monasteriis aut locis recipiant, nec monachos suos per eosdem ordinari faciant, [nisi] de ipsorum institutione canonica legitime eisdem constiterit per patentes litteras, generalis Capituli sigillo sigillatas, non obstantibus quibuscumque litteris recommendatoriis eisdem episcopis per quascumque personas

1324. *Fontes* : *G* : 12 ; P^9 : 1-10 ; *VW* : 3, 7-9, 11. [a] *Titulus apud* P^9*V*.
[b] tempore Cap. gen. : *V*.

Ordinis cuiuscumque conditionis aut status existant. Illi autem quibus per Sedis Apostolicae gratiam seu per electionem canonicam alicuius vacantis ecclesiae fuerit provisum, vel providebitur in futurum de episcopatus officio, non intendit Capitulum per constitutionem praesentem in aliquo derogare.

2. Item, diffinitionem anno praeterito editam de obligationibus quibuscumque ultra summam contractus vel debiti in curia principis cuiuscumque vel domini temporalis ullatenus faciendi, volens generale Capitulum in suo robore cum poenis perdurare, quantum ad ultimum articulum sic declarat eamdemque poenam appositam ibidem ad illos qui administrationem bonorum suorum monasteriorum saecularibus aut quibuscumque personis quae non sunt de Ordine tantummodo vult extendi.

3. Item, cum dignum sit et sacris sanctionibus prorsus consonum, ut ea, quae aliquando fiunt in favorem aliquorum piissima [c] concessa, cum in abusum et in animarum suarum dispendium vergere dignoscuntur, aequitatis [d] pensata rectitudine, praemia revocentur, omnes diffinitiones quascumque super pensionibus et gratiis abbatibus et abbatissis sponte cedentibus concessis vel etiam concedendis, ex nunc revocat Capitulum generale ; quantum ad futura salubriter perpetuo prohibendo ne de cetero alicui abbati vel abbatissae cedenti per patrem abbatem vel proprium abbatem aliqua pensio concedatur, sed si aliquando abbatem cedere sponte contigerit, de meritis pater abbas diligenter consideret et assensum conventus vel maioris partis eiusdem [f] attendere et omnia redigere in scripto studeat, et sequenti generali Capitulo cum debita maturitate referre ut exinde dictum Capitulum ordinet prout viderit expedire. Quantum vero ad praeterita sic diffinit quod patres abbates in suis visitationibus de abbatum cedentium meritis diligenter inquirant et utrum de successorum abbatum et conventus vel maioris partis eiusdem assensu, pensionis gratia sit concessa, et si sic repererint, concessionem huiusmodi ratificent et auctoritate generalis Capituli confirment [g] ; ceterae vero viribus non subsistant.

4. Ordinationes et statuta facta per magistros G[uillelmum] de Bonofonte et G[uillelmum] de Bolbona, commissarios domini Cisterciensis, in studio Tolosano ad salubrem reformationem

---

[c] piissima concessa : *deest VW*. [d] aequitate... revocentur : *deest VW*.
[e] abb. et abb. : *deest VW*. [f] et sanioris : P^9. [g] *hic desin. VW*.

studii memorati, generale Capitulum approbat et confirmat, et praecipit ab omnibus ibidem studentibus observari.

5. Item, quoniam procul dubio culpam creditur habere qui quidem facientem viderit corrigendum superioribus suis cum caritate matura negligit nuntiare, generale Capitulum praecipit non improvide et iniungit personis Ordinis universi quatinus omnes visitatores quos sciverint aut probabiliter audiverint suspecta munera in suis visitationibus suscepisse, aut aliter quod debitum iustitiae deliquisse, ipsos procurent denuntiare Capitulo generali ad eiusdem arbitrium severitate debita puniendos.

6. Item, ut superfluis sumptibus et dispendiis via praecludatur, inhibet Capitulum abbatibus universis pro negotiis communibus per audientiam Curiae transeuntibus, alium instituant procuratorem in Curia residentem, praeter procuratorem Ordinis generalem.

7. Item, ut vagationis inutilis materia auferatur, inhibet Capitulum abbatibus Ordinis universi ne quoscumque de Ordine Mendicantium seu illegitimos, qui ad nostrum Ordinem devenerunt, ad Curiam romanam pro quacumque dispensatione impetranda mittere praesumant, absque licentia Capituli speciali.

8. Item, cum temerarie attentata sint ad statum debitum reducenda, nec relinqui debeant omnino inulta, abbatibus et abbatissis Ordinis inhibet Capitulum ne apostatis et fugitivis Ordinis redeuntibus de saeculo habitum aut ordinem suum audeant restituere vel praesumant [h], nisi secundum quod in diffinitionibus est contentum [i]; qui autem aliter facere praesumpserint per tres dies penitentiam faciant [j] et sustineant levis culpae; quam [k] si facere neglexerint aut contempserint [l], ingressum ecclesiae sibi noverint interdictum et nihilominus taliter restituti et ordine et habitu sicut antea [m] sint privati.

9. Item, cum [n] monasteriis ipsorum diuturna dispendiosa sit vacatio et periculosa animabus [o], omnibus abbatibus filias habentibus ab eis nimium remotas, praecipitur ut abbatibus discretis viris et vicinis committant vices suas ut in eisdem ab eis sic distantibus et remotis, si eas vacare contigerit, confirmare valeant, seu etiam providere, Clementina et statutis Ordinis observatis.

---

[h] *deest* P^9. [i] constitutum : *W*. [j] *deest* P^9. [k] Quod : *VW*. [l] *deest* P^9. [m] *deest* P^9. [n] in : *VW*. [o] *deest* *VW*.

10. Item, ut via malitiis sinistrisque suspicionibus praecludatur et monasteriorum sumptuosa dispendia evitentur, praecipit Capitulum ut visitatores ad monasteria visitanda propter guerras accedere non valentes, committant aliis vices suas, nec abbates vel conventus ad alia Ordinis monasteria citare praesumant, nisi conventus ex causa legitima requirerent hoc expresse.

11. Item, diffinitioni anno praeterito editae super inhibitione esus carnium extra monasteria Ordinis, declarando addit Capitulum quod per « litteras domini Papae », quorumcumque litteras intelligit aliorum, praedicta diffinitione et aliis super hoc confectis in suo robore duraturis.

12. Item, cum frater Hermannus de Heldrich, monachus de Lancheim, cum quodam socio suo, in suae salutis discrimen per saeculum evagetur, multa enormia in vituperium Ordinis committendo, ac etiam non contentus excessibus, ecclesiam praedictam invadere et ipsius personas et bona diripere non veretur, generale Capitulum mandat omnibus abbatibus illius provinciae, quatinus eos praedictos malefactores singulis diebus dominicis in capitulis suis publica excommunicatos denuntient, et capi cum expensis proprii abbatis faciant carceri stristissimo detinendos, et si necesse fuerit, ad hoc potentiam brachii saecularis advocent ad huiusmodi faciendum.

1325

Anno [a] Domini millesimo trecentesimo vigesimo quinto statuta sunt haec apud Cistercium [b] in Capitulo generali.

1. In primis, licet cunctos sanctos congruis laudibus teneamur attollere et veneratione debita commendare, Virgo tamen Maria, meriti auctrix, et miserorum peccantium piissima advocatrix, in [c] huius venerationis obsequia specialem condecet dignitatem ; quare generale Capitulum ad ipsius laudis praeconium excolendum provide statuit et diffinit quod post *Salve Regina* in ecclesia decantatum grossa campana trino signo pulsetur per universum Ordinem, et quilibet in honore eiusdem Virginis ter flexis genibus *Ave Maria* dicere teneantur ut exinde indulgentiam a

---

1325. *Fontes* : *G* : 6-9 ; *P*[9] : 1-4 ; *VW* : 1, 2, 4-6 ; [a] *Titulus apud P*[9] *V*.
[b] tempore Cap. gen. : *V*. [c] in huius... dignitatem : *deest VW*.

Summo Pontifice cunctis fidelibus indultam ad salutem commodam assequatur.

2. Item, quoniam sanctorum miranda miracula non debent latere sub modio sed deduci in publicum ad ceterorum sanctae imitationis exemplum, generale Capitulum ordinat et diffinit, quod miracula facta [d] vel facienda in locis Ordinis universi, per personas ordinis [e] generali Capitulo regulariter et lucide referantur, et ibidem in scriptis publicis redigantur.

3. Item, diffinitionem editam in Capitulo generali anno M. CCC.XVIII modificatam de distractione bonorum immobilium sine consensu maioris partis conventus et patris abbatis licentia sub poenis ibidem expressis, sic declarat Capitulum quod debet intelligi quantum ad maiores et particulares possessiones de illa solemnitate dicti consensus perfectaeque licentiae et cum poenis, et non quantum ad modicas possessiones nisi quantum haberi potest ex canonicis institutis.

4. Item, ex damnosa distractione et assignatione bonorum temporalium monasteria Ordinis et abbatum et conventuum distinctis et singularibus expensis possent incogitabilia mala Ordini provenire, videlicet inter [abbates] et conventus discordiae et diminutio caritatis, subiectionis, pacis et unitatis solutio, divini cultus notabilis diminutio, hospitalitatis et eleemosynarum ac bonorum temporalium destructio, cum maxime iste Ordo de agricultura et animalium nutritura sustentari habeat, quae omnia neglectui traderentur ; idcirco huic novo morbo venenoso ac etiam internecino volens Capitulum generale celere remedium adhibere sententia[t] et diffinit quod omnes abbates hiis pestiferis assignationibus in posterum consentientes seu procurantes quoquomodo, irremissibiliter per patres abbates deponantur, priores vero, suppriores, confessores, bursarii et omnes monachi seu conversi cuiuscumque conditionis existant, qui hoc procucaverint, vel procuratoribus consenserint, non solum in damnum domorum particularium verum etiam potius in destructionem Ordinis universi, tamquam conspiratores ad domos remotissimas emittantur, non reversuri nisi de licentia Capituli generalis. Patribus autem abbatibus in virtute sanctae obedientiae praecipit idem Capitulum quatinus si, quod avertat Altissimus, in monasteriis sibi subditis invenirent per se vel per alias religio-

---

[d] *deest* P^9. [e] per pers. Ord. : *deest* P^9.

sas personas idoneas et discretas ad loca personaliter accedant, advocato, si necesse fuerit, auxilio brachii saecularis. Et istud mandatum imo potius sententiam Capituli sine aliqua remissione ad effectum deducant ; quod si negligentes extiterint, ipsos citat Capitulum peremptorie et personaliter ad proximum sequens Capitulum, secundum tantum demeritum negligentiae graviter puniendos. Et si aliquae tales assignationes retroactis temporibus in monasteriis nostri Ordinis factae fuerint, seu etiam attentatae, ipsas ex nunc generale Capitulum annihilat et annulat, non obstantibus pactionibus quibuscumque et illicitis iuramentis. Si, quod absit, aliqui abbates vel conventus rebelles vel contumaces extiterint, abbates, monachi et conversi ex nunc pro illo tunc sententiam excommunicationis se noverint innodatos, et monasteria exponantur ecclesiastico interdicto. Et hanc sententiam volumus in omnibus capitulis abbatiarum illius provinciae, in qua hoc grande malum evenerit, omnibus diebus dominicis ab omnibus sacerdotibus, candelas in manibus, promulgari [f].

5. Item, cum in iure novissime caveatur quod Mendicantes ad Ordinem non Mendicantium venientes prostrati remaneant, nec de cetero vocem habeant in capitulo, nec ad dignitates vel officia sine Sedis Apostolicae licentia admittantur, statuit Capitulum et diffinit quod ista constitutio ab omnibus irrefragabiliter conservetur.

6. Item, petitionem abbatis de Ebra[co], qui petit quod abbas de Runa, cuius domus propter alluvium penitus est destructa, a generali Capitulo per sex annos excusetur, et per idem tempus ipsius conventus, si necessitas exegerit, de scitu tamen et consilio visitatoris, dispergatur [g], et quod abbas Cellae angelorum ratione novellae plantationis et penuriarum a dicto Capitulo per octo annos possit remanere, exaudit Capitulum generale.

7. Item, quia frater Ioannes, prior Morimundi contra Ordinis

---

[f] *huius statuti brevior habetur formula apud VW* : Ne unitas Ordinis per divisionem seu distractionem bonorum temporalium scindatur, statuit Capitulum generale, ut in quacumque domo divisa fuerint bona temporalia, ita ut abbates partem habeant et conventus aliam, abbates per patres abbates deponantur. non promovendi nisi de speciali licentia Capituli generalis; monachi vero vel conversi hoc procurantes, sub poena conspiratorum emittantur. Et ubi iam noscitur attentatum, annulat et annihilat Capitulum generale, et si personae aliquae tam salubri statuto reniti voluerint, ipso facto se noverint sententiam excommunicationis incidisse, et locum eorum supponit generale Capitulum ecclesiastico interdicto. [g] *hic desin. VW.*

decentiam et paternalem reverentiam litteras direxit diffamatorias ad exteras regiones, videlicet provinciam Faschoniam et Yspaniam, Capitulum generale eumdem absolvit ab officio prioratus, committens nihilominus dictum Capitulum domino Morimundi, ut eum emittat ad partes remotas non reversurum nisi de domini Cisterciensis licentia speciali, punitionem vero personarum in praedictis et aliis perversis machinationibus contra iam dictum dominum Morimundi consentientium committit Capitulum domino Cisterciensi in plenaria Ordinis potestate.

8. Item, cum fratres Hermannus de Heldric, et Albertus de Redwicz suae salutis immemores abbatia in Lancheim existentibus in apostasia maxima damna intulerint ac multa enormia commiserunt, et propterea emissi, Capitulum generale statuit et diffinit quod ad iam dictam abbatiam non recipiantur nisi de dicti Capituli generalis licentia speciali.

10. Item, super petitione viri domini Hainrici de Lippa de translatione abbatiae de Wisawicz generali Capitulo porrecta, taliter ordinat Capitulum generale, ut abbas de Ebraco dicta loca inspiciat, ordinet et procuret, per se vel per alium seu alios, prout expedire iudicaverit in plenaria Ordinis potestate.

1326

Anno [a] Domini millesimo trecentesimo vigesimo sexto statuta sunt haec apud Cistercium [b] in Capitulo generali.

1. In primis, licet iuxta [c] sanctorum patrum instituta in domo Dei debeat uniformitas observari, merito fortius in divina celebratione mysterii nos appendere convenit per quod devoti efficimur, Deo accepti reddimur et conspectui hominum gratiosi, quapropter generale Capitulum duxit provide statuendum quatinus officium de Corpore Christi, per Capitulum ordinatum, reiectis aliis officiis decantetur uniformiter per Ordinem universum.

2. Item, cum legislatoris condentis salubria intentio diffundetur nisi ea condita debite observentur et tanta sit transgredientium offensa gravior quanto superiorem inhibitionem circa hoc pluries commiserint superque esu carnium extra monaste-

---

1326. *Fontes* : P^9 : 1-5 ; *V* : 1, 3, 6, 7 ; *W* : 1, 3, 6-8. [a] *Titulus apud* P^9V. [b] tempore Cap. gen. : *V*. [c] iuxta... instituta : *deest VW*.

ria Ordinis personis Ordinis sit pluries inhibitum et per Capitulum ordinatum sit, quod persona quaelibet Ordinis quaecumque sit habens litteras sanctissimi patris nostri Summi Pontificis aut poenitentiariorum eius de carnibus in saeculo et extra loca Ordinis comedendis, illas sub poenis adiectis teneantur generali Capitulo deportare seu facere praesentare et ut fuerint aliqui qui super hoc Capitulum informaverint, praecipit et ordinat Capitulum ut quolibet die dominico in singulis capitulis illius provinciae, in qua aliqui inventi fuerint culpabiles, nominatim tales per generale Capitulum denuntientur in excommunicationis sententiam incurrisse. Visitatores autem in visitationibus suis super hoc nihilominus diligenter inquirant, et quos super hoc culpabiles invenerint, tam abbates quam officiales, et alios quoscumque auctoritate Capituli deponant, nisi litteras Summi Pontificis bullatas haberent in quibus contineatur expresse quod talis licentia conceditur, non obstantibus quibuscumque privilegiis Ordinis vel statutis omnibus aliis Capituli circa hoc editis nihilominus in suo robore permansuris.

3. Item, cum sincerae et immaculatae religionis [a] ambiget puritati ludis inhonestis et illicitis immiscere, ludum taxillorum et ludos quoscumque illicitos, qui sine offensa et proximorum scandalo valent minime exerceri, causa lucri pecuniarii seu cupiditatis, interdicit Capitulum personis Ordinis universi ; qui vero contrafecerit et super hoc convictus fuerit, per annum integrum ultimos omnium habeatur, et omni sexta feria eiusdem sit in pane et aqua ; quod si nec sic fuerit emendatus, privetur habitu regulari.

4. Item, ut aequaliter contributiones Ordinis dividantur, eligant abbates cuiuslibet provinciae duos eiusdem provinciae vel alterius, si noluerint, qui primitus tenebuntur iurare ad sancta Dei evangelia quod fideliter sine acceptione personarum monasteria inspicient et referrent contributiones [quae] per abbatias dividantur ; si autem sint aliquae provinciae ubi pauca [existant] monasteria, iungantur duo vel tres simul secundum quod illi qui erunt de dictis provinciis viderint expedire. Qui quidem sic electi, sic procedent : inquirent enim per iuramenta abbatum, et illorum qui statum abbatiarum sciunt vel scire possunt, distinguendo generationes in rotulis, quantum quaelibet abbatia

[a] religioni sit plane contrarium : *VW*.

solvit de contributione ultimo imposita, et valore reddituum et pretiorum rerum immobilium ; et quid inde invenerint et fecerint fideliter referrent Capitulo generali ad finem quod monasteria cuiuslibet generationis ad aequalitatem secundum proportionem reducantur. Vult etiam et ordinat Capitulum generale ut deinceps quilibet abbas respondeat in contributionibus immediate soli Capitulo generali, et per hoc videbitur si aliqua generatio sit gravata, et qui solvent et qui non solvent contributiones quae in posterum imponantur. Illi autem qui alios inspicient per alios duos eiusdem provinciae prout per abbates eiusdem provinciae eligentur, et abbates antequam eligant inspectores praedictos iurent quod eligent fideliores et aptiores quos in ipsa provincia invenient, et per hoc tres primi abbates cuiuslibet provinciae provocent seu convocent omnes abbates suae provinciae, qui abbates omnes personaliter venire teneantur.

5. Item, ne praetextu iuris ignorantiae vel casus alterius cuiuscumque contra superiorum statuta falcem suam quis praesumat in segetem mittere alienam, constitutionem novam felicis recordationis domini Clementis V in concilio Viennensi, ne religiosi clericis aut personis saecularibus absque parochiali licentia speciali sacramenta eucharistiae, unctionis extremae ministrare et matrimonia celebrare, sub poena excommunicationis lati canonis, cuius absolutio est Sedi dumtaxat Apostolicae reservata, generale Capitulum... *(sic desin.)*

6. Item, ne personae divino cultui mancipatae, excessiva personarum numerositate et tenui earum temporalis substantiae facultate, de altari cui habent deservire et de quo vivere valeant, iuxta statutum felicis recordationis domini Papae Clementis IV, praecipit Capitulum patribus abbatibus, ut quilibet in generatione sua in monasteriis monialium secundum earum facultates taxet seu taxari faciat religiosarum numerum, super quo non augmentando abbatissae et omnium aliarum personarum accipiat iuramentum. Si vero in aliquibus monasteriis ipsarum consideratis facultatibus personarum inveniatur numerus excessivus, numquam persona aliqua recipiatur quousque ad taxati numeri devenerint quantitatem. Abbatissa autem contra faciens, priorissa et subpriorissa et celleraria, consilium vel consensum in hoc praestantes, auctoritate Capituli generalis, absque retractatione aliqua ab officiis deponantur. Numerus autem taxatus per patres abbates vel ipsorum commissarios nullatenus augmen-

tetur, nisi bene facultates excresserent, quod numerus debeat merito augmentari.

7. Item, cum sit iustum et rationi consonum ut fideiussor quilibet indemnis servetur et a dispendiis relevetur, et dominus Cistercii se et ecclesiam suam, nec non quidam abbates alii pro debitis, in quibus Ordo tenetur in romana Curia erga creditores fideiusserint et se principales constituerint debitores, generale Capitulum ipsos volens indemnes servare, bona fide eisdem promittit, quod ipsos de fideiussione huiusmodi indemnes servabunt et si quae damna, expensas et gravamina [e] usurarum ac alia incommoda sustinuerint ob solutionis defectum, ea promittit sub bonorum Ordinis mobilium et immobilium obligatione eisdem perfecte et integraliter reservare.

8. Abbati de Amelungesborne conceditur, ut propter aes alienum bona quaedam in salinis Luneburgicis vendat abbati de Riddageshusen.

1327

Anno [a] Domini millesimo trecentesimo vigesimo septimo statuta sunt haec apud Cistercium [b] in Capitulo generali.

1. In primis, necessitatem sanctissimi in Christo [c] patris domini nostri Summi Pontificis et sollicitudines, quas gerit pro expugnatione hereticorum et inimicorum Ecclesiae sacrosanctae, devote considerans Capitulum generale eidem per modum, qui sequitur, ordinat subsidium faciendum, videlicet quod pro omnibus monasteriis infra regnum Franciae constitutis ac omnibus grangiis ad eadem monasteria pertinentibus, dato quod sint extra regnum, offert idem Capitulum domino nostro Summo Pontifici nomine subsidii decem millia florenorum infra octavas Epiphaniae Domini eidem solvendorum, ita quod dominus Cisterciensis et quatuor primi abbates imponant summas, poenas et terminos abbatibus dicti regni auctoritate Capituli generalis, dummodo quidquid levatum inventum fuerit abbatibus dicti regni circa Capitulum generale anni vicesimi sexti, decuriatur de sum-

---

[e] gravia ministeria : *W*.

1327. *Fontes* : *G* : 1 ; *P*[9] : 2, 4-6 ; *S* : 1-6 *(erronee sub anno* 1322) ; *VW* : 2-5. [a] *Titulus apud GP*[9]*SV*. [b] tempore Cap. gen. : *SV*. [c] *nihil amplius apud edit. S.*

ma praemissa decem millium florenorum, et omnino cesset quod permissum est. Et quantum ad monasteria extra regnum Franciae situata, ordinat Capitulum generale domino nostro Summo Pontifici sanctissimo subsidium ad unius decimae quantitatem per ipsius mandatum et nuntios colligendos, eo quod principes diversarum provinciarum hoc levare Ordini nec permittant, quod omnes abbates sub poena excommunicationis latae sententiae dictis collectoribus, cum ad eos devenerint, et eos requisierint, infra quindecim dierum spatium solvere teneantur, hoc adhibito moderamine quod si aliis decimas non solverint, eamdem sibi ipsis imponant secundum suas conscientias, servatis papalibus declarationibus super hoc editis, vel alias componantur curialiter cum eisdem, ita tamen quod quidquid iam levatum est ratione dicti subsidii, abbatibus extra regnum Franciae constitutis, decuriatur de summa eos contingente, et quod promissum est et non solutum, ad nihilum deducatur.

2. Item, cum fraudulentus [d] et nequam sit, qui sibi commissum revelat arcanum, ut huiusmodi vitium in posterum arctius evitetur, statuit Capitulum, ut monachi per abbates ad consilium vocandi ad requisitionem et discretionem abbatis iurare teneantur, quod secretum consilium fideliter tenebunt [e] et illud nullatenus revelabunt.

3. Item, ut personalitatis [f] vitium a personis Ordinis evitetur, inhibet Capitulum abbatibus et abbatissis et commissariis visitatoribus, ne monialibus cameras concedere praesumant ad inhabitandum absque Capituli licentia speciali ; quae vero aliter habuerint, ipsis carere et eas reddere teneantur.

4. Item, quoniam non solum vitium ingratitudinis est, imo etiam iniquitatis nota, quod aliqui secundum Ordinem istum professi, cum per gratiosa subsidia Ordinis vel quocumque alio modo ad gradus provecti fuerint altiores, statim volunt Ordini resistere et ab iugo sanctorum statutorum ipsius superbiendo colla demittere, quamquam deberent exemplar fieri totius humilitatis et virtutis ; ideo matura valde deliberatione sani consilii praehabita Capitulum [g] generale ordinat, statuit et diffinit quod baccalaurei in sacra theologia in futurum per generale Capitulum ad prosecutionem sui magisterii domino Cancellario pari-

[d] fraudulenter : *SVW.* [e] *hic desin. P*[9]. [f] partialitatis : *S.* [g] *hic incip. P*[9].

siensi praesentandi antequam praesententur, iurare tenebuntur in capitulo Sancti Bernardi praesente provisore ac omnibus scolaribus, et hoc sub poena excommunicationis latae sententiae, quod cum ad magisterium pervenerint, contra [h] instituta, ordinationes, privilegia et libertates Ordinis aliquid in futurum non attentabunt per se vel per alios, nec attentari quocumque doloso colore quaesito procurabunt, seu patientur [i] pro facultate sua procurari. Et est intentio Capituli generalis, quod haec diffinitio se extendat ad quaecumque Ordinis istius studia et quod baccalaurei in illis praesentandi similiter et sub eadem poena in capitulis suorum studiorum iurare tenebuntur. Extendit se etiam ad magistros iam licentiatos, qui, si abbates sint, cum ad sua loca redierint, in suis capitulis iurabunt similia, non abbates in capitulis suorum studiorum. Provisores vero dicti studii, aut magistri aut baccalaurei huiusmodi iuramentum emittant, provideant sibi de notariis publicis et idoneis testibus et de hoc procurent fieri publicum instrumentum et haec eadem intendit per eamdem diffinitionem ad iurandum omnes Ordinem istum professos ad episcopalem dignitatem promovendos.

5. Item, quoniam frequenter ad tantam procedit temeritatem indocta simplicitas, quod viae, quae ad inferni deducunt profunda, iustae, erronea seducente conscientia, censeantur, quod satis licet experiri in aliquibus personis Ordinis istius et maxime in monialibus, sicut [j] ad aures Capituli delatum est, quae tanti erroris caligine mentes excaecatas habent, ut post emissum voluntariae paupertatis votum, credant aliqua eis propria et in sua libera potestate possidere vivendo licere et de his seu in vita seu moriendo testamentum facere et pro voluntate libera ordinare; de quibus, qui sic decedunt, vere gemendum est, ne et iam tamquam reprobi deputati sint aeternae damnationis ultioni. Propter quod volens Capitulum generale tantae temeritati viis salubribus [k] obviare statuendo et diffiniendo praecipit personis Ordinis universi, cuiuscumque status extiterint, ne cuiquam permittatur de cetero de rebus quibuscumque et quomodocumque seu quacumque permissione habitis in morte testamentum facere vel quomodolibet pro voluntate libera ordinare, cum in his nihil possit reclamari liberum, sed sint omnia superioribus suis, si sint

---

[h] sollemniter : *S.* [i] pacienter : *S.* [j] *hic incip. P⁹ et breviorem refert formulam.* [k] celerius : *VW.*

subditi, vel conventibus, si abbates vel abbatissae fuerint, fideliter resignanda. Quod si contra tam salubre statutum aliqua persona Ordinis transgredi praesumpserit, tamquam excommunicata et proprietaria, honore et fructu, sine quacumque interpellatione, ecclesiastica careat sepultura.

6. Item, quoniam, prout generali Capitulo relatum est, plures monachi Ordinis ad partes remotas visitandi gratia accedentes, suae commissionis limites excedere et plura rationi dissona facere, quae in religionis vergunt excidium et monasteriorum grave dispendium, committere non verentur ; statuit Capitulum et diffinit quod de cetero patres abbates huiusmodi visitationis officium certis abbatibus providis in commissionis litteris nominatim expresse committant, qui per omnia habeant vices suas ; poterunt tamen dicti abbates monachos ad partes praedictas dirigere, qui praefatae commissionis litteras deferant ad eosdem et una cum ipsis ad dicta visitanda accedant monasteria, ut praefatis patribus status filiarum suarum valeant certitudinaliter et expresse referre. In visitationibus tamen officio nullam prorsus habeant potestatem.

1328

Anno [a] Domini millesimo trecentesimo vigesimo octavo statuta sunt haec apud Cistercium [b] in Capitulo generali.

1. In primis, quia piissimae dignationis et gratiarum sanctissimus pater noster dominus Summus Pontifex nos, suos humiles filios, sanctissimae suae salutatione alloquio voluit praevenire brachiis paternae devotionis, Capitulum gaudenter accipiens necnon reverenter amplectens mandatum eiusdem ut in singulis domibus Ordinis pro bono statu Ecclesiae sanctae, quae modernis temporibus gravissimis guerrarum fluctibus agitatur, et diversorum schismatum erroribus vehementius impugnatur, speciales orationes dicantur quas idem dominus Summus Pontifex salubriter ordinavit, quod oratio infra scripta in singulis missis tam conventualibus quam privatis post *Pater noster* dicatur scili-

1328. *Fontes* : *G* : 13-15 ; *P*9 : 1-9 ; *VW* : 6, 10-12. [a] *Titulus apud GP*9*V*. [b] tempore Cap. gen. : *GV*.

cet *Laetatus sum* cum *Gloria, Pater noster, Kyrie eleison, Christe eleison, Kyrie eleison, Et ne nos inducas,* et sequuntur versiculi *Domine salvum fac regem,* etc., *Salvum fac populum tuum, Domine,* etc., *Fiat pax,* etc., *Domine exaudi,* etc., *Oremus, Ecclesiae tuae,* etc., *Hostium nostrorum,* etc., ut Pater misericordiarum et Deus totius consolationis aquilonem convertat in austrum, et tempestates varias quae insurgunt dignetur convertere in tranquillum. Omnibus autem vere poenitentibus et confessis tam dicentibus quam eis assistentibus et aliis tunc devotas Deo preces fundentibus diebus singulis et missis quibus haec fuerint, viginti dies per eumdem Summum Pontificem de iniunctis sibi poenitentiis misericorditer relaxantur.

2. Item, cum omnis alienatio bonorum sit a iure nobis penitus interdicta, et ex alienatione et ordinatione bonorum indebita Ordo noster incurrere multa damna, generale Capitulum praecavendo periculis praefatis statuit et ordinat strictius inhibendo ne aliquis abbas bona immobilia alienare seu suum monasterium obligare ultra summam centum librarum turonensium parvorum, ab Ordine communiter institutum sine causa utili et rationabili absque consensu sanioris et maioris partis conventus, quorum nomina in instrumento contractus praecipit Capitulum generale conscribi et in casibus a iure concessis aliqualiter audeat vel praesumat. Si quis autem contrarium attentare praesumpserit ultra poenam statutam a canone quam incurrisse convincitur, per patrem abbatem quibuscumque non obstantibus deponatur.

3. Item, cum ad audientiam Capituli fide dignorum relatione pervenerit quod quidam nostri professi Ordinis seducti diabolicae suggestionis astucia, facta Domini Dei sui quae non solum sua sed etiam se ipsos professionem Ordinis, abnegant, immemores ne Ananiae et Saphyrae mortis sententiam formidantes, proprietatis vitio, quod idolorum servitus esse dignoscitur, damnabiliter incumberi effrenata cupiditate praesumunt penes se pecuniam et iocalia detinendo, animalia personis saecularibus commendando, pecuniam mutuando, seu penes alios nomine commendae vel depositi tradendo sub proprio titulo et aliquotiens alieno, generale Capitulum tantae enormitatis maculam de subditorum cordibus radicitus extirpare [volens], statuit et diffinit quod quicumque in praemissis fuerit deprehensus poenae proprietariorum et furum per omnia subiacebit, nisi ratione

extrinsecae administrationis eidem retinendi penes se pecuniam ab abbate proprio licentia sit concessa. Et ut praesumentes talia amplius terreantur, praecipit Capitulum quod in singulis capitulis Ordinis omnibus diebus quibus in eodem sermonem habere contigerit, proprietarii huiusmodi excommunicati per abbates vel praesidentes solemniter nuntientur, aliis diffinitionibus in suo robore duraturis.

4. Item, diffinitionem anno praeterito editam super eo quod ad visitandum monachi non mittantur, et missi in visitationis officium, sed abbates solummodo, nullam habeant potestatem, generale Capitulum sic declarat quod monachi ad monasteria gratia visitandi directi, cum assumptis seu commissis abbatibus, accedant ad monasteria visitanda, et quamquam auctoritatem non habeant visitandi, in agendis in visitatione abbates praedicti monachorum praedictorum requirere tenentur consilium ex congruo et cum eorum consilio salubriter ordinare quae in eisdem visitationibus fuerit ordinanda.

5. Item, ut diffinitio anno praeterito edita qua cavetur salubriter quod monachi Ordinis ad sacri magisterii statum promoti et in posterum promovendi iurare teneantur quod contra statuta, privilegia, libertates, et Ordinis ordinationes nullatenus attentabunt ; qua ratione dubietatis scrupulo sic declarat eamdem, quod ut praemittitur, contra statuta, privilegia et ordinationes praefatas nihil attentabunt, de cetero aliquid impetrando contra Ordinis instituta, nec eadem praesument vel etiam per se vel per alium procurabunt clam vel palam infringere seu quomodolibet impugnare. Quod si sic iurare noluerint, priventur gratiis in propriis domibus sibi factis, nec quae sperant habere, quousque praedictum praestiterint iuramentum, [habeant].

6. Item, cum ad aures Capituli sit delatum quod quidam abbates et monachi Ordinis, renuendo [c] disciplinae regularis observantiam, in suae salutis iacturam et Ordinis scandalum carnes comedere extra monasteria et loca ab Ordine deputata praesumunt, sententiam a Capitulo latam super hoc et poenas ceteras contemnendo ; ne igitur inter filios disciplinae tanta ruga deformitatis pullulet, generale Capitulum visitatoribus Ordinis in virtute sanctae obedientiae praecipit et committit, quatinus in suis singulis visitationibus diligenter per iuramenta singulorum

[c] reiecta disc. reg. observantia : *VW*.

super hoc inquirere studeant, et si aliquem [d] probabiliter in praemissis repererint excessisse, si abbates fuerint, eos deponant; si monachi aut conversi [e], ipsos per annum eo ipso privent habitu regulari, ut quos timor Dei nec pudor honoris monastici a malo non potest retrahere, poenae temporalis severitas valeat saltem efficaciter coercere.

7. Item, cum ad audientiam Capituli pervenit quod quidam abbates Ordinis propriis incumbentes affectibus monachos extraneae professionis in fraudem extra capitula Ordinis ad professionem Ordinis recipere et [in] subditorum scandalum suo collegio sociare praesumunt, eapropter generale Capitulum cupiens hanc enormitatem nefariam perpetuo resecare, statuit inhibendo ne aliquis conditionis huiusmodi vel alterius de cetero alibi quam in capitulo coram omnibus recipiantur ad Ordinis professionem, et si quisquam in futurum recepturi fuerint, praedicta receptio eo ipso sit irrita et inanis.

8. Item, quia maiorum statuta inferiores obligant ut observent, ideo statuit Capitulum ut Mendicantes qui ad nostrum Ordinem transierint prostrati iuxta constitutionem iaceant clementinam, nec deinceps recipiantur tales in Ordine per quemcumque. Quicumque autem abbas receptos exaltaverit contra ipsius constitutionis tenorem, vel receperit ad Ordinem in futurum ab ingressu ecclesiae sit suspensus, donec sic exaltatum prostraverit, ut in constitutione praedicta prostratos manere constituitur. Et qui de cetero aliquem receperit eamdem poenitentiam se noverit incurrisse, donec expulerit sic receptum.

9. Item, quoniam nihil consistens in hominis potestate sic reformat primum lapsum hominis sicut studium regulatum, ideo Capitulum generale aegre ferens quia praecipit studia Tolosae et Montispessulani reformari, ordinat et diffinit ut omnes scolares studentes ibidem per omnia religiose se habeant ut clare pateat eos ad studium accessisse, praesidentibusque in ipsis studiis obediant, sicut in monasteriis obedirent prioribus, vel hiis qui conventibus praesident. Omnes sacerdotes semel in septimana ad minus celebrent, non sacerdotes communicent semel in hebdomada, ut appareat quod illi militant quem frequentant. Nec domum studii exeant nisi bini et de licentia praesidentis. Quod si bis moniti non emendantur, a studio expellantur,

---

[d] aliquis : *W*. [e] *deest VW*.

non reversuri sine licentia Capituli generalis, nec abbates sui eisdem quascumque licentias quamdiu in studio morabuntur [concedant] et si eis iniungant quodcumque negotium exsequendum scribant super hoc provisori, aliter ipsi studentes ipsa negotia exsequi non praesumant. De communi bursa provideatur quoad conventualia provisori, lectori et sacristae, et nulli ali nisi cum aliis ponat bursam ; quae bursa recipiatur, custodiatur et expendatur per duos studentes una cum provisore ; qui studentes ad annum eligantur per studentes alios vel ad mensem assignantur. Singulae cellae singulis studentibus per provisorem assignentur, qui studentes, quando recedent de studio non reversuri ipsi provisori vel alteri de licentia eius tradant claves. Quaecumque autem personae de dictis cellis coopertura, clausuram vel clavaturam, nisi pro meliorandis ipsis cellis removerit vel fregerit scienter vel fieri fecerit quoquomodo, excommunicationis sententiam latam a generali Capitulo se noverit incurrisse. Abbates etiam omnes et singuli mittant studentes immutabiliter ad praedicta studia prout in *Libello diffinitionum*, nona distinctione, expressius vel latius expressatur. Qui autem non miserint, in tot bursis teneantur ipsis studiis pro necessitate reparandis quot scolares mittere tenerentur. Quicumque autem scolaris fuerit negligens in studendo vel notabiliter vagabundus, si bis monitus non emendaverit, indispensabiliter de studio emittatur ; studentes autem omnes et singuli sint indispensabiliter ad lectionem lectoris theologiae integram. Quicumque vero defecerit, illa die omnino careat pitantia atque vino, et super hoc assiduus vel frequentans de studio expellatur. Abbates etiam Grandissylvae et de Vallemagna, quilibet in studio suo, teneantur habere sufficientem lectorem, cui decenter habeat providere. Praeterea autem Capitulum generale, aliis statutis Ordinis super studiis observatis, reformatio olim facta in praedicto studio Tolosano ad Montispessulani studium extendatur, auctoritate eiusdem Capituli per venerabiles de Bonofonte et de Bolbona abbates, sacrae theologiae doctores quoad sua capitula universa, nisi in quantum superius positis contrairent.

10. Item, quoniam quidam abbates Ordinis adeo mandata Capituli despiciunt, quod quando eis aliquid per idem Capitulum committitur faciendum, sequenti Capitulo in scandalum et detrimentum Ordinis, quae fecerint renuntiare contemnunt ; generale Capitulum ne tanta negligentia remaneat impunita, ordinat et

statuit, quod quicumque commissarius Capituli de cetero, quae exinde fecerit, renuntiare distulerit, eo ipso tribus diebus, uno eorum in pane et aqua faciat levem culpam. Quod si facere contempserit, quousque ipsam fecerit, gradum altaris ascendere non praesumat.

11. Item, cum alias sit salubriter statutum per generale Capitulum, quod in singulis domibus Ordinis certi statuantur bursarii, qui omnes redditus et proventus monasterii, undecumque proveniant, recipiant et expendant utiliter de abbatis et cellerarii voluntate, statuit Capitulum quod praefata statuta ab omnibus firmiter observentur, praecipiens abbatibus Ordinis, qui hucusque bursarios facere distulerunt, quatinus infra mensem, postquam statuti praesentis notitiam habuerint, bursarios seu bursarium statuere non omittant. Quod si distulerint, eo ipso gradum altaris ascendere non praesumant, quousque praemissa decreverint efficaciter ordinare.

12. Item, frustra statuitur quod minime observatur ; diffinitioni ne monachi intrent Cistercium tempore Capituli generalis, additur quod nullus per se vel per alium contra praedictam diffinitionem intrandi petat licentiam ; nec etiam ubi concessa est, ea uti habeat potestatem, nisi a domino Cistercii una cum Diffinitoribus [f] licentia huiusmodi concedatur, poenis et sententiis in diffinitionibus aliis editis in suo robore permansuris.

13. Item, ordinationem subsidii pro domino nostro Summo Pontifice et pro defensione sanctae matris Ecclesiae, quae hiis diebus graviter guerrarum impulsibus obruitur, faciendi, generale Capitulum domino Cisterciensi et quatuor primis vocatis, quos voluerit, committit ut eiusdem subsidii summas ordinent, terminos imponant, poenas taxent, prout faciendum viderint in plenaria Ordinis potestate. Item, praeterea de pensione annua pro domino cardinali nostro per Ordinem concedenda, et aliis negotiis in Curia romana exsequendis et procuratore [g] ibidem statuendo, committit eisdem Capitulum, ut pro praedictis ordinent, contributionem moderatam per Ordinem faciendo, terminos imponendo, poenas taxando, in plenaria Ordinis potestate.

14. Item, Ordinis nostri generosa plantatio semper a sui creationis exordio totis mentis conatibus caritatis mentes fovit hu-

---

[f] diffinitionibus : *W.* [g] pro curia : *edit. S.*

cusque et unitatem nutrivit, sed proh dolor ! hiis diebus in multis personis Ordinis adeo caritas refriguit et iniquitas abundavit, quod ipsa suspensa velut ignis impietas reiecta disciplina iustitiae et observatione fidei relegata ordini suo gravissimas divisionis insidias damnabiliter moliuntur, procurando sibi ipsis edictum per principes et dominos temporales fieri, ne ad generale Capitulum, quod caritatis et unitatis monasticae conservativum esse dignoscitur, veniant contributionesque Ordinis non solvant, secundum Ordinis instituta. Quapropter generale Capitulum cupiens tantae malitiae salubriter obviare, irrefragabiliter statuit et diffinit, quod quicumque abbas Ordinis per se vel per alium, clam vel palam talium praesumptione temporalium et calliditate subdola praesumpserit attentare, eo ipso excommunicationis sententia se sentiat innodatum.

15. Item, et quomodo prout generali Capitulo extitit nuntiatum, dominus rex Angliae ad aliquorum qui, quae sua sunt quaerunt, et sacri Ordinis unitatem infringere cupiunt, subiectionem necessariam abbatibus nostri Ordinis in regno Angliae constitutis, ne ad generale Capitulum veniant seu contributionum summas eis impositas ab Ordine solvant dicto regi, prohiberi curavit in Ordinis grave praeiudicium et gravamen, ideo generale Capitulum ordinat et statuit quod per dominum Cisterciensem et quatuor primos solemnes nuntii ordinentur, qui se ad partes Angliae transferentes, ex parte Ordinis dicto domino regi et dominae reginae matri suae supplicare studeant, ut progenitorum suorum inhaerentes vestigiis ordinemque suum prosequentes favoribus gratiosis, edictum praefatum de consueta benignitatis clementia, quod ex huiusmodi caritas et unitas sui Ordinis, nisi maiestas regia apponat opportunum remedium, et taliter enervetur, praesertim quod per sanctae memoriae Clementem Summum Pontificem fuerit ordinatum, quod abbates Ordinis sui regni, qui consuetis temporibus ad Capitulum venire contempserint, eo ipso excommunicationis sententia se ligatos agnoscant.

1329

Anno [a] Domini millesimo trecentesimo vigesimo nono statuta sunt haec apud Cistercium [b] in Capitulo generali.

1329. *Fontes* : P^9 : 1-6 ; *S* : 1-9 ; *V* : 1-5, 7 ; *W* : 1-5, 7, 10. [a] *Titulus apud* P^9SV. [b] tempore Cap. gen. : *SV*.

1. In primis, cum sanctorum doctorum testimonio Beatae Dei Genitricis continua laudum preconia cum alacritate mentis et spiritus impendere teneamur, quae virtutum omnium plenitudinem habuit sponsum forma prae filiis hominum genuit et incessanter pro nobis miseris peccatoribus intercedit; eapropter generale Capitulum ad ipsius laudis praeconium excolendum, statuit [c] et diffinit quod de cetero paschali tempore loco *Sancta Dei Genitrix*, antiphona *Regina coeli laetare*, ab omnibus cantetur ad vesperas, in singulis domibus Ordinis universi.

2. Item, cum omnes sanctos quos sancta Ecclesia colit, etiam teneamur congrua veneratione et dignis laudibus praeconium honorare, hinc est quod generale Capitulum ordinat [d] et statuit et diffinit, quod de beato Thoma de Aquino Ordinis Praedicatorum, qui [e] vitae et conversationis sanctimonia firmamentum militantis Ecclesiae decoravit, et suis scriptis et salutaribus documentis multipliciter, ut stella lucidissima, praelustravit, septimo die mensis martii fiat festum duodecim lectionum, sicut de beato Dominico, per Ordinem universum, et quoniam fratres dicti Ordinis aliquas reliquias de suo corpore sacratissimo, quod existit in nostro [f] Ordine tumulatum [g] petunt, ad eiusdem venerationis augmentum sibi cum instantia elargiri, generale Capitulum eisdem gratiose annuens brachium a cubito usque ad manum duxit favorabiliter concedendum.

3. Item, ut monasteriorum Ordinis officiales in temporalibus constituti salubrius gubernent, et ad monasterii bona fidelius dispensanda per amplius astringantur, generale Capitulum statuit et diffinit quod cellerarii, bursarii, ceterique officiales ac grangiarum [h] magistri qui nunc sunt seu pro tempore fuerint constituti, praestare iuramenta solemniter teneantur, quod sua officia exerceant [i] fideliter et domus substantiam fideliter pertractent [j].

4. Item, ut patres abbates filiarum suarum statum valeant agnoscere luculenter, generale Capitulum statuit patribus abbatibus iniungendo, quatinus in nova creatione abbatum de domus statu diligenter inquirant, quid et quantum habeant in mobilibus, seu debeant, et quot eis debita debeantur [k], praemissaque

---

[c] *hic incip.* *VW*. [d] *hic incip.* *VW*. [e] qui... praelustravit: *deest* *VW*. [f] monasterio: P^9. [g] sepultum: *VW*. [h] rectores seu: *VW*. [i] excolerint: P^9. [j] procurabunt: P^9. [k] teneantur: *VW*.

omnia sub sigillis suis abbatibus reconsignent, eaque omnia et singula in papiro bursario coram senioribus domus faciant cum integritate conscribi fideliter [l] reservando.

5. Item, quoniam quidam abbates Ordinis, prout generali Capitulo est delatum, statuta sacrae regulae contemnentes aliorum monasteriorum monachos pro culpa gravi emissos ad remota monasteria cum [m] propriorum abbatum voluntate, in suae salutis dispendium, disciplinae regularis excidium, in suis monasteriis temere propria auctoritate dictos monachos retinere praesumunt ; eapropter generale Capitulum ad reprimendam talium personarum malitiam, statuit strictius inhibendo, ne de cetero quicumque abbas Ordinis alienum monachum sic emissum in suo monasterio ultra triduum retinere audeat, nisi de proprii abbatis processerit voluntate, alioquin excommunicationis sententia se agnoscat innodatum.

6. Item, ut via superfluis sumptibus et expensis efficaciter praecludatur, inhibet Capitulum ne aliquis abbas Ordinis pro negotiis [n] communibus Ordinis per audientiam Curiae discutiendis ac [o] etiam transeundis alium procuratorem in romana Curia residentem constituat [p] praeterquam procuratorem Ordinis generalem, vel [q] ab ipso constitutos, nisi de ipsius procuratoris consilio et assensu. Qui vero procuratorem alium statuere praesumpserit, eo ipso pro anno quolibet tres florenos auri [r] procuratori Ordinis nostri memorato solvere teneatur ; abbates autem pro negotiis specialibus procuratores vel monachos ad Curiam transeuntes eosdem iurare primitus faciant solemniter quod infra triduum postquam ad Curiam intraverint se procuratoris praefati conspectui, si copiam ipsius habere potuerint, praesentabunt.

7. Item, ut contributiones in Ordine faciendae secundum quantitatem [s] debitam valeant distribui et imponi, generale Capitulum statuit et pro viribus abbatibus et visitatoribus Ordinis praecipit firmiter iniungendo, quatinus in suis visitationibus patres [t] abbates, cellerarios, bursarios ac grangiarum magistros, recepto ab eisdem de veritate dicenda primitus iuramento, statum et valorem singulorum monasteriorum clare et lucide sol-

---

[l] fidel. reserv. : *deest* P^9. [m] sine : *VW*. [n] vel casibus Ord. : *S*. [o] ac et. trans. : *deest S*. [p] habeat : *S*. [q] substitutum : *S*. [r] *deest S*. [s] qualitatem : *W*. [t] per : *W*.

licitudine debita studeant inquirere et diligenter videre, quantum habeant in redditibus pecuniae [u], bladi, ceterisque proventibus communiter assuetis, quot grangias ac vineas, et quantum praedia, grangiae, vineae, deductis expensis earumdem annuatim possint monasteriis communi aestimatione valere. Praemissaque omnia et singula in scriptis redigant et sub sigillis suis ea deferre, vel si non venerint, mittere per certum nuntium Capitulo non omittant, ut pensatis possessionibus et facultatibus singulorum Capitulum matura deliberatione praevia irrevocabiliter imponat cuilibet, prout viderit expedire secundum iudicium aequitatis.

8. Item, quoniam nihil foret studia constituere, scolares ad eadem mittere, nisi in eisdem lectores statuantur discreti et providi, qui auditores valeant informare salubriter et docere ; ea propter Capitulum abbatibus de Vallemagna et de Grandisylva praecipit districtius et iniungit, quatinus in suis studiis de convenientibus et eruditis lectoribus studeant providere ; quod si renuerint, in sequenti Capitulo se recognoscere teneantur per idem Capitulum graviter puniendi.

9. Item, cum saepe et pluries fuerit per Capitulum diffinitum, quod abbates Ordinis ad studia monachos mitterent aptos et idoneos ad studendum, quod hucusque facere plurimi distulerunt, generale Capitulum praecipit et iniungit [patribus abbatibus] quatinus in suis visitationibus ac citius subditos abbates, quos potentes ad hujusmodi repererint, ad mittendum per censuram debitam coerceant et compellant unius mensis eisdem praefigendi ; quod si neglexerint, tamdiu extra stallum maneant, quousque praemissa studuerint adimplere. Monachi vero de cetero ad studium transmittendi in monachorum suorum capitulis primitus iurare tenentur, quod de cetero contra communia Ordinis privilegia, libertates, approbatas consuetudines Ordinis et statuta aliquid clam vel palam, per se vel per alios vel alium attentare, impetrare seu etiam eisdem in aliquo contraire non praesumant ; quod si iurare noluerint, non mittantur. Scolares nunc in studio existentes, omni excusatione et occasione postposita, praestare studeant simile iuramentum ; quod si praestare recusaverint, indilate de dictis studiis expellantur.

---

[u] *deest P⁹V.*

10. Capitulum generale consentit venditioni sartaginis in salina Luneburgensi per abbatem de Amelungsborn factae.

1330

Anno [a] Domini millesimo trecentesimo tricesimo statuta sunt haec apud Cistercium tempore Capituli generalis.

1. In primis, cum ille callidus supplantator et calumniator iniquus [b], qui [c] non quaerit quod flumen absorbeat, nisi Iordanis influat in os eius, escas concupiscens electas, usque ad speciosissimas Ecclesiae discerpendi calliditate nefaria, concussione terribili, manus extendere temerarias est molitus, errorum et schismatum quae accrescunt procella discrimina in Ecclesia seminando, totisque viribus et continuis laborans [d] conatibus, ut inconsutilem Domini tunicam dividat, ut pacis testamentum [e] quod [f] rex ipse patiens condidit, subdola malignitate confringat [g], scilicet eius fraudulentis [h] conatibus divinae respectus gratiae sic [i] obviare studuit his diebus, quod [j] capitis [k] et auctoris huiusmodi execrabilis nequitiae animum [l] nube erroris obductum, videlicet Petri de Corbario, qui, suadente diabolo [m], sacrosanctae romanae Ecclesiae praesumpsit usurpare damnabiliter principatum, sic suo lumine [n] serenavit, quod suum errorem congrua detestans poenitudine [o] ad pedes sanctissimi patris nostri domini Summi Pontificis venire voluit, et in plebis [p] praesentia, errorem suum tam execrabilem, quod corde contrito et humiliato [q] lacrymabiliter condemnare curavit, de tam nefandis excessibus veniam humiliter postulando; unde [r] super hoc quod suam Ecclesiam divina benignitas respexit, gloria in altissimis Deo et spiritualis exultationis gaudium inesse debet cunctis fidelibus super terram. Eapropter generale Capitulum ordinat et diffinit, quod quam citius ad monasteria Ordinis huiusmodi notitia devenerit, *Te Deum* laudamus per claustri circulum al-

---

1330. *Fontes* : *G* : 1 ; *M* : 1-12 ; *S* : 1, 2, 4-6, 9-11 ; *V* : 2, 3, 11. [a] *Titulus apud GSV.* [b] inimicus : *M.* [c] qui non quaerit... viribus et : *deest G.* [d] elaboret : *G.* [e] testamento : *M.* [f] quod... condidit : *deest G.* [g] confricat : *M.* [h] fraudulentibus : *M.* [i] sicut : *M.* [j] quos : *M.* [k] capit exactor huiusmodi : *M.* [l] minime obductum : *M.* [m] maligno : *G.* [n] *deest M.* [o] plenitudine : *M.* [p] in plebis praes. : *deest G.* [q] humiliter : *M.* [r] unde super... super terram : *deest G.*

tissime decantetur, et missa de Spiritu Sancto in singulis Ordinis domibus solemniter celebretur [s].

2. Item, cum saepe vel pluries Capitulum generale statuerit, quod abbates Ordinis monachos idoneos et sufficientes ad studendum mittere, omni postposita frivola excusatione et perniciosa vel morosa dilatione, curarent, poenas certas contra negligentes statuendo, qui quidem poenas et statuta Ordinis contemnentes, hucusque mittere in confusionis opprobrium distulerunt. Hinc est quod Capitulum abbatibus Ordinis praecipit strictius et iniungit, infra duorum mensium spatium, postquam ad eorum notitiam devenerit hoc mandatum, monachos ad studendum convenientes et idoneos ad studia Ordinis mittere non differant, prout in *Libello diffinitionum* noscitur esse cautum. Quicumque vero infra praefatum terminum mittere renuerit, eo ipso ingressum ecclesiae sibi noverit interdictum. Patres autem abbates et visitatores, in suis visitationibus sibi subditos, quos negligentes invenerint, per censuram Ordinis ad huiusmodi coerceant et compellant.

3. Item, cum anno praeterito fuerit diffinitum quod abbates Ordinis extra regnum Franciae constituti dimidiam decimam domino Summo Pontifici concessam commissariis suis solvere non differant, postquam ab eis fuerit requisiti, alioquin pro depositis habeantur ; quod quidem aliqui cum instantia moniti facere contempserunt, excusationes frivolas allegando, scilicet [t] quod ipsorum commissariorum potestas ad eorum provincias minime [u] se extendit ; ne forte de cetero excusationes habeant huiusmodi in praedictis, eisdem abbatibus praecipit Capitulum strictius iniungendo quod dictam decimam praefatis nuntiis domini Summi Pontificis infra praedictum terminum solvere studeant ex integro, dum tamen ipsis abbatibus prius constiterit, quod ad huiusmodi procurandam [v] de provinciis fuerint deputati, sub poenis in praemissa diffinitione contentis, quas eo ipso si in solvendo negligentes fuerint, denuntiat incurrisse.

4. Item, saluti animarum [w] consulere, et monasteriorum Ordinis vacantium cupiens Capitulum futuris periculis obviare, statuit, ordinat et diffinit, quod quotienscumque abbates cedere, decedere, seu ad alium monasterium transferre contigerit, prior,

---

[s] decantetur : *M.* [t] viriliter : *M.* [u] nimis : *M.* [v] non curando : *M.*
[w] animae : *M.*

cellerarius, supprior, cum tribus aut quatuor senioribus domus de bonis monasterii mobilibus, iocalibus [x], pecunia, utensilibus, et aliis quibuscumque plenum ac lucidum inventorium studeant facere, et futuro abbati eadem ex integro consignare. Quicumque aliquid de praedictis quovismodo penes se retinuerit, aut distrahere praesumpserit, ipso facto sententiam excommunicationis se noverit incurrisse.

5. Item, cum abbates plurimi, qui cesserunt, postquam sua monasteria destruxerunt, et gravaminibus variis, et usurarum, variisque debitis ac pensionibus non modicis importabiliter onerarunt, nec exinde puniti fuerunt, imo potius tamquam benemeriti nonnunquam pensionibus annuis, libertatibus, gratiis plurimis gaudent indebite et iniuste, ne talium malitia tam execrabilis remaneat impunita, correctionem et punitionem praedictorum, qui, ut praemittitur, cesserunt et sua monasteria sic tractarunt, domino Claraevallis per se vel per alium in sua generatione immediata et ceteris patribus cuilibet in generatione sua, committit Capitulum ut eosdem et monachos eisdem in suis excessibus adhaerentes, inquisita primitus veritate, puniat, et corrigat perinde excessus singulorum, prout exposcet qualitas eorum, districtione canonica, in plenaria Ordinis potestate.

6. Item, cum a generali Capitulo a longinquis temporibus fuerit diffinitum, quod nullus de Ordine Mendicantium in nostro [Ordine] recipiatur ad habitum [y] regularem, sine licentia Capituli generalis, quod hucusque minime extitit observatum ; eapropter Capitulum generale omnibus abbatibus Ordinis duxit strictius inhibendum ne de cetero aliquis de Ordine Praedicatorum ad habitum regularem, nisi de domini nostri Summi Pontificis mandato et licentia speciali [admittatur]. Qui vero aliquem aliter receperit, seu receptioni consenserit vel procuraverit, eo ipso excommunicationis sententia se noverit innodatum. Iam vero recepti omnimodo prostrati maneant [z] iuxta continentiam Clementinae.

7. Item, cum anno Domini M.CCC.XX fuerit districtius [a] diffinitum, ut in causis et correctionibus Ordinis nulla saecularis persona, advocatus, vel publicus notarius intersit, seu etiam advocetur, sub certis poenis et sententiis in dicta diffinitione contentis, dictas poenas et sententias in illa diffinitione contentas

---

[x] totalibus : *M.* [y] habitu : *M.* [z] nequeant : *P*[9]. [a] distinctum : *P*[9].

certis de causis vult Capitulum esse suspensas, quousque easdem duxerit revocandas.

8. Item, cum propter defectum solutionis contributionum contingat unitatem Ordinis saepe laedi, statuit Capitulum ut abbates, qui hoc anno praeterito solvere potentes, nisi praetaxatam contributionem in Cistercio vel Divione antequam recedant, non solverint cum effectu, eo ipso se noverint sententiam excommunicationis incurrisse. Praesenti vero non potentes solvere quod eorum conscientiis relinquitur, nisi cum Domino Cisterciensi antequam de Cistercio vel de Divione recedant, sufficientem causam de solutione praestiterint, eamdem sententiam se noverint incurrisse. Abbates vero absentes illi qui sunt de regno citra Alpes et Rhenum, nisi infra Pascha apud Cistercium, remotiores vero, nisi infra sequens generale Capitulum dictam contributionem solverint, incurrant sententiam excommunicationis ipso facto.

9. Item, diffinitioni editae anno Domini M.CCC.XXVIII super alienatione et venditione bonorum immobilium non fienda, addit Capitulum generale, ut abbates contrarium facientes ipso facto pro depositis habeantur, et conventus ad novi abbatis electionem procedant. Officiales in hoc consentientes ab officiis suis sint depositi, et nihilominus vinculo excommunicationis se noverint innodatos [b].

10. Item, ut circa contributiones in posterum imponendas obscurum quodcumque tollatur, et omnia in debitam perveniant claritatem [c], domino Cisterciensi et quatuor primis ceterisque patribus abbatibus quibuscumque praecipitur, ut infra sequens Capitulum omnes summas contributionum quas filiabus suis immediate imponunt particulatim et distincte [d] bursario Cisterciensi in libro scribendas tradere, vel mittere non omittant. Quicumque vero super hoc remissus aut negligens fuerit, quousque id adimpleverit, ipso facto sibi noscat ingressum ecclesiae interdictum.

11. Item, cum insolitae et indebitae novitates sint non immerito ab Ordine abolendae, et maxime quae gastrimargiam et carnis curiositatem praetendere et sapere videntur, et ad notitiam Capituli sit delatum [e] in capitulo de Barberio quoddam esse depictum calendarium, in quo dicti loci conventus pitantiae

---

[b] irrectitos : *P*[9]. [c] caritatem : *M*. [d] districte : *M*. [e] in capitulo... extendi : *deest V*.

fiendae certis diebus annotantur, praecipit Capitulum ut dictum calendarium penitus deleatur, martyrologio vel libro Regulae ubi voluerint, pitantiae dictae inscribantur, et ne alibi consimile attentetur, hanc praedictam inhibitionem seu ordinationem ad cetera Ordinis monasteria generale Capitulum vult extendi. Esum autem carnium nullus de iure vel consuetudine audeat petere, nisi secundum quod distinctione decima tertia de pitantia et potu expresse continetur, sub poenis ibidem contentis [f] irrefragabiliter incurrendis.

12. Petitio abbatis de Camberone, qui petit quod tertia dominica post Pascha propter miraculum dicta die, in suo monasterio, meritis Beatae Mariae operatum, fiat processio in eodem die (per [g] Ordinem universum), de licentia Capituli ob gloriosae Virginis reverentiam exauditur, et in dicta processione antiphona *Salve Regina* decantetur.

1331

Anno [a] Domini millesimo trecentesimo tricesimo primo statuta sunt haec apud Cistercium tempore Capituli generalis.

1. In primis, licet Omnipotentem Deum in sanctis suis omnes [b] viri catholici religiosi, praesertim divinis laudibus iugiter mancipati, congruis honoribus venerari teneantur [c], decet praecipue ut illum praeclarae religionis Cisterciensis beatissimum Bernardum doctorem praecipuum et patronum, per cuius sanctitatis providentiam universalis Ecclesia, potissime dictus Ordo ipsius doctrinis et miraculis illuminatur mirifice et ubique terrarum magnifice ampliori solemniori reverentia veneremur. Idcirco Capitulum [d] generale ordinat et diffinit quod ob ipsius beati Bernardi [e] reverentiam et honorem, festum ipsius solemnius et celeberrime de cetero veneretur per Ordinem universum ; ita sane [f] quod conversi Ordinis universi ipsa die nullatenus laborabunt.

2. Item, ordinat generale Capitulum et diffinit quod in sin-

[f] ubi dicitur : de pitantiis ergo antiquus ordo servetur : *V*. [g] per Ord. univ. : *forsan haec erronee adduntur*.

1331. *Fontes* : P^9 : 1-14 ; *S* : 1-3, 6, 8, 10, 12-14 ; T^5 : 1, 15, 16 ; *VW* : 1, 2, 6, 8, 13, 14. [a] *Titulus apud* P^9SV. [b] omnes... venerari : *deest* T^5. [c] teneamur : T^5. [d] *hic incip. VW*. [e] Benedicti : *W*. [f] tamen : P^9.

gulis domibus, ubi sunt quadraginta monachi, sit lector in grammaticalibus et logicalibus pro iuvenibus instruendis [g]. Ubi autem non habetur monachorum numerus supradictus, vel sit lector, vel mittant ad monasterium ubi habentur lectores cum decem libris parisiensibus pro quolibet scolare. Abbates vero ad quos mittentur, recepta prius pecunia supradicta, eos tenebuntur recipere, non aliter, et eisdem de victualibus solummodo providere. Quicumque autem abbas statutum praedictum modo et forma praedictis neglexerit observare, per totum illud tempus extra stallum suum maneat, donec illud integre per ipsum fuerit adimpletum. Studentes vero in domibus propriis vel etiam alienis, horas canonicas frequentabunt, exceptis sexta et nona, et etiam tertia, nisi in temporibus Adventus Domini et Quadragesimae, in quibus omnes, dictae horae tertiae vult Capitulum generale interesse. Ordinat etiam dictum Capitulum quod abbates tenentes scolares de domibus alienis non tenentur aliud ministrare aliquibus nuntiis ad dictos scolares vel aliis personis extraneis ad abbatias venientibus ratione scolarium praedictorum.

3. Item, ut scolares possint melius vacare scientiae salutari, inhibet generale Capitulum ne aliquis in studiis solemniis vel etiam in domibus Ordinis quibuscumque intra vel extra iura civilia vel canonica praesumant legere vel audire, et ut hoc melius observetur, praecipit dictum Capitulum omnibus rectoribus studiorum, in virtute sanctae obedientiae, quod volentes contra istam salubrem ordinationem facere, nullatenus admittant, et si admissi [h] fuerint ipsos remittant ad domos proprias indilate. Quilibet tamen per se in studio [i] studere poterit dicta iura.

4. Item, ad tollendas expensas superfluas, ordinat Capitulum generale quod legentes Bibliam et cursores, die qua incipiunt, comedant in conventu, nec aliquid nisi vinum solummodo si velint audeant conventui ministrare.

5. Item, ut amoveatur ambitio plurimorum, inhibet Capitulum generale ne aliquis cursor alium antecedere aut praeoccupare audeat vel praesumat, sed ex ordine quo legunt cursus ad lecturam sententiarum, supposita sufficientia, ordinentur, et istud ad licentiandum baccalaureos observetur, nec aliquis cursus vel

---

[g] instituendis : *S*. [h] admiserint : *P*[9]. [i] studorio : *S*.

baccalaureus praesumat sibi gradum vel sermones per preces vel alias procurare, sed sicut decet monachum expectet humiliter quod superiores de ipsis ordinent, secundum quod sibi melius videbitur expedire. Qui autem contrarium fecerit, in studio gradum non habeat altiorem et cum hoc de studio expellatur.

6. Item, ut ferventiori dilectione et ampliori devotione ad nostrum Ordinem de cetero convolentes divinis laudibus occupentur, Capitulum generale ordinat et diffinit quod novitii recepti et in perpetuum recepturi, in cappa absque benedictione maneant quousque ex integro psalterium cordetenus sciverint, prout decet. Illi vero iam professi qui dictum psalterium nec consuetum servitium nesciunt integre, claustrum de cetero exire seu administrationem quamcumque nullatenus permittantur exercere donec praemissa sciverint competenter.

7. Item, diffinitione anno praeterito edita super summis contributionum tradendis bursario Cistercii in suo robore duratura, generale Capitulum sententiam latam contra illos qui dictas summas praedicto bursario minime tradiderint, misericorditer suspendit usque ad sequens Capitulum generale, ita quod illi qui praedictas summas praedicto bursario infra annum tradere neglexerint, in eamdem sententiam inciderint ipso facto.

8. Item, diffinitionem editam anno M.CCC.XXIX contra illos qui emissos extra remota monasteria ultra triduum retinere praesumunt, generale Capitulum modificat et declarat quod poenam in eadem diffinitione sitam, solummodo incurrant illi qui hoc facere praesumant malitiose de cetero seu alias fraudulenter.

9. Item, cum pluries fuerit per generale Capitulum alias sub poenis excommunicationis et depositionis salubriter ordinatum ac etiam diffinitum [j], licet minime observatum, contra personas Ordinis quae carnes extra septa monasteriorum in sui et Ordinis opprobrium et scandalum plurimorum comedere non verentur, ipso facto sententiam excommunicationis incurrendo, generale Capitulum tantae temeritatis ad praesumptionis inobedientiam nolens impunitam ulterius conniventibus [k] oculis pertransire, patribus abbatibus et eorum commissariis ac visitatoribus universis, in virtute sanctae obedientiae, sub poena excommunicationis, praecipit et committit quatinus de cetero in singulis suis visitationibus super hoc inquirant diligentia qua poterunt verita-

[j] in diffinitionibus : *S*. [k] contuentibus : *S*.

tem, et super hoc scrutinium faciant per iuramenta singulorum, secundum rigorem Ordinis culpabiles puniendo qualescumque ; abbatesque, si quos invenerint culpabiles huiusmodi transgressores citent nihilominus ad Capitulum generale. Qui quidem patres abbates et eorum commissarii ac visitatores quamdiu adimplere distulerint, vel facere neglexerint, ingressum ecclesiae sibi noverint interdictum.

10. Item, ut vanae ac superfluae curiositates quae humilitatem Ordinis dehonestant [l], in equorum, vasorum argenteorum, aliorumque ornamentorum multitudine, in universis personis Ordinis quantum est rationabile et possibile valeant resecari patribus abbatibus et ipsorum visitatoribus seu ipsorum commissariis, in virtute sanctae obedientiae, praecipitur et committitur quatinus diffinitionem anno [M. CCC.] XVII super hoc editam diligenter advententes ipsam faciant inviolabiliter observari et in pompis [m] irrationabiliter et notabiliter excedentes [n] corrigant et puniant auctoritate Capituli generalis.

11. Item, moderata contributio pro negotiis Ordinis domino Cistercii et quatuor primis, adiunctis quos voluerint abbatibus, ordinanda, poenas et terminos statuendo, committitur in plenaria Ordinis potestate.

12. Item, cum diffinitio olim edita, scilicet quod quilibet monachus et conversus teneatur ad minus semel in anno abbati proprio omnia peccata sua fideliter et integraliter confiteri, possit esse pluribus ipsam minus bene intelligentibus occasio scandali et ruinae, praedictum periculum volens generale Capitulum salubriter praecavere praefatam diffinitionem declarat supplendo quod deficit in hunc modum, videlicet quod totiens quotiens monachus vel conversus commiserit vel inciderit in aliquem casum per abbatem proprium reservatum, totiens et praecipue antequam sacrosanctum corpus dominicum recipiat [o], confiteatur abbati suo, vel cui ipse abbas commiserit vices suas ut certius et clarius cuilibet de suae saluti animae sit provisum ad finem ut quilibet confessor Ordinis nostri sciat super quibus peccatis [p] habeat potestatem, praecipiendo in virtute sanctae obedientiae praedictum Capitulum ordinat et diffinit quod omnes

[l] dehonorascant : *S.* [m] praepositis : *S.* [n] incedentes ; *S.* [o] percipiat ; *S.* [p] casibus : *S.*

et singuli abbates Ordinis universi quam [q] citius poterunt omnes casus quos retinent distincte secundum suas species vel saltem in scriptis redigant confessoribus per ipsos abbates constitutis notificent et copiam faciant ne aliquis per ignorantiam se valeat excusare. Et quia nullus debet ponere falcem in messem alienam, praecipit generale Capitulum sub poena excommunicationis latae sententiae omnibus et singulis confessoribus nostri Ordinis quatinus nullum monachum vel conversum absolvere simpliciter vel conditionaliter praesumat, praeterquam in mortis articulo de praedictis per abbatem proprium reservatis vel de aliquo eorumdem, cum talis absolutio nullius sit efficaciae aut valoris, imo sit absolventi et absoluto periculosa plurimum et damnosa.

13. Item, cum bona spiritualia sint cum tanto [r] moderamine concedenda quo devotis offerantur ut eo amplius appetant et indevotis subtrahantur ne vilescent, idcirco generale Capitulum inhibet abbatibus Ordinis universi quod nullus ultra duo suffragia et in Capitulo praesens audeat obtinere.

14. Item, attendens generale Capitulum malitiam et fraudem ac negligentiam abbatum remanentium a Capitulo generali, statuit, ordinat et diffinit quod statutis in Carta caritatis et diffinitionibus et specialiter anno praeterito editis in suo robore permanentibus, addit generale Capitulum quod abbates qui de cetero remanserint a dicto generali Capitulo et se legitime non excusaverunt, eo ipso statuto et diffinitionibus olim editis, habens dictum Capitulum pro monitione legitima excommunicat in hiis scriptis, et nullus abbas excusationem alicuius audeat praesentare, qui excusationem non audierit vel habuerit, et ille qui talem praesentat excusationem, si requisitus fuerit, teneatur in praesentia Diffinitorum iurare se scire excusationem quam praesentat esse legitimam. Patres vero abbates et visitatores in suis visitationibus diligenter inquirere teneantur utrum abbates iusta causa remanserint, et si aliquem remansisse repererit, nisi fidem faciat quod Capitulum generale eum habuerit excusatum ipsum denuntiat excommunicatum auctoritate Capituli generalis. Et patres abbates vel visitatores si fictitie negligenter vel malitiose excusaverint aliquem, vel excusationem fictitiam vel malitiosam Capitulo scienter praesentaverint, eadem senten-

---

[q] quanto : *S.* [r] contento : *P*[9].

tia se noverint innodatos auctoritate Capituli generalis. Insuper [s] dictum Capitulum praecipit, ordinat et diffinit quod praesens diffinitio in nostri Ordinis monasteriis prima die visitationis cum *Forma visitationis* in capitulo recitetur; cantor vero vel eius vices gerens qui in recitando dictam diffinitionem negligens fuerit, ab officio deponatur et nullum aliud officium exsequatur absque licentia Capituli generalis.

15. Item, reformatio monasteriorum generationis Claraevallis in Italia, Apulia et Calabria committitur domino Claraevallis per se vel per alium, monasteriis exceptis anno praeterito reformatis per commissarios Capituli, in plenaria Ordinis potestate.

16. Item, quia abbas Fossae novae citatus ad Capitulum non venit, nec se legitime excusavit, generale Capitulum ordinat et diffinit quod infra quindenam postquam ad ipsius notitiam devenerit, per tres dies in proprio monasterio uni eorum in pane et aqua poenitentiam agat levis culpae, et nihilominus ipsum citat ad proximum sequens Capitulum generale, ad quod si non venerit, sit depositus ipso facto.

1332

Anno [a] Domini millesimo trecentesimo tricesimo secundo statuta sunt haec apud Cistercium [b] in Capitulo generali.

1. In primis, licet cunctos [c] sanctos quod sancta mater Ecclesia commendat, congruis teneamur laudibus attollere, multo magis Sanctum sanctorum et eius festa necessario tenemur quibus valemus venerationis obsequiis totis et continuis devotionis affectibus commendare. Itaque [d] cum festum Corporis Christi quod quidem noscitur esse nostrae peregrinationis viaticum, et nostrae fidei solidissimum fundamentum, pia devotione [e] considerans et attendens Capitulum dignum duxit ad tam excellentissimi mysterii commendationis titulum salubriter ordinandum [f] quod in festo [g] eiusdem sermo fiat solemnis in capitulo, in singulis domibus Ordinis universi.

---

[s] *hic incip. VW et textus est insufficiens.*

1332. *Fontes* : P^9 : 1-7 ; *S* : 1, 2, 4-9 ; *VW* : 1, 4, 6-8. [a] *Titulus apud* P^9SV. [b] tempore Cap. gen. : P^9. [c] *deest* P^9. [d] Item : P^9. [e] consideratione : P^9. [f] adorandum : P^9. [g] *VW dispositivam tantum partem huius statuti referunt* : Stat. et diff. Cap. gen. quod in solemnitate... *etc.*

2. Item, cum ad audientiam generalis Capituli devenerit quod quidam abbates dum ad alias abbatias transferuntur, et monachi dum in aliis abbatiis seu monasteriis eliguntur, libros, iocalia, pecuniam, atque bona alia secum ferunt, ex quibus abbates nihil possunt restitutionis habere, in praedictorum damnationis excidium et monasteriorum a quibus vocati sunt, gravissimum detrimentum ; eapropter Capitulum generale salubre volens opponere remedium in praemissis, statuit, ordinat et diffinit quod quotienscumque aliquam abbatem ad aliam transferre abbatiam et monachum in alio monasterio promoveri contigerit, omnia et singula bona quae secum de abbatiis ex consensu conventus deferunt, lucide in scriptis tenebuntur redigere, et scriptum sui sigilli munimine roborare. Quod si facere neglexerit, eo ipso in excommunicationis sententiam, si aliter dicta bona transferre praesumpserit, se noverit incidisse [h]. Si qui vero abbates, monachi Claraevallis et Vallis magnae fuerint, qui libros, iocalia, et alia bona habuerint a monasteriis supradictis, praecipitur eisdem quatinus infra duos menses quam citius ad eorum notitiam praesens statutum pervenerit, sub sigillis suis consignare teneantur abbatibus antedictis ; alioquin excommunicationis sententia se noverint irretitos.

3. Item, diffinitiones anno praeterito editas de scolaribus mittendis ad studia Ordinis generalia et ad monasteria in quibus studia debent esse, Capitulum generale sic moderat et declarat, videlicet quod sententia excommunicationis lata contra abbates, monachos ad dicta studia non mittentes statuto tempore, substollitur, sed [i] ingressus ecclesiae eisdem interdicitur, si in mittendo fuerint negligentes, duobus primis in qualibet provincia in virtute sanctae obedientiae strictius iniungendo, quatinus per se vel alios idoneos et discretos, et sacrae scientiae zelatores, de potentibus et omnino impotentibus ad mittendum diligenter inquirant, potentesque ad mittendum per censuram Ordinis viriliter coerceant et compellant. Si quos vero repererint impotentes cum eisdem super hoc benigniter studeant dispensare, et interdicti sententiam quoadusque ad fortunam pinguiorem redierint, relaxare. Abbates qui minus quam viginti monachos habuerint, ad dicta studia monasteriorum Ordinis, si noluerint mittere, nullatenus tenebuntur.

---

[h] *hic desin. S.* [i] et : *P*[9].

4. Item, cum ad aures Capituli generalis sit delatum quod plurimi abbates et monachi in suae salutis dispendium, Ordinisque scandalum, carnes extra loca ab Ordine deputata comedere non verentur, et ne tanti excessus praesumptuosa malignitas remaneat impunita, patribus abbatibus et visitatoribus in virtute sanctae obedientiae et sub poena suspensionis praecipit et committit generale Capitulum, quatinus in suis visitationibus in quibuscumque monasteriis in quibus aliquem vel aliquos audierint et repererint notabiliter diffamatos, inquirant discrete et sollicite contra ipsos, et si quos in huiusmodi culpabiles invenerint aut convictos, puniant et corrigant iuxta formam hactenus in diffinitionibus constitutam, omni excusatione semota, diffinitione anno praeterito ordinata super hoc cum suis articulis penitus revocata.

5. Item, diffinitionem anno praeterito editam contra remanentes a generali Capitulo suo tempore cum suis articulis et poenis appositis, volens in suo robore perdurare solummodo immutato quod abbates excusationes remanentium deferentes, loco iuramenti bona fide super causa remanentium, si requisiti fuerint, tantummodo teneantur.

6. Item, diffinitionem anno praeterito editam super confessionibus cum suis articulis, ex causis certis revocat Capitulum et annulat, statuendo quod diffinitiones super hiis antiquitus editae, secundum statuta sacrorum canonum in praemissis ab omnibus irrefragabiliter observentur. Poterit tamen abbas quilibet certos casus et articulos sibi, si voluerit, retinere et committere super eisdem potestatem absolvendi cui, quibus et quando sibi videbitur expedire.

7. Item, ordinationem novi studii in civitate Metensi faciendam pro scolaribus in grammaticalibus, logicalibus, naturalibus ac philosophia instituendis [j], dum tamen circa illa, quae pro studio Parisiensi extiterunt hactenus diffinita, nihil [k] penitus immutetur, generale Capitulum committit domino Morimundi in plenaria Ordinis potestate.

8. Item, diffinitioni dudum editae de provisione confessoribus monialium in vestitu et victualibus facienda addit generale Capitulum quod omnes et singulae abbatissae et priorissae, ubi moniales per priorissam gubernantur, quae confessoribus suis

---

[j] instruendis : *S.* [k] nihilominus : *S.*

de vestibus et vitae necessariis infra festum proximum Omnium Sanctorum et deinceps in futurum provideant ; si neglexerint aut contradixerint providere, ipso facto sententiam excommunicationis auctoritate Capituli generalis se noverint incurrisse.

9. Item, ad Capituli generalis pervenit auditum, quod de monasterio de Stapharda quamplures monachi et conversi, suae salutis immemores nec Ananiae et Saphirae mortis sententiam formidantes, terras, possessiones, bona et redditus monasterii tenent et possident, suis usibus nefarie et contra substantiam regulae damnabiliter applicant, asserentes se super hoc ab abbatibus praedecessoribus litteras et instrumenta habere, quibus eis conceditur, quod eas tenere valeant et suis absque licentia cuiuscumque usibus applicare et, quod foret deterius, abbates vel quisquam alius eos in possessione perturbaverit huiusmodi, ad tuitionem sui brachii saecularis auxilium evocare ; cum igitur talia sapiunt proprietatis vitium et sacrae religioni obvient evidenter, Capitulum generale salubri deliberatione praehabita monachis et conversis in virtute sacrae obedientiae praecipit strictius et iniungit, quatinus litteras, instrumenta, terras, possessiones et redditus supradictos, quos non possunt absque sempiternae damnationis excidio possidere, infra quindenam, postquam ad eorum notitiam praesens statutum pervenerit, praedicta omnia, scilicet litteras, instrumenta, possessiones, redditus atque bona proprio abbati reddere, tradere, restituere et universa in suis manibus studeant resignare ; alioquin ipsos eo ipso facto Capitulum excommunicat in his scriptis. Si quis vero in huiusmodi ad auxilium potentiae saecularis refugerit, vel ad domum remotam emittatur, nonnisi de Capituli reversurus licentia, vel stricto carceri mancipetur. Quicumque vero in praemissis vel aliquo praemissorum consilium, auxilium vel favorem praestiterit, in eamdem excommunicationis sententiam se noverit incidisse. Contractus autem, praedictas litteras ac instrumenta irritat et annulat. Et haec diffinitio ad universos nostri Ordinis monachos et conversos perpetuo extendatur.

1333

Anno [a] Domini millesimo trecentesimo tricesimo tertio statuta sunt haec apud Cistercium [b] in Capitulo generali.

1. In primis, cum viri religiosi divinis obsequiis mancipati a mulierum consortio, quantum foret possibile, esse debeant alieni, generale Capitulum omnibus professis nostri Ordinis, monachis et conversis, duxit strictius inhibendum, ne de cetero infra monasteria monialium cum monialibus comedere audeant vel praesumant. Quod si fecerint, pro vice qualibet, tribus diebus continuis faciant levem culpam. Et quoniam moniales multo fortius debeant a virorum consortiis penitus abstinere, eisdem tenore praesentium strictius quam potest Capitulum praecipit inhibendo ne cum saecularibus quibuscumque, seu regularibus cuiuscumque religionis existant, intra sua monasteria comedant, quavis occasione, nisi esset tantae auctoritatis persona, quod idem non posset absque indignatione et scandalo commode denegari. Quae contrarium attentare praesumpserint, memorata poenitentia indispensabiliter percellantur.

2. Item, cum saepe et pluries per generale Capitulum fuerit inhibitum, ut monachi studentes in studiis Ordinis, extra ipsa studia iura canonica audire non praesumant, cum ex hoc sacrae theologiae studium realiter enervetur, quod hucusque in animarum dispendium [c] extitit minime observatum; quare generale Capitulum duxit salubriter inhibendum, ne studentes praedicti extra studia supradicta iura canonica praesumant audire de cetero vel legere. Quod si audire praesumpserint, eo ipso excommunicationis sententia se noverint irretitos. Infra tamen septa dictorum studiorum, audire vel legere dicta studia poterunt, hora et tempore, et non aliter, quibus theologiae lectio non poterit impediri; gratias et litteras dictis studentibus super hoc quovis modo concessas, ex nunc Capitulum revocat et annullat.

3. Item, ad Capituli generalis pervenit auditum quod quidam monachi et conversi nostri Ordinis, timore Dei postposito, et obedientia disciplinae regularis reiecta, non formidantes secreta

---

1333. *Fontes* : P^9 : 1-8, 11, 12 ; *S* : 1-3, 6-10 ; *VW* : 1, 3, 6, 9, 10.
[a] *Titulus apud* P^9*SV*. [b] tempore Cap. gen. : *V*. [c] extitit... extra : *deest apud S.*

Ordinis revelare, dum pro suis excessibus vel indicantur carceri, vel priventur habitu regulari, seu ad alia monasteria emittantur, saeculari freti potentia, obedire penitus contradicunt, et de ipsorum temporalium dominorum licentia, permissione vel praecepto, contra sui abbatis et conventus voluntatem, in rebellione talium vel similium damnabiliter perseverant. Eapropter temeritatem et praesumptionis audaciam talium monachorum, prout est possibile, cupiens generale Capitulum refrenare statuit, ordinat et diffinit quod, quamdiu tales rebelles et inobedientes in monasteriis vel in locis aliis per triduum et ultra perstiterint, in ipsis locis cessetur penitus a divinis. Personas autem Ordinis participantes talibus quovismodo, seu dantes auxilium, consilium vel favorem generale Capitulum excommunicat in hiis scriptis, et deprehensos velut conspiratores per omnia iudicat puniendos.

4. Item, ut quilibet abbas nostri Ordinis scire valeat quibus loco et termino contributiones Ordinis persolvantur, et omnis exinde excusationis materia in posterum subtollatur, generale Capitulum statuit, ordinat et diffinit quod quotienscumque contributionem in Ordine fieri contigerit in futurum, abbates summas contributionum impositas in sequenti Capitulo apud Cistercium solvere tenebuntur, nisi propter necessitates Ordinis emergentes, et ex certis causis Capituli alium solutionis terminum duxerint praefigendum. Abbates statuto termino non solventes, excommunicationis vinculo se ligatos agnoscant, et nihilominus absque retractatione aliqua se noverint deponendos.

Monachos vero vel conversos, qui, ne contributiones Ordinis statutis terminis (non) solvantur, per se vel per alium, clam vel palam, impedire praesumpserint, seu impedire procuraverint, quovismodo, eadem sententia excommunicationis, eo ipso denuntiat irretitos, et tamquam conspiratores per omnia puniendos. Et quoniam propter defectum solutionum contributionis praeteritae, Ordo noster incurrerit plurima detrimenta, generale Capitulum, quod potest volens remedium adhibere, abbatibus universis, qui in duabus ultimis vel altera earumdem tenentur Capitulo obligati, strictius praecipit iniungendo quatinus illi de regno Franciae et citra Rhenum, mare et Alpes infra Pascha apud Cistercium, ceteri vero in sequenti Capitulo de eisdem satisfacere cum integritate procurent ; alioquin ex nunc prout ex tunc ipsos excommunicat in hiis scriptis. De aliis vero contributionibus retroactis infra praefatos terminos satisfacere, vel cum domino

Cisterciensi seu eius commissario componere studeant de eisdem. Quod si non fecerint, in eamden excommunicationis sententiam se noverint incidisse.

5. Item, cum anno praeterito inter cetera in hunc modum fuerit diffinitum quod abbates non solventes contributiones Ordinis terminis annotatis, ex nunc deponit Capitulum, praecipiens patribus abbatibus et visitatoribus seu commissariis eorumdem quatinus ipsos in suis visitationibus depositos denuntiare studeant, et conventus ad alterius electionem abbatis procedere non omittat, Capitulum sic declarat eamdem [diffinitionem]: quod illi abbates qui per patres abbates, seu ipsorum commissarios fuerint depositi nuntiati, veraciter sint depositi eo ipso ; quos vero nec patres abbates nec eorum commissarii denuntiaverint depositos, non depositos sed veros abbates, quamquam in alias poenas in eadem diffinitione contentas inciderint, determinat et declarat.

6. Item, ut in omnibus monasteriis Ordinis, murmurationis et dissentionis omnis occasio, quantum erit possibile, in posterum auferatur, Capitulum generale iussit non improvide statuendum, et etiam omnibus et singulis abbatibus Ordinis, firmiter iniungendum quatinus officiales, praesertim maiores, de cetero faciant et ordinent cum suorum monasteriorum consilio seniorum cum alias fieri non debeat, servatis regularibus institutis.

7. Item, quia de visitationibus saepe et saepius generali Capitulo graves quaerimoniae deferuntur, idem generale Capitulum patribus abbatibus et eorum commissariis universis, in virtute sanctae obedientiae, praecipit districtius et iniungit ut ab extortionibus, expensis, sumptibus [d], protractionibus seu protelationibus [e] visitationum, et aliis excessibus et dispendiis, ac monasteriorum et personarum gravaminibus, summo opere praecavere de cetero studeant, formam Clementinae [f] in omnibus observando, cupiditatisque et avaritiae, quae est idolorum servitus, rubiginem radicitus in omnibus evitando.

8. Item, sane cum dioecesani privilegiis concessis Ordini plurimum sint infesti, ipsaque [g] nituntur pro viribus [h] ad ius commune reducere, generale Capitulum abbatibus, officialibus, ceterisque personis universis districtione qua potest, inhibet dioece-

---

[d] superfluis : *S.* [e] *deest S.* [f] clementinam : *S.* [g] temporaque nituntur : *S.* [h] iuribus : *S.*

sanos[i] aut alios qui supra loca Ordinis procurationes asserunt se habere, praesumant quocumque modo recipere contra formam privilegiorum Ordinis et tenorem ; quinimo si moniti fuerint super hoc vel in aliquo senserint se gravari, ad Sedem Apostolicam provocent et appellent ; qui vero contra formam praedictam quemquam praedictorum recipere seu admittere praesumpserit in futurum, tribus diebus, uno eorum in pane et aqua, poenitentiam sustineat levis culpae, et nihilominus abbates super hoc veniam petant in Capitulo generali, ad ipsius arbitrium severitate debita puniendi.

9. Item, ne praetextu ignorantiae aliquis ab observatione statutorum Ordinis fictitie se valeat excusare, abbatibus et prioribus ac supprioribus Ordinis praecipitur universis, ut *Libellum diffinitionum* habeant et procurent ac legi faciant in capitulis Ordinis annis singulis ex integro, omni excusatione semota, ut alias extitit ordinatum ; negligentes autem poenam sustineant contentam in ipso *Libello*.

10. Item, ut omnis superfluitas et ambiguitatis materia resecetur, et ad debitum limitem correctionis statuta Capituli generalis, matura deliberatione praehabita, reducantur : domino Cistercii per se vel alium seu alios generale Capitulum committit, ut praedicta statuta generalis Capituli tam in *Libello* quam in annalibus contenta corrigat et reformet ; annales propriis terminis collocando, iniustis et superfluis, prout expedire viderit, in plena auctoritate generalis Capituli, penitus resecatis.

11. Item, petitio domini Claraevallis, qui petit quod fiat commemoratio de beato Malachia, per totam generationem Claraevallis, ad Vesperas et ad Laudes in ecclesia et ubique, prout de beatissimis patribus nostris Benedicto et Bernardo fieri consuevit, ob ipsius sancti reverentiam devotione gratissima, exauditur. *Vir sancte, Dei praesul, Malachia, ora pro nobis Deum. Oremus : Deus qui beatum Malachiam pontificem tuum sanctissimo patri Bernardo verae caritatis foedere dulciter sociasti, concede propitius, ut et parvorum omnium consensus noxios caute vitemus, et coelestis militiae sacras amicitias semper optemus. Per Christum Dominum nostrum. Amen.*

12. Missae a singulis sacerdotibus Ordinis : de Spiritu Sancto, quinque ; de Sancta Cruce, quinque ; de Beata Virgine, quatuor ;

[i] dioecesanis aut aliis : *S.*

de Requiem, una. Missae in singulis domibus Ordinis : de Spiritu Sancto duae ; de Beata Virgine, tres.

1334

Anno [a] Domini millesimo trecentesimo tricesimo quarto statuta sunt haec apud Cistercium [b] in Capitulo generali.

1. In primis, detestandae cupiditatis vitium, quod censetur iuxta Apostolum servitus idolorum, de subditorum cordibus evellere sacrosanctam congregationem praesentis Capituli, in qua totus status Ordinis et perfectio [c] unitatis noscitur consistere in suo vigore, divina [d] cooperante gratia, cupiens Capitulum conservare, deliberatione consulta statuit strictius [e] inhibendo, ne de cetero causa quaestus cuicumque concedatur licentia, quod possit a generali Capitulo remanere. Quicumque vero pater abbas vel commissarius, erecto inobedientiae vertice contra iussiones [f] Ordinis causa quaestus huiusmodi, refusionis expensarum seu alia gravis causa cuiquam remanendi a Capitulo praesumpserit indulgere, ultra excommunicationis sententiam, quam incurrit iuxta diffinitionis tenorem in *Libello* contentam, tam conferens quam recipiens ab administratione temporalium eo ipso usque ad nutum generalis Capituli sit suspensus, et pecuniam sic acceptam, recipiens Capitulo restituere teneatur ; licentiam vero sic concessam denuntiat Capitulum omnino roboris [g] firmitate carere ; visitatores super hoc diligenter inquirant, et si quos repererint culpabiles in praemissis, citare studeant ad praesens Capitulum, ultra [h] poenas praedictas iuxta demerita severitate debita puniendus.

2. Item, cum saepe et pluries fuerit diffinitum quod abbates Ordinis, iuxta diffinitionem in *Libello* contentam, ad studia Ordinis monachos studentes mittere non omittant, poenas certas et speciales omittentibus imponendas, quod hucusque plurimi, et praecipue de lingua occitana, facere neglexerint ; hinc est quod generale Capitulum omnibus abbatibus Ordinis, iterato praecipit et iniungit quatinus iuxta praedictarum diffinitionum

1334. *Fontes* : P^9 : 1-11 ; *S* : 1, 4, 6-8, 10, 11, *VW* : 1, 6, 7, 10, 11.
[a] *Titulus apud* P^9*SV*. [b] tempore Cap. gen. : *S*. [c] *deest* P^9. [d] divina... conservare : *deest* P^9. [e] fortius : *VW*. [f] institutiones : *W*. [g] robore firmiter : *W*. [h] *deest VW*.

tenorem, et sub poenis ab eisdem impositis, studentes monachos non omittant mittere. Quod si facere neglexerint, ultra poenas et summas praedictas quas incurrerunt, pro scolari quolibet decem libras parisiensium eo ipso solvere tenentur, studentibus scolaribus applicandas. Visitatores vero et patres abbates de praemissis diligenter inquirant et ad solvendum praedictas summas per censuram Ordinis coerceant et compellant.

3. Item, cum alio anno, sub poena excommunicationis latae sententiae, fuerit inhibitum ne aliquis studens in studio Ordinis extra ipsa studia iura canonica praesumat legere vel audire, quod quidam in Tolosano studio commorantes, suae salutis immemores, et statuta generalis Capituli damnabiliter contemnentes, facere praesumpserunt, generale Capitulum nolens tantae praesumptionis vesaniam relinquere impunitam, statuit et diffinit quod praedicti studentes, visis praesentibus, de studio expellerentur, nec de cetero aliquis ad studia remittetur, absque licentia speciali generalis Capituli. Cum autem ad propria monasteria redierint [vel] revocati fuerint, octo diebus continuis faciant levem culpam. Haec autem sunt nomina scolarium praedictorum : frater Remundus Dinit, monachus de Gondonio ; Ioannes de Bezusio, Hugo de Crocta, monachi de Cadunio ; Petrus Oviati, de Fonte frigido ; Stephanus Hysarni, Hunaldus de Inmeriis, Theobaldus de Groleto, monachi Grandissylvae.

4. Item, ad generalis Capituli pervenit auditum, quod quidam monachi et conversi Ordinis, in suae salutis dispendium, immemores pacti Domini Dei sui, quo [i] non solum sua sed etiam semettipsos professos Ordinis abnegaverunt, nec Ananiae et Saphyrae mortis sententiam formidantes, diabolo suadente, pensiones ad vitam emere, et eas absque proprii abbatis licentia in usus proprios applicare damnabili te meritate praesumunt. Eapropter generale Capitulum, cupiens tantae pesti [j] proprietatis nefariae, quibus potest remediis obviare, duxit deliberatione provida strictius [k] inhibendum, ne aliquis monachus aut conversus, absque proprii abbatis licentia, pensiones ad vitam a quocumque abbate Ordinis vel aliis quibuscumque emere audeat vel praesumat. Quod si quis huiusmodi fuerit deprehensus, eo ipso in excommunicationem [l] se noverit incidisse, nihilominus tamquam fur et proprietarius puniatur. Abbas autem Ordinis qui ob huiusmodi

---

[i] qui : *S*. [j] *deest* *P*⁹. [k] tutius : *P*⁹. [l] excomm. sententiam : *S*.

receperit pecuniam ab eodem, ipsam pecuniam abbati cuius professoris existit, infra mensem restituere teneatur, monasterii usibus necessariis applicandam ; alioquin quousque reddiderit, ingressum ecclesiae sibi noverit interdictum. Illi vero qui de proprii abbatis licentia annuas [m] emerint, aut ab amicis habuerint pensiones, de eisdem [n] annis singulis abbati proprio reddere studeant rationem ; alioquin [o] eo ipso excommunicationis vinculo se noverint obligatos.

5. Item, cum reformatio studii Sancti Bernardi Parisiensis, quod est membrum Ordinis speciale, anno praeterito commissa fuerit per generale Capitulum domino Clarevallis et de Borbona, sacrae theologiae doctori, et de Fonte frigido abbatibus, et ipsi ibidem ad honorem Dei et profectum studii praedicti, plurima statuta fecerunt salubria et honesta ; idcirco dictam reformationem, et omnia ac singula in eadem contenta, generale Capitulum, ex certa scientia, approbat, ratificat et confirmat, praecipiens provisori ac supprovisori dicti studii, sub poena depositionis et gravioris promissionis *(sic)*, ut praemissa diligenter observent, et de aliis faciant observari. Insuper dictum Capitulum praemissis addit et statuit in publica scripta, videlicet quod omnes receptae dicti studii, tam de bursis quam de redditibus et iardinis, quam etiam de eleemosynis et legatis et aliis obventionibus quibuscumque veniant, ad manum cellerarii dicti loci, et per ipsum recipiantur et expendantur, prout ad utilitatem studii viderit expedire, ac de ipsis coram scolaribus ac visitatore studii, fidelem teneantur reddere rationem. Scolares etiam qui iam sunt in studio, et qui ad illud venient in futurum, teneantur infra mensem a festo sancti Remigii vel adventus sui tempore computandum solvere duodecim libras parisienses pro bursa integra, vel si in principio aprilis venerint, septem libras pro dimidia bursa ; alioquin ex tunc solvere compellantur pro rata temporis quo in studio manserint, et ex tunc nihil ex eisdem de bonis communibus ministretur, nec alicui de studio recedenti ante annum completum fiat quaecumque restitutio bursae suae. Sed si aliquis ibidem decesserit aut revocatus fuerit vel remissus, abbas eiusdem, si voluerit, alium mittat ad studium, cui ministretur de bonis communitatis sicut et aliis pro residuo dictae bursae, prout huic omnia in praedicta reformatione aliqualiter

---

[m] animas : P^9. [n] arcius : P^9. [o] excommunicantur : *S*.

exprimitur. Ordinat nihilominus et statuit idem Capitulum, ut quotiens aliquis constituetur ad faciendum supprovisoris officium, pariter et sacristae, de communitate habeat integraliter bursam suam. Quotiens vero dicta officia committentur duabus personis, cuilibet earum bursae tantum medietas ministretur. Insuper inhibet dictum Capitulum ad utilitatem dicti studii et custodiam honestatis ut iardini studii teneantur clausi continue, nec claves eorum habeat aliquis nisi cellerarius dicti loci. De abbatibus autem et monachis extraneis venientibus ad dictum studium et stabula vel domos eiusdem occupantibus, necnon et de pitantiarum moderamine, ac de cameris infirmorum reservandis pro infirmis, extra cameram lectoris bibliae deputatam, committitur per Capitulum domino Claraevallis vel illi cui pro visitando dicto studio isto anno commiserit vices suas, ut de praemissis ad indemnitatem et honorem studii, auctoritate Capituli, studeat ordinare.

6. Item, conventiones et contractus, seu ordinationes quascumque sive pacta inter abbates nostri Ordinis instituta, et eorumdem monachos vel conversos facta quomodolibet, vel inita contra communia ipsius Ordinis instituta, et in posterum [p] facienda, nullius firmitatis robore [q] teneant, quousque per generale Capitulum fuerint confirmata.

7. Item, ut vero certius generale Capitulum de negotiis, quae deferuntur ad idem, valeat informari, et responsiones facere veriores, idem generale Capitulum non improvide statuit, ordinat et diffinit quod nullus de cetero petitionem in Capitulo faciat, seu litteras principum vel magnatorum eidem [r] audeat praesentare, quin in eis primitus subscribat veraciter nomen suum.

8. Item, nullus de cetero confirmationes pensionum vel contractuum quorumcumque petat fieri per generale Capitulum nisi principales litteras valeat exhibere.

9. Item, pro absentia reverendi in Christo patris domini abbatis Cisterciensis, generale Capitulum duxit provide statuendum quod pro diffinitionibus et aliis factis Ordinis universi, pro ista vice solummodo, sigillandis sigillo [s] pro suffragiis Capitulo deputato uti valeat ab omnibus communiter cui adhiberi discernit ubique dictum Capitulum plena fides.

---

[p] posculo (?) : *P*[9]. [q] robur obtineant : *VW*. [r] ibidem : *VW*. [s] ciggillo : *P*[9].

10. Item, ad audientiam pervenit Capituli generalis, quod quidam de Ordinibus Mendicantium monasteria monialium nostri Ordinis, et viciniora dictorum monasteriorum loca, contra statuta canonum nimis frequentare praesumunt, ex quorum nimia frequentia non animarum aedificatio, sed potius dissolutiones plerumque succrescuntur. Quapropter praesumptionibus inordinatis volens generale Capitulum obviare, sub poena excommunicationis latae sententiae, inhibet abbatissis, monialibus et sororibus Ordinis universi, ne in suis monasteriis, claustris aut cameris seu infirmitoriis, aut aliis suis locis secretis, tales Mendicantes recipiant, nec loquantur cum eisdem, nec pluribus quam duobus una vice in suo monasterio et solummodo una die victualia, ministrentur, ita quod in ecclesia pro missis celebrandis, proponendo verbum Dei, solummodo intrare poterunt et domum ad hospitium saecularium et non alibi declinare. Si autem contrarium attentaverint [t] facere, abbatissae, moniales et personae praedictae per visitatorem vel per confessarium, excommunicatae denuntientur publice auctoritate Capituli generalis, diebus dominicis et festivis in ecclesia post evangelium, sive nominatim.

11. Item, ne bonum hospitalitatis caritativae, quod hactenus in locis Ordinis vigere non modicum consuevit, nostris temporibus torpescat in aliquo, sed opitulante Domino, ad honorem Ordinis perseveret ferventius et accrescat, generale Capitulum ordinat, statuit et diffinit districtius inhibendo ne aliqua loca vel grangiae nostri Ordinis alicui de cetero religioso vel saeculari sub quocumque pacto concedatur, quin in eisdem locis et grangiis pro personis Ordinis specialiter exhibitio hospitalitatis solitae reservetur. Quicumque vero de cetero aliter attentare praesumpserit sequenti Capitulo super hoc se recognoscere teneatur, ad ipsius arbitrium Capituli puniendus, et nihilominus si alicui personae praedicti Ordinis in praedictis locis vel grangiis de cetero hospitalitatis gratia fuerit indebite denegata, abbas ad quem spectabit dictus locus expensas factas illa die refundere tenebitur illi cui fuit hospitalitas inhumaniter denegata.

---

[t] poti (?) : *P*[9].

1335

CONSTITUTIO [a] BENEDICTI PAPAE XII PRO REFORMATIONE ORDINIS CISTERCIENSIS.

Benedictus Episcopus, servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

1. *Praeclara Cisterc. Ordinis commendatio, maxime quoad vitam contemplativam.*

Fulgens sicut stella matutina in medio nebulae, sacer Cisterciensis Ordo in Ecclesia militante militat operibus et exemplis, fervideque satagit per sanctae contemplationis applausum, et innocentis vitae meritum montana scandere cum Maria, seque per exercitium laudabilium actionum et pensum piorum operum curiosum Marthae satagentis officio conformare. Hic nempe Ordo in divini cultus ministerio sedulus, ut sibi et aliis proficiat ad salutem, in sacrae lectione paginae studiosus, ut ad perfectam excellentiae supernae cognitionem valeat pervenire ; praestans et promptus in operibus caritatis, ut adimpleat legem Christi, a mari usque ad mare palmites suos meruit dilatare, quia gradualiter ad virtutum culmina patenter ascendit, et proinde per Sacri Pneumatis inflammantis corda debilia fistulas gratiis abundavit ; dignumque se reddidit a Romana Ecclesia, Ecclesiarum omnium magistra, multis insigniri privilegiis et gratiosis favoribus communiri. Huius quoque Ordinis ab adolescentia nostra perseveranter iugum sustulimus, et in eo alumni effecti per temporum curricula diuturna crevimus, tam in illo quam extra ipsum successivis praelationum honoribus, et tandem conscendimus (quamquam immeriti) summi cathedram pastoratus. Licet autem, exigente apostolici ministerii cura, cuiuslibet Ordinis approbati crementum felix et floridum plenis affectibus in eo zelemur, a quo coelicae ac terrenae salutis perfectio derivatur ; eumdem tamen Cisterciensem Ordinem acie internae devotionis et caritatis aspicimus, et ea quae ipsius salutem et prosperitatem respiciunt,

---

[a] Istius constitutionis epitome legitur apud B^1 *(ms.* 3896 *biblioth. regiae. Bruxell., XIV° saec.)* fol. 79^v-91^v : « Chi senseyt che qui est estreit fors des status le pappe Benoit le doseine qui fut del ordène de Cysteaux ». Item, apud D^1 *(ms.* 615 *Divionen., XVIII° saec.)*. Textus noster, una cum § et earum titulis, de *Nomastico Cisterciensi* (Solesmis, 1892, p. 473 sq.) depromptus est.

quatinus aeterni Patris beneplacitis gratificari credimus, favorabiliter promovemus. Sane recensentes memoriter quod ab olim, dum eramus intra Ordinem praelibatum, certa nos experientia instruebat quod super quamplurimis articulis inferius explicatis, Ordo ipse apostolicae provisionis remediis indigebat. Nos hactenus et moderno tempore super eis et nonnullis aliis, a dilectis filiis Guillelmo Cisterciensi, Ioanne de Firmitate, Ioanne de Claravalle, et Raynaldo de Morimundo monasteriorum dicti Ordinis, Cabilonensis, et Lingonensis dioecesis abbatibus, diligenti collatione praehabita, super his omnibus plenarie informati, dignum ducimus pro urgenti necessitate ac evidenti utilitate Ordinis memorati, suadentibus etiam aliis iustis et rationabilius causis, statuta et ordinationes, prout series subscripta describit, auctoritate apostolica edere ; quae volumus et decernimus solidam habere roboris firmitatem, eaque debere perpetuis futuris temporibus firmiter observari. Videlicet :

2. *Quilibet conventus Ordinis proprium habeat sigillum.*

Cum cautelae provisio in omnibus sit habenda, et praecipue ne paulatim deveniat in collapsum, quod est antiquitate vel prolixitate peracti temporis acquisitum ; statuimus ac etiam ordinamus quod quilibet conventus cuiusvis monasterii seu alterius loci conventualis dicti Ordinis habeat proprium et speciale sigillum.

3. *Traditur forma iuramenti per quemlibet abbatem ad sancta Dei evangelia praestandi, priusquam administrationi monasterii se immisceat.*

Et quod quilibet abbas monasterii sive alius loci alterius conventualis administrationi principaliter praesidens eiusdem Ordinis, et etiam abbas Cisterciensis qui est pro tempore, antequam abbatiae suae vel administrationi huiusmodi se immisceat, iuramentum praestare ad sancta Dei evangelia teneantur ; quilibet scilicet inferior in manibus patris abbatis, qui electionem de ipso factam confirmare habebit, et in praesentia sui proprii conventus ; nec non ipse abbas Cisterciensis qui est pro tempore, suo conventui, et praenominatis tribus, nec non monasterii de Pontiniaco dicti Ordinis Antissiodorensis dioecesis abbatibus, si apud dictum monasterium Cisterciense praesentes extiterint : quod possessiones vel iura ad suum monasterium vel alium conventualem locum eius pertinentes seu pertinentia non vendet, nec alienabit, neque impignorabit, neque de novo infeudabit, nec per aliquem

modum donabit, nisi per modum inferius designatum. Et hoc idem illi qui nunc sunt abbates monasteriorum seu aliorum locorum conventualium ipsius Ordinis regimini praesidentes, teneantur iuramentum praestare infra sex menses, postquam statutum et ordinatio huiusmodi publicata fuerint in proximo secuturo Capitulo generali eiusdem Ordinis.

4. *Assignatur modus observandus pro alienatione immobilium et iurium, pro diminutione pensionum et census, ac pro venditione arborum silvarum.*

Quod quotienscumque alienationem rei immobilis, vel iurium alicuius monasterii, vel alterius loci conventualis, vel diminutionem censuum, seu pensionum, vel canonis, aut venditionem arborum silvarum non caeduarum imminere contigerit faciendas; tractatus duorum dierum ad minus interpolatorum diligens et maturus praecedere debeat, habendus per abbatem monasterii seu praesidentem regimini alterius loci conventualis cuius erunt res, iura, census, pensiones, canon, et silvae huiusmodi, cum suo conventu monasterii seu alterius loci conventualis praefati. Et nihilominus alienatio seu venditio huiusmodi fiat de consensu ipsius conventus, vel maioris et sanioris partis eiusdem ; et quod de tractatu et consensu iam dictis scriptura conficiatur authentica, in qua nomina et cognomina tractantium et consentientium et sigilla abbatis monasterii vel praesidentis regimini alterius loci conventualis, et conventus monasterii seu loci huiusmodi apponantur. Et antequam procedatur ad alienationem seu venditionem ipsam, petatur et obtineatur licentia super hoc ab ipsius Ordinis Capitulo generali ; et subsequatur discussio super alienatione seu venditione huiusmodi facienda per duos abbates praedicti Ordinis ab eodem monasterio seu alio conventuali loco non remotos per dictum generale Capitulum deputandis, et cum approbatione seu auctoritate duorum abbatum praefatorum ; quodque tam abbas monasterii seu praesidentis ipsi conventuali loco, quam duo abbates praedicti, et etiam pater abbas eiusdem monasterii, vel deputatus ab eo, praesente conventu ipsius monasterii, seu alterius loci conventualis, cuius res, iura, census, pensiones, vel canon, aut silvae huiusmodi alienanda seu vendenda fuerint, iuramentum praestent ante discussionem praedictam, quod in praemissis fideliter se habebunt, omni dolo et affectione inordinata remotis ; et quod etiam fiat de causis alienationis seu venditionis huiusmodi, et solemnitatibus praefatis

per quatuor abbates praedictos et praesidentem ipsi conventuali loco, sub eorum sigillis plena et fidelis relatio in proximo subsequenti generali Capitulo antedicto; ut videatur si circa haec omnia debite processerunt. Verum cum monasterium seu alius conventualis locus, castrum, villa, grangia, vel res alia multum notabilis, alienandum, vel alienandus, seu alienanda fuerit; Capitulum generale ipsius Ordinis alienandi licentiam concedere non praesumat, nec procedatur ad eam quovis modo faciendam vel auctorizandam, nisi prius per idem Capitulum generale, Romano Pontifice consulto, et ab eo super hoc petita licentia et obtenta. Si vero aliter quam praemissum est, aliquis abbas vel regimini praesidens alienare praesumpserit, tam ipsi quam officiales ipsius monasterii seu loci conventualis in hac parte consentientes eisdem, ab administrationibus suis per patrem abbatem deponantur eorum; et alienatio huiusmodi sic praesumpta, sit ipso iure irrita et inanis.

5. *Ne pecunia rei venditae ad aliquos usus, nisi ad acquisitionem alterius rei, vel debitorum solutionem convertatur; et de poena contra hoc facientium; et quod sub quatuor seraturis talis pecunia reservetur.*

Ceterum si propter alicuius monasterii seu loci conventualis debita exsolvenda, vel ut aliquid aliud, quod eidem monasterio seu conventuali loco sit utilius, acquiratur, aliquid alienandum exstiterit; pecunia quae inde habebitur, ad nullos usus alios quam in acquisitionem seu debitorum solutionem huiusmodi convertatur; et si secus actum fuerit, abbas monasterii vel alius praesidens conventuali loco, pecuniam huiusmodi ad usus alios, ut praefertur, convertens vel conversioni huiusmodi consentiens, ad administratione sua per patrem abbatem deponatur ipsius. Ceteri vero monachi participes vel consentientes in idipsum, sint ad quodcumque officium seu administrationem eiusdem Ordinis inhabiles ipso facto. Nec pecunia ipsa in solius abbatis seu alterius regimini praesidentis, aut bursarii alicuius eorum remaneat potestate; sed reponatur in aliquo securo loco, sub quatuor seraturis et diversificatis clavibus; quarum primam tenet abbas monasterii seu alterius loci conventualis regimini praesidens, secundam bursarius, tertiam prior claustralis, et quartam alius monachus ipsius monasterii seu loci conventualis, de quo eiusdem monasterii seu loci conventualis conventui vel maiori parti eiusdem expedire videbitur, fideliter conservanda.

6. *Concessiones et locationes iurium et reddituum non fiant ultra quinquennium.*

Volumus etiam quod circa concessiones iurium aut reddituum alicui ad vitam eius vel aliud certum tempus, et circa locationes, vel etiam reddituum aut fructuum venditiones, ultra quinquennium faciendas, praemissa forma per omnia observetur; huiusmodi tamen consultatione ac licentia Romani Pontificis, et etiam licentia dicti generalis Capituli, et relatione in eo facienda, exceptis.

7. *Quomodo possessiones parvae et steriles dari possunt sub annuo censu pecuniario, vel sub alia certa portione.*

Permittimus tamen quod parvae, steriles vel inutiles possessiones concedi possint sub annuo censu pecuniario, vel sub certa portione, seu quota proventuum, ad tempus tantum, quantum visum fuerit abbati alicuius monasterii vel praesidenti regimini loci conventualis eiusdem Ordinis; praecedente tamen maturo et diligenti tractatu habito cum suo conventu, et de consensu ipsius vel maioris et sanioris partis eiusdem; praestitoque primitus iuramento per ambos abbates praedictos, eodem conventu praesente, quod concessionem huiusmodi facere intendunt, pro utilitate monasterii seu loci conventualis, cuius erunt possessiones praedictae. Et si aliter huiusmodi concessio facta fuerit, eo ipso sit irrita et inanis. Si autem multitudo dictarum possessionum, quamvis parvarum, sterilium vel inutilium extiterit concedenda, tunc ante huiusmodi concessionem earum consulatur idem Capitulum generale, ac ipsius super hoc habeatur licentia, prout superius est distinctum. Abbas vero vel praesidens regimini loci conventualis, si contrarium attentare praesumpserint, ac officiales ipsius monasterii seu loci conventualis super hoc ei consentientes, per eorum patrem abbatem a suis administrationibus deponantur.

8. *Traditur forma secundum quam mutuum recipi potest; et quod abbas in remotis agens non possit mutuum ultra centum libras turonenses accipere.*

Insuper quia plerumque contingit imminere necessitatis articulum, in quo ex diversis causis expedit abbatibus aut praesidentibus principaliter regiminibus aliorum locorum conventualium contrahere mutuum; hanc provisionis cautelam modificatam in hac parte volumus adhiberi, quod nullus abbas vel alius loci conventualis regimini praesidens ipsius Ordinis, sine consensu

proprii conventus mutuum recipere valeat ; et quod in authentica scriptura obligationis inde faciendae apponantur eorumdem abbatis vel regimini praesidentis et conventus sigilla. Sed si abbas a suo monasterio vel regimini praesidens ab eius conventuali loco remotus exsisteret, talisque urgeret necessitas, quod sine receptione mutui sibi, familiae suae, aut negotiis utilibus, seu causis per eum agendis providere non posset : permittimus quod tunc sine suo conventu et eius sigillo mutuum recipere valeat ; quod tamen summam centum librarum turonensium parvarum, seu valorem ipsarum sive integraliter seu particulariter non excedat. Cuius mutui quantitatem, causam obligationis ac personam a qua illud receperit abbas vel alius regimini praesidens mutuum ipsum recipiens, infra octo dies post eius regressum ad monasterium proprium vel suum conventualem locum, ipsius conventui ad hoc specialiter congregato explicare plenarie teneatur. Et quod ex quo semel usque ad huiusmodi summam centum librarum mutuum receperit, non possit amplius mutuum recipere sine consensu et sigillo conventus eiusdem, donec dictae centum librae fuerint integraliter persolutae. Quicumque autem abbas vel alius praesidens regimini loci conventualis per se vel per alium contrafecerit, eo ipso ab ingressu ecclesiae ac divinis officiis sit suspensus.

9. *Contractus cum consensu conventus facti sigillis abbatis et conventus muniantur ; habeatque abbatis sigillum proprium eiusdem nomen sculptum.*

Et quia gesta hominum scripturae fidei committuntur, ut rei gestae memoria in posterum habeatur, volumus et ordinamus ut ubicumque abbates vel alii locorum conventualium regimini praesidentes aliquid cum expresso suorum conventuum consensu facient, de quo testimonialis conficiatur scriptura, quod sigilla ipsorum abbatum vel aliorum regiminibus praesidentium eorumque conventuum apponantur in illa ; et quod deinceps in sigillo cuiuslibet abbatis vel alterius loci conventualis regimini praesidentis, quocumque nomine censeatur, ipsius nomen proprium exprimatur, ut melius sciri possit per quem et cuius tempore id de quo agetur, factum exstiterit, et ut malitiis et falsitatum commentis via melius praecludatur.

10. *Officiales monasteriorum in manibus suorum abbatum iuramenta praestabunt, quod iniuncta sibi officia fideliter exsequentur.*

Praeterea, cum sit consonum rationi ut negotiorum gestores

et officiales, de gerendo fideliter et utiliter negotia et officia exercendo illis commissa, iuramenti vinculo astringantur : volumus et ordinamus quod cellerarii, bursarii, negotiorum gestores, rentarii nuncupati, ceterique officiales cuiuslibet monasterii seu alterius loci conventualis et eorum grangiarum magistri, cum ad officia vel magisteria huiusmodi assumentur, iuramentum praestare teneantur in manibus eorum abbatis vel alterius loci conventualis regimini praesidentis suique conventus, quod in commissis sibi officiis, administrationibus vel grangiis fideliter se habebunt ; et quod de receptis et expensis fidelem computum reddent, et reliqua ipsi monasterio seu conventuali loco aut eorum bursariis assignabunt ; et quod illi cellerarii, bursarii, negotiorum gestores, officiales et magistri qui nunc sunt, praestare teneantur simile iuramentum.

11. *In quolibet monasterio duo bursarii eligantur, qui pecunias undequaque venientes recipiant ; et ex abbatis iussu aliis officialibus ministrent.*

Et quia ubi prudentia et moderantia fidei firmitate vallatae non vindicant sibi locum, luxus inest longique temporis victum brevis hora consumit ; decet et expedit ut per dispensatores prudentes et fidos quaeque manuteneatur substantia et etiam dispensetur. Unde statuimus et etiam ordinamus quod in singulis monasteriis et aliis conventualibus locis praedicti Ordinis, per abbatem seu alium regimini praesidentem, de seniorum sui conventus consilio, duo bursarii deputentur quorum unus principalis exsistat ; qui siquidem bursarii omnes pecunias ipsius monasterii seu loci conventualis undequaque provenientes universaliter recipiant, et de dicti abbatis vel regimini praesidentis mandato ceteris officialibus et aliis distribuant, prout fuerit opportunum ; ipsique bursarii quater in anno, sed ceteri officiales et receptores proventuum, semel et etiam pluries, si eidem abbati vel regimini praesidenti videbitur expedire, de omnibus receptis et expensis, coram praedicto abbate vel regimini praesidente ac senioribus de conventu ipsius monasterii seu loci conventualis, teneantur plenissimam et fidelem reddere rationem.

12. *Abbates de rebus receptis et expensis per eos semel in anno senioribus rationem reddere tenentur ; et in regressu de via computationes pecuniarum reddant.*

Abbates vero vel regiminibus praesidentes, coram dictis senioribus et bursariis, annis singulis, de receptis et expensis per eos

plenam et fidelem rationem reddere teneantur; recipiantque ipsi abbates vel regiminibus praesidentes a dictis bursariis pecunias pro expensis eorum; et si, dum ipsi extra monasteria vel alia conventualia loca eorum accesserint, eos pecunias contingat de proventibus monasteriorum seu locorum conventualium eorum aut aliunde recipere, huiusmodi pecunias in ipsorum regressu tradant bursariis praelibatis, computatis si quas de ipsis pecuniis expenderunt. Abbates vero seu alii regiminibus praesidentes, si secus attentare vel sibi talia retinere praesumpserint, ab ingressu ecclesiae ac divinis officiis, post lapsum duorum mensium a die regressus huiusmodi computandorum, tamdiu suspensi existant, donec ea tradant bursariis memoratis.

13. *Visitatores quot dies in visitatione cuiuslibet monasterii possint immorari; et de expensis eorum; et quod non recipiant munera.*

Porro quia per visitationis actum, de vita et conversatione illorum qui visitantur exquiritur, et per eum sincere debet correctionis et reformationis officium exerceri, nec proinde hi iuxta canonicas etiam sanctiones superfluis sunt impendiis aggravandi, statuimus et etiam ordinamus quod visitatores in aliquo monasterio per eos visitando, antequam officium visitationis incipiant, nisi prima die qua declinabunt ad illud, valeant demorari et si manere ibi voluerint, sequenti die dumtaxat id licitum sit eisdem; et quod visitationes in eodem Ordine faciendae deinceps non durent ultra triduum continuum, nisi apparens necessitas vel magna uilitas monasterii visitati dies exposceret ampliores; quodque ille visitator qui ultra ipsos primos dies duos vel ultra praefatum triduum absque necessitate vel utilitate praedictis, easdem visitationes prorogare praesumpserit, si abbas fuerit, sit a stallo chori et loco capituli abbatialibus per unum sequentem annum eo ipso suspensus, et sedere in stallo et loco capituli remotis a stallis aliis et locis abbatialibus teneatur; si vero fuerit monachus, eo ipso sit per unum annum sequentem inhabilis ad quodcumque officium et administrationem seu gubernationem in eodem Ordine obtinenda, et nihilominus per sex menses sequentes in pane et aqua in suo monasterio ieiunare qualibet sexta feria teneatur; et quod similes poenas incurrant abbates et monachi, qui visitationis officium impendendo, numerum evectionum per felicis recordationis Clementem Papam IV praedecessorem nostrum super hoc taxatum excedent. Nec

praesumant visitatores ipsi, ante huiusmodi eorum visitationem vel in ipsa seu post eam, occasione dictae visitationis aliquod munus suspectum per se vel alium recipere, nec illud a suis recipi permittant. Expensas tamen quas fecerint ad visitatum monasterium eundo et de ipso redeundo, recipere valeant iuxta ordinationem super hoc factam per Clementem eumdem. Ubi autem a monasterio iam visitato usque ad monasterium visitandum aliquod vel aliqua monasteria in itinere constituta extiterint, ad quae dicti visitatores possint commode declinare, hoc ipsi efficere valeant ; dictaque monasteria taliter constituta eosdem visitatores caritative recipere decenterque tractare, ac eis providere in victualibus teneantur ; et pro diebus quibus ad huiusmodi constituta, ut praefertur, monasteria declinabunt, et eis, ut praetangitur, provisum extiterit, nullas expensas possint a monasteriis seu locis recipere visitatis. Abbas autem contra praedicta recipiens, nisi infra duos menses a receptione huiusmodi computandos, eis a quibus receperat receptum restituat, ipsis elapsis, duplum restituere teneatur ; monachus vero quidquid contra id receperit, restituere non postponat, et ob hoc regulari subiaceat disciplinae.

14. *Ne visitatores sibi alios abbates adiungant, nisi ut eos consulant ; et ne nomina eorum qui sibi in visitationibus crimina occulta revelant, aliquo modo detegant ; et de numero evectionum abbatum.*

Nec audeant praefati visitatores in ipsis visitationibus sibi alios abbates adiungere, nec ipsi alii abbates sese illis adiungant, nisi pro consilio vel auxilio, ubi casus depositionis alicuius abbatis, vel aliud magnum et arduum negotium, seu patriae vel locorum per quae transire haberent, periculum immineret, seu interpretatio linguarum necessaria foret. Verumtamen Cisterciensis et quatuor abbates quatuor principalium filiarum, qui sunt pro tempore ac superius nominantur, in eisdem visitationibus alium abbatem (si velint) secum recipere, vel sibi adiungere valeant. Neque praedicti visitatores nomina eorum qui eis in ipsis visitationibus secreta revelaverint aliqua, ea revelare praesumant, nisi tunc demum cum propter revelata huiusmodi ad alicuius punitionem vel poenam fuerit procedendum ; nec non revelantes huiusmodi puniantur, plus vel minus prout facti qualitas exiget, secundum arbitrium ipsius Ordinis Capituli generalis. Et quod abbates maiores post abbatem Cisterciensem et quatuor alii abbates

earumdem principalium filiarum, qui sunt pro tempore, extra visitationes eorum sex tantum, alii vero minores abbates quatuor evectionibus sint contenti; nec hoc praetextu qui paucioribus uti solebant, credant sibi potestatem plurium attributam.

15. *Quomodo se habere debeant abbates et monachi, ac eorum familiae in monasteriis ad quae declinant tam eundo ad dictas visitationes quam ad generale Capitulum.*

Rursus praecavere volentes ne per abbates vel monachos dicti Ordinis declinantes ad alia monasteria eiusdem Ordinis, veniendo ad huiusmodi Capitulum generale vel de illo redeundo seu alias huiusmodi alia monasteria plus debito aggraventur, statuimus et ordinamus quod abbates aut monachi praefati ad idem Capitulum venientes vel de ipso redeuntes, seu alias tamquam hospites ad aliquod monasterium seu locum conventualem iam dicti Ordinis declinantes, non remaneant in eodem monasterio seu conventuali loco vel in aliis eorum locis, ad expensas ipsius monasterii aut loci conventualis vel aliorum locorum ipsorum, ultra diem qua illuc declinaverunt et sequentem, ipsi vel aliquis de familia eorumdem; nec ultra dictos dies abbas vel cellerarius aut aliquis alius dicti monasterii seu loci conventualis aut aliquorum locorum eorumdem, ipsos invitare vel amplius eis aliquid ministrare praesumat. Quod si ex aliqua rationabili causa ipsi vel aliquis de familia eorumdem amplius remanere voluerint, expensas quas ibi tunc fecerint, de bonis proprii monasterii vel aliunde procuratis solvere teneantur. Quicumque vero contrarium fecerint, tam dantes quam recipientes, de inobedientia et transgressione huiusmodi statuti et ordinationis nostrorum per generale dicti Ordinis Capitulum puniantur. Sed per praedicta nullum ius ipsorum declinantium alicui acquiratur, etiam per ipsos duos dies vel alias ad aliquod monasterium seu locum conventualem eiusdem Ordinis aut locorum eorum declinandi, aut in eorum aliquo remanendi; hoc tantum salvo, quod circa patenter infirmantes solita caritas et pia hospitalitas observentur.

16. *Abbates non concurrentes ad generale Capitulum duplices expensas, quas euntes et redeuntes consumpserant, solvere teneantur; legitime vero impediti procuratorem mittant, qui impedimentum esse legitimum iuret.*

Quia vero ideo sunt huiusmodi generalia Capitula instituta, ut in eis de statu monasteriorum et aliorum locorum regularium, ac de reformatione Ordinis et observantia regulari tractatus

debeat diligens adhiberi : dignum et debitum fore dignoscitur, ut ad illa conveniant universi quibus id imminet praepeditionem canonicam non habentes. Quare statuimus, et etiam ordinamus, quod abbates ipsius Ordinis qui de cetero non venerint ad dictum Capitulum generale, qui venire tamen tenebantur, secundum Ordinis praedicti statuta, non habentes impedimentum legitimum seu licentiam specialem ab eo qui dare possit eamdem : exhibere teneantur duplum eius quod expensuri essent ad idem Capitulum veniendo et redeundo de illo, duplumque huiusmodi solvere in sequenti Capitulo generali in utilitatem ipsius generalis Capituli convertendum ; et quod possint Diffinitores eiusdem Capituli generalis tales abbates non venientes ad duplum huiusmodi exsolvendum auctoritate apostolica per censuram ecclesiasticam, sublato appellationis obstaculo, coarctare ; eorumque super hoc processum habendum et ferendas sententias publicas, ac facere publicari ; quodque circa ipsum duplum in totum vel in partem nulli valeat fieri gratia, vel remissio indulgeri. Illi vero abbates qui legitimum impedimentum seu licentiam huiusmodi asseruerint se habere, illa conventibus suis, tempore quo iter eundi ad dictum Capitulum arripere deberent, exponere teneantur ; et nihilominus subsequenter de dictis impedimentis sive licentia in ipso generali Capitulo fidem facere per suum procuratorem seu excusatorem probum et idoneum virum, habentem speciale mandatum praestandi iuramentum in animam ipsius mittentis, causas absentiae ac impedimentum huiusmodi vera esse ; quod quidem iuramentum praestare teneantur, si visum fuerit abbati Cisterciensi qui est pro tempore, ac praesidentibus ipsi Capitulo generali. Et si abbas ac praesidentes praefati tale impedimentum et licentiam ipsam non esse legitima fuerint arbitrati, tales abbates, qui ad idem Capitulum nequaquam venerant, declarent incurrisse poenam solvendi duplum praefatum, quemadmodum est praemissum.

17. *Omnes tenentur solvere contributiones sibi impositas ; renuentes autem aut impedimentum praestantes per censuras ecclesiasticas et alia remedia postposita appellatione cogantur.*

Quia vero nonnulli, sicut accepimus, ad solvendum contributiones quae in eodem Ordine pro necessitatibus et usibus communibus et alias consuetis ipsius Ordinis pro tempore imponuntur, se reddunt difficiles et remissos : Nos adversus eos et circa negotia contributionum ipsarum, aliaque illa contingentia, prout sequi-

tur, duximus providendum ; videlicet quod abbati Cisterciensi et quatuor abbatibus principalium filiarum supradictis, et qui pro tempore fuerint, et cuilibet eorumdem, auctoritate apostolica, remoto appellationis obstaculo, per censuram ecclesiasticam, et per alia remedia iuxta dicti Ordinis instituta et observantias consuetas aliaque opportuna remedia compellendi eos quibus dictae contributiones pro tempore impositae fuerint, ad solvendum easdem ; et ad id etiam coarctandum recusantes seu negligentes solvere praefatas contributiones iam impositas, et quosvis alios impedimentum praestantes publice vel occulte quominus contributiones praedictae solvantur ; ad desistendum prorsus ab impedimento huiusmodi, nec non processus habendos, ac excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliasque sententias ferendas in tales recusantes, negligentes et impedimentum praestantes nunc et in posterum in eorum et aliis monasteriis ac locis circumvicinis, prout fuerit opportunum ; ac in generali Capitulo ipsius Ordinis publicandi, et publicari faciendi, plenam atque liberam concedimus tenore praesentium potestatem.

18. *Capitulum generale nominet tres abbates, qui singulis annis praedictas contributiones recipiant ; et de modo quem iuxta hoc observare tenentur.*

Volumus autem quod praedictas contibutiones deinceps recipiant tres abbates dicti Ordinis ad hoc per ipsum generale Capitulum seu per Diffinitores eiusdem annis singulis deputandi, qui iuxta ordinationem dicti Capituli seu Diffinitorum eius pro necessitatibus et usibus communibus aliasque consuetis iam dicti Ordinis dispenset easdem. Et si quid de ipsis contributionibus superfuerit, in aliquo monasterio securo ad hoc per dictum Capitulum vel per ipsius Diffinitores eligendo ponatur, et sub provisione custodiae per ipsos tres abbates super hoc adhibenda, sub tribus seraturis et diversificatis clavibus, de quibus quilibet ipsorum trium abbatum suam clavem teneat, fideliter conservetur ; tenebunt namque praefati tres abbates in subsequenti Capitulo generali de receptis et expensis per eos Diffinitoribus ipsius Capituli reddere rationem ; et illud quod restabit, ipsi Capitulo seu Diffinitoribus ipsius Capituli custodiendum restituere modo praemisso per alios tres abbates per ipsum Capitulum seu Diffinitores eius, ut praetangitur, deputandos ; dictique tres abbates quando ad praedicta deputabuntur, iuramentum praestabunt quod in recipiendo, custodiendo et expendendo contribu-

tiones praedictas, ac in reddendo rationem de ipsis fideliter se habebunt. Poterunt autem dicti tres abbates receptores modo praedicto a generali Capitulo seu Diffinitoribus ipsius Capituli deputati de ipsorum abbatis Cisterciensis et quatuor coabbatum totidem principalium filiarum consilio, certis personis fidelibus et discretis annis singulis vices suas committere ad recipiendum contributiones in generali Capitulo non solutas ; qui siquidem discreti praestabunt solemniter iuramentum, quod praefatas contributiones levabunt, exigent, et servabunt fideliter ; et ad sequens generale Capitulum dictis commissariis generalis Capituli seu Diffinitorum eius integraliter deportabunt ; dictique tres abbates rationem reddent coram eisdem abbate Cisterciensi et quatuor coabbatibus totidem principalium filiarum, si omnes ipsi praesentes fuerint, nec non coram illis Diffinitoribus quos praefati Cisterciensis et quatuor coabbates in Divione decreverint retinendos. Volumus quoque quod fiat speciale sigillum, quo litterae solutionis contributionum dicti Ordinis de cetero sigillentur ; quod quidem sigillum sub tribus seraturis et diversificatis clavibus penes dictos tres abbates, vel in aliquo monastetio de quo eis magis expedire videbitur, apud aliquem vel aliquos quem vel quos eligendum vel eligendos decreverint, iam dictum sigillum modo praetacto servetur. Praedictae tamen personae, quibus de dictorum abbatis Cisterciensis et quatuor coabbatum totidem principalium filiarum consilio, ipsi tres abbates, ut praedicitur, committent vices suas, dum non solutas contributiones receperint, poterunt de solutionibus particularibus, quae fient extra Capitulum generale, recognitionem facere sub sigillis propriis eorumdem ; sed illa quae fient postmodum eis sigillabuntur praedicto speciali sigillo. Praemissa vero circa ordinationem contributionum sic exactae et diligenter observentur in Ordine antedicto, quod etiam per generale Capitulum vel alium seu alios quoslibet, quovis colore quaesito, contra ea nihil fieri praesumatur ; et si quis secus attentare praesumpserit, incurrat excommunicationis sententiam ipso facto.

19. *Ne in Ordine Cisterciensi recipiantur in monachos vel conversos, nisi personae idoneae ad ea quae conveniunt monachis vel conversis, ac cum consilio seniorum.*

Nempe cautius providere volentes, quod pro divini cultus et aliis obsequiis praestandis in Ordine praelibato, personae recipiantur idoneae ipsis officiis congruentes : statuimus et ordina-

mus quod de cetero in eodem Ordine non recipiantur in monachos vel conversos nisi personae idoneae ad ea quae conveniunt monachis vel conversis praedicti Ordinis ; et nisi per abbates monasteriorum, vel principaliter praesidentium regiminibus aliorum locorum conventualium ipsius Ordinis, et infra monasterium seu loca huiusmodi cum consilio seniorum de conventu, seu maioris vel sanioris partis eorum monasterii vel alterius loci conventualis, in quo monachorum vel conversorum fiet receptio praedictorum ; si secus actum fuerit, carere iuribus decernentes.

20. *Omnes monachi pannis bruni vel albi coloris utantur ; et eorum familia non induatur virgatis vestibus, nec monachi curiosa ac superflua vasa argentea aut ornamenta habere praesumant.*

Profecto quia honestas, temperantia, et modestia debent in cunctis personis ecclesiasticis et maxime regularibus divinis laudibus sedulius dedicatis locum praecipuum obtinere : statuimus et etiam ordinamus ut omnes abbates et praesidentes regiminibus aliorum locorum conventualium, et monachi eiusdem Ordinis pannis bruni vel albi coloris dumtaxat utantur ; et quod domicellum seu domicellos de vestibus vel robis partitis aut virgatis indutum vel indutos, sive alias pretiosis ducere non praesumant. Quodque a curiositate ac superfluitate vasorum argenteorum, lectisterniorum, et quorumlibet ornamentorum curent penitus abstinere. Contrarium vero facientes per patres abbates eorum et per visitatores, vel per Capitulum generale ipsius Ordinis taliter puniantur, quod metus poenae aliorum sic excedere volentium meta existat.

21. *Ne aliquis abbas, exceptis Cistercii et quatuor primis, ultra unicum saecularem clericum vel laicum equitantem ducat.*

Et quod abbates monasteriorum et praesidentes regiminibus aliorum conventualium locorum dicti Ordinis, exceptis abbate Cisterciensi et quatuor coabbatibus totidem principalium filiarum supradictis, qui sunt et pro tempore fuerint, ultra unum saecularem clericum sive laicum equitantem ducere non praesumant.

22. *Esus carnium in camera abbatis et infirmitorio, et nullatenus extra monasteria, monachis sub certa forma conceditur ; et de poena transgredientium.*

Quia vero personas regulari observantiae deditas decet potissimum ab esu prohibitorum cibariorum, tam virtutis amore quam poenae formidine abstinere, ne ab eis in gastrimargiae lubricum

descendatur : auctoritate praesentium firmiter inhibemus ne deinceps abbates et monachi dicti Ordinis extra monasteria seu loca conventualia eiusdem Ordinis, et etiam ipsi monachi infra monasteria seu loca huiusmodi, aut in cameris et extra infirmitorium commune, carnes vel pulmenta cum carnibus condita vel decocta praesumant comedere contra observantiam praedicti Ordinis diutius observatam. Nos enim licentias quas aliqui abbates et monachi iam dicti Ordinis dicunt a Sede Apostolica super esu carnium se habere, cum tales licentiae redundet in scandalum aliorum, penitus revocamus. Monachus autem vel conversus qui huiusmodi nostrae inhibitionis transgressor extiterit, tribus diebus pro qualibet carnium vel dictorum pulmentorum comestione ieiunare in pane teneatur et aqua, et quod nihilominus quolibet ipsorum dierum in capitulo regularem accipiat disciplinam ; sed abbas inhibitionis praefatae transgressor, non ad disciplinam ipsam, sed ad huiusmodi ieiunia teneatur ; et si scienter haec omiserit negligenter facere observari, etiam ex negligentia huiusmodi teneatur ad ieiunia praelibata. Quae quidem poenae nulli remitti valeant, nec super eis vel ipsarum parte aliqua cum aliquo dispensari. Quod si alicui super esu carnium vel pulmentorum praedictorum saepe inventi fuerint delinquentes, seu esum ipsum contra ordinationem huiusmodi frequentantes, et per abbates proprios quod a talibus abstineant canonice moniti non destiterint, sint post monitionem huiusmodi per biennium, eo ipso, inhabiles ad quaecumque officia et administrationes in eodem Ordine obtinendas ; obtinentes vero illa removeantur, si abbatibus eorum visum fuerit, ab obtentis. Inhibemus quoque quod nullus monachus vel conversus dicti Ordinis, cuiuscumque conditionis existat, etiamsi officium habeat, nisi aegritudine gravi vel debilitate detentus fuerit, carnes de cetero in cameris infirmitorii comedere praesumat, sed omnes comedant in refectorio communi in infirmitorio deputato. Neque carnes parentur vel decoquantur alibi quam in infirmitorio communi seu in coquina eidem infirmitorio deputata vel in posterum deputanda ; nisi abbas ex aliqua causa rationabili alibi decoqui vel parari mandaret easdem, vel in eius absentia ille cui dictus abbas commiserit vices suas. Ubicumque autem carnes pro aliis quam pro infirmis vel debilibus paratae fuerint, per infirmarium inter comedentes in infirmitorio dividantur. Abbatibus vero bene meritis, qui cesserint vel cedent in posterum spontanea voluntate,

locus et esus carnium per abbatem proprium secundum suae discretionis arbitrium concedatur. Et quilibet abbas dicti Ordinis ex indulgentia possit interdum aliquos fratrum, nunc hos et nunc illos, prout necessitas postulaverit, advocare, ipsosque secum in camera sua melius et plenius exhibere. Abbates autem et aliae notabiles personae ipsius Ordinis ad monasteria declinantes de abbatis vel, eo absente, de praesidentis regimini eiusdem monasterii licentia, in camera ipsius abbatis vel in communi infirmitorio carnibus uti possint. Et quoniam aliqui monachi dicti Ordinis in nonnullis monasteriis et studiis sibi temere vindicare praesumunt quod certis diebus qualibet septimana iuxta observantias seu consuetudines vel statuta, quae super hoc allegant (minus tamen rationabilia), eis carnes debeant ministrari: Nos huiusmodi abusum, observantias, consuetudines, seu statuta huiusmodi utpote vergentia in eorum religionis opprobrium et exempli perniciem aliorum, penitus reprobantes auctoritate eadem ordinamus quod nullus abbas, provisor, prior, cellerarius, vel alius deinceps haec aliquatenus observare praesumat, ne etiam observari permittat, aut ministrare vel ministrari facere occasione observantiarum, consuetudinum, seu statutorum praedictorum carnes alicui praedicti Ordinis, praeterquam in aliis casibus licitis et permissis.

23. *Omnes monachi in dormitorio dormiant; exceptis infirmis et officialibus; hi enim in locis sibi deputatis iacent, illi vero in cameris infirmitorii.*

Cumque tam secundum canonica quam regularia instituta in unum locum dormire debeant monachi universi, et praetextu camerarum seiunctarum, quae in aliquibus monasteriis extra infirmitoria, et propter cellas quae in dormitoriis sunt constructae, multae sint inhonestates et dissolutiones inductae. Nos super his expressius et salubrius providere volentes, statuimus et ordinamus quod nullus de cetero monachorum in cameris iacere audeat, nisi solummodo propter invaletudinem corporalem, et tunc in cameris infirmitorii dumtaxat; sed omnes in dormitorio iaceant, nisi forte ab hoc aliquis propter officium excusetur, et tunc possit alibi, si aliter commode in dormitorio iacere non valeat.

24. *Ne cellae deinceps in dormitorio construantur, et quae constructae sunt, destruantur.*

Ad hoc etiam statuendo et ordinando adiicimus quod deinceps

cellae in dormitoriis nullatenus construantur ; et si quae iam cons tructae fuerint, omnino per abbates vel principales praelato proprios infra tres menses a tempore quo hoc statutum et ordi natio ad eos pervenerit, et eis negligentibus seu non volentibus per visitatores in prima visitatione quam impendent, auctoritat apostolica destruantur. Et quod super his resistentes eisdem vel impedimentum aliquod praestantes, et ad hoc dantes auxi lium, consilium, vel favorem, publice vel occulte, incurrant ex communicationis sententiam ipso facto ; a qua quidem sententia nequeant nisi per visitatores absolvi praefatos ; quos etiam ips visitatores per alia iuris et statutorum eiusdem Ordinis remedia valeant coercere. Priores tamen claustrales et suppriores possint iuxta abbatis vel praelati principalis arbitrium cellam habere infra dormitorium competentem. Dicti autem visitatores quod super his invenerint vel fecerint, referant plene ad fideliter in ipsius Ordinis subsequenti Capitulo generali.

25. *Monachis non est praestanda portio panis, vini, pecuniae, nec eis aliqua pars redditus pro victu vel vestitu, aut quacumque alia de causa assignetur, sed omnia illis sint communia.*

Quia vero in nonnullis monasteriis seu aliis locis conventualibus dicti Ordinis, servari dicitur abusive quod quilibet monachus certi bladi, panis, vini, vel pecuniae recipiat portionem : Nos prorsus abusum huiusmodi detestantes, et etiam abolentes, ac volentes in hac parte utiliter providere : auctoritate praedicta firmiter prohibemus quod deinceps in nullo ipsius Ordinis monasterio fiant huiusmodi portiones ; sed ministrentur unicuique, prout communitas eiusdem Ordinis observavit hactenus atque servat ; adiicientes et prohibentes etiam quod nulli monacho certi redditus aut proventus, seu pars reddituum vel proventuum, aut aliqua pensio pro victu vel vestitu seu ex quacumque alia causa de cetero concedantur, vel alicui assignentur, aut alicui vel aliquibus monachis ab extraneis concessi vel donati permittantur eisdem ; sed utilitatem monasteriorum ipsorum per abbates proprios convertantur. Quodque inter abbates et conventus aut officiales alicuius monasterii dicti Ordinis nequaquam fiat sectio bonorum, fructuum, reddituum, vel proventuum eorum, sed communibus ipsorum usibus deputentur.

26. *Nulla divisio fructuum vel reddituum inter abbates, conventum et officiales fiat et factae revocentur ; abbates qui oppositum fece-*

rint, deponantur ; monachi vero praedictis contradicentes perpetuo carceri mancipentur.

Nos enim concessiones vel assignationes eisdem monachis de dictis redditibus vel proventibus, seu eorum parte aut pensione aliqua, ut praemissum est, factas, ac sectiones bonorum seu discretiones fructuum, reddituum, vel proventuum huiusmodi, totaliter revocamus. Abbates vero qui deinceps portiones praedictas, aut sectiones seu divisiones huiusmodi bonorum et aliorum praefatorum monasteriorum suorum fecerint, vel fieri concesserint, aut hactenus factas servari permiserint, deponantur. Monachi autem qui praedictis restiterint, vel impedimentum per se vel per alium praestiterint, seu praestari procuraverint, tanto tempore carceri mancipentur, quanto abbati seu alii principali praelato eorum visum fuerit expedire ; at si etiam abbati vel ipsi principali praelato in hoc contradixerint, perpetuo carceri mancipentur.

27. *Abbatibus bene meritis qui voluntarie cesserint, de consilio seniorum congrua provisio poterit eis assignari.*

Abbatibus vero bene meritis, qui voluntarie cesserint vel cedent in posterum, sufficiens et congrua provisio, prout patri abbati successori cedentis abbatis, de consilio seniorum de conventu illius monasterii cuius regimini cessit vel cedet, visum fuerit, assignetur et etiam praebeatur.

28. *Quis possit habere in monasterio equum aut mulam ad iter agendum.*

Et ut omnis evagationis ac inutilium expensarum occasio subtrahatur, eadem auctoritate inhibemus ne quisquam monachus vel conversus dicti Ordinis, cuiuscumque status vel conditionis existat, equitaturam tenere praesumat : cellerariis, procuratoribus, et grangiarum gubernatoribus dumtaxat exceptis, quibus abbas possit hoc de una tantum concedere, si viderit expedire ; cellerariis tamen Cisterciensis et aliorum quatuor monasteriorum totidem principalium filiarum praedictarum, duae possint equitaturae concedi, si eorum abbatibus videatur.

29. *Prohibetur monachis pecuniam congregare, iura vel alia bona proprio vel etiam alieno nomine emere, aut pecuniam occultare vel detinere ; sed omnia per abbatem in utilitatem communem applicentur ; contra hoc facientes taxatae poenae.*

Quamvis autem contra monachos proprietarios, exceptis administratoribus, sit plene provisum per canonicas sanctiones,

cum abdicatio proprietatis sit annexa regulae monachali : Nos tamen specialius providere volentes contra illos monachos et conversos dicti Ordinis, qui suae salutis obliti, contra regularem institutionem pecunia congregata, iura, possessiones, redditus, pensiones, animalia, et alia bona emerunt et emunt, seu emi fecerunt et faciunt, aliquando proprio et saepe nomine alieno, multis super his figmentis adhibitis, aliisque ipsa tradunt animalia nutrienda, et cum augmento vel lucro sibi vel alteri, eorum nomine, seu pro ipsis, et alios multos contractus tamquam negotiatores exercent ; necnon appetentes lucra turpia et sectantes, peculium occultant, et illicite detinent in suarum periculum animarum : auctoritate praefata decernimus, omnia praemissa (quae tamen alias restitutioni non subiaceant aliorum) fore per abbates proprios monasteriis propriis applicanda, et in utilitatem monasteriorum ipsorum totaliter convertenda ; quodque ipsi abbates alicui monacho vel converso talia faciendi licentiam nequeant impertiri ; et quod dicti monachi et conversi praedicta committentes, vel huiusmodi applicationi vel conversioni aliquatenus resistentes, vel impedimentum publice vel occulte praestantes seu praestari procurantes, et peculium praedictum non revelantes et reddentes abbatibus praelibatis, sint eo ipso inhabiles ad quodcumque officium, administrationem, regimen et gubernationem quamlibet in eodem Ordine obtinenda. Permittimus tamen quod cum ipsis monachis et conversis possit abbas eorum super poenis huiusmodi dispensare, dum praedicta revelaverint, et plene restituerint, quando eis videbitur expedire. Monachis autem et conversis, etiam administrationem habentibus, pecunias vel alia bona quibuscumque mutuantibus, vel debita fingentibus quae non debent, talis poena per abbates proprios imponatur, quae sit illis ad salutaris correctionis profectum, et ceteris attentare similia volentibus in exemplum.

30. *Abbates monachis et conversis sanis et infirm. secundum monast. facult. necess. provid. tenentur ; inhibeturque ne plures monachos, quam potest alere, quodlibet monast. recipiat.*

Et quia per ministros providos administrationes bonorum consueverunt fructuose ac laudabiliter exerceri : volumus ut abbates monasteriorum eiusdem Ordinis sic bona monasteriorum suorum dispensare ac providere taliter teneantur, quod monachis et conversis tam sanis quam infirmis sufficienter provideatur in victu et vestitu, secundum cuiuscumque monasterii

facultates, et qualitates cuiuslibet regionis ; quodque in monasteriis praedictis non plures monachi vel conversi ponantur, quam ex facultatibus dictorum monasteriorum possit congrue provideri.

31. *Plura circa studia generalia et collegia, ad quae monachi ex diversis provinciis ad discendum mittantur, statuuntur.*

Praebere quippe materiam intendentes, quod in eodem Ordine per sacrae theologiae studium professores ipsius erudiantur et illustrentur in illa, ut in Ecclesia Dei sibi ipsis et aliis fructus salutis, favoris, honoris et honestatis, coelesti agricola irrigante ac multiplicante, producant : matura deliberatione praehabita, subscripta de praefato et alias litterali studio, scolaribus provectis et doctoribus, et alia quae circa ea rationabilia et opportuna fore perspeximus auctoritate saepe dicta statuimus, ordinamus, et disposuimus pro moderno et postero tempore valitura perpetuo et inviolabiliter observanda : videlicet quod generalia studia dicti Ordinis in sacra pagina Parisius, Oxoniae, Tolosae, et apud Montempessulanum Magalonensis dioecesis, deinceps existant. Studium autem quod Stellae Pampilonensis dioecesis fore consuevit, in Salamanticam transferimus propter propinquitatem studii Tolosanensis ; ordinantes quod Bononiae fiat studium, quando commode fieri poterit domus pro studentibus, vel ematur ; fiatque Salamanticae, illud idem. Metis quoque sit particulare studium in scientiis primitivis, ubi etiam domus pro Alemannis per generationem supradicti monasterii Morimundi ematur, quantum generatio ipsa in Alemanniam se extendit. Quodque domibus eorum qui studebunt Bononiae et Salamanticae, illi abbates seu rectores eorum praesint. De quibus ordinabitur per ipsius Ordinis Capitulum generale. De his namque provinciis, scilicet de Viennensi, Tarentasiensi, Ebredunensi, Arelatensi, Aquensi, Narbonensi, Bituricensi, Auscitanensi, Tarraconensi, Caesaraugustanensi, Burdigalensi et Tolosanensi, ad praefata Tolosanensia et Montispessulanensia studia transmittantur. Qui vero ad Stellam mitti consueverunt, Salamanticam destinentur, exceptis illis de regno Navarrae, qui mittantur ad ipsum studium Tolosanense ; sed Alemanni dirigantur ad studium Metense pro dictis scientiis primitivis ; ad quod quidem Metense studium nullus de generatione Claraevallis mittatur invitus. Bononiam autem Italici, et Oxoniam Anglici, Scoti, Wallenses et Hibernici destinentur.

32. *Monachi dociliores et magis idonei per abbates suos de consilio visitatoris et conventus ad studia mittantur, et quo tempore mitti debeant.*

Sed ad studium Parisiense, quod est ceteris praecipuum et fons omnium studiorum, indistincte mittantur ex omni natione vel generatione secundum modum inferius annotatum : videlicet quod abbates monachos illos quos habebunt ad dicta studia mittere, ad ea de consilio patris abbatis vel visitatoris et conventus proprii, aut sanioris partis eiusdem conventus transmittere teneantur ; sic tamen quod mittantur magis dociles et idonei, nec non ad proficiendum dispositi ; et quod tali tempore transmittantur, quod prima die mensis octobris vel circa in studio Parisiensi exsistant ; in aliis vero studiis in beati Lucae vel Omnium Sanctorum festis infallibiliter sint praesentes.

33. *Quot collegas quodlibet monasterium, et ad quae collegia mittere possit.*

Numerus autem mittendorum videtur sufficere prout sequitur, consideratis oneribus iam dicti Ordinis et temporum qualitate : scilicet quod de quolibet monasterio cuiusque provinciae seu generationis, in quo sunt vel erunt aut esse poterunt quadraginta monachi vel supra, Parisius debeant mitti duo ; de quolibet vero monasterio in quo sunt vel esse poterunt triginta monachi et supra usque ad quadraginta monachos exclusive, ad idem studium Parisiense debeat mitti unus ; et de quolibet monasterio in quo erunt vel esse poterunt decem et octo monachi et supra usque ad triginta monachos exclusive, ad alia generalia studia vel Parisius, si mittentes maluerint, debeat similiter unus monachus destinari. Ad Metense aurem studium, cum fuerit institutum, de quolibet monasterio generationis dicti monasterii Morimundi, quantum ipsa generatio se in Alemanniam et ultra Rhenum extendit, in quo erunt vel esse poterunt de decem octo monachis inclusive usque ad triginta monachos exclusive, unus mittatur ad minus pro scientiis primitivis, pro quibus, dummodo ipsi mittentes ad illud mittant, destinare ad alia non cogantur.

34. *Certa pecuniae quantitas cuilibet lectori, magistro, baccallario, studenti, ut suis necessitatibus provideant, assignatur.*

Provisionem equidem studendum taliter limitamus, et sufficientem esse conspicimus : videlicet quod magister regens Parisius de communi contributione dicti Ordinis vel de redditibus communibus octoginta libras turonensium parvorum, et a mo-

nasterio proprio viginti quinque libras eiusdem monetae pro bursa et aliis necessitatibus suis ; baccallarius vero regens Parisius de dicto communi viginti quinque, et a proprio monasterio, alias viginti quinque pro bursa et aliis necessitatibus eius ; ac lector Bibliae in eodem studio, de praefato communi decem, et a proprio monasterio viginti libras ipsius monetae percipiant annuatim. Quilibet vero scolarium studens in ipso studio, viginti libras dictae monetae a proprio monasterio, pro bursa et aliis necessitatibus suis percipiat similiter annuatim. Sed in aliis studiis patres abbates ipsorum studiorum rectores magistro in theologica facultate in illis regente, de quadraginta libris praedictae monetae pro bursa et aliis necessitatibus suis providere annis singulis teneantur. Quando autem baccallarius in eisdem studiis reget, ubi commode non reperiretur magister, teneantur dicti patres abbates dicto baccallario de triginta libris dictae monetae, pro bursa et omnibus necessitatibus suis annis singulis providere. Ordinamus quoque, ut in quolibet generali praedictorum studiorum, unus, qui Bibliam biblice seu textualiter continuo legat, existat : cui ultra quindecim libras iam dictae monetae quas percipiat a proprio monasterio pro bursa, centum solidi eiusdem monetae pro omnibus aliis necessitatibus suis annuatim a cellerario de bursis scolarium tribuantur. Quilibet autem scolaris in dictis aliis studiis generalibus praeter studium Parisiense ac in dicto studio Metensi, quindecim libras praedictae monetae a proprio monasterio pro bursa et omnibus aliis necessitatibus suis percipiat annuatim. Siquidem omnes provisiones huiusmodi, tam abbates dictorum studiorum rectores quam abbates proprii, prout quemlibet eorum continget, seu tangere poterit, mittere teneantur ad dicta studia eorum sumptibus, et illas ibidem solvere terminis superius designatis, quibus ipsi mittendi esse debent in studiis memoratis.

35. *De iuramento cellerarii et aliorum officialium in diversis studiis existentium ; et de ratione reddenda eorum quae receperint.*

Cellerarii vero et alii expensas dictorum studiorum facientes teneantur iuramentum praestare quod omnia quae recipient de provisionibus ipsorum studiorum et studentium fideliter dispensabunt ; et tenebuntur etiam reddere rationem de receptis et expensis in fine cuiuslibet mensis, praesentibus magistro seu lectore dictorum studiorum, baccalario et provisore ac septem

aliis discretioribus scolaribus, quos dicti provisor, magister et baccallarius ad id deliberaverint advocandos.

36. *Quo tempore abbates assignatam pecuniam scolastici mittere teneantur ; et nisi miserint, qua poena puniantur.*

Et ut ipsi abbates qui ad mittendum et ad providendum adstringuntur, prout superius est expressum, diligentiam adhibeant, et abiiciant desidiam in praemissis, volumus et ordinamus quod abbas qui dictis terminis monachos seu monachum, quemadmodum praetactum extitit, non miserit cum provisionibus supradictis, teneatur elapso mense duplum provisionum huiusmodi suis expensis mittere ad studium ante dictum. Cuius quidem dupli medietas studenti pro quo mitti debebant, pro libris applicetur emendis, et alia in usus communes aliorum studentium per cellerarium convertatur. Et si dictus abbas duplum praefatum, ut praefertur, infra sex menses dictos terminos immediate sequentes non miserit, ei sit, eo ipso, elapsis ipsis sex mensibus, ingressus ecclesiae interdictus ; dictasque poenas incurrant patres abbates eorumdem studiorum rectores, qui dictis terminis non miserint et non solverint provisiones praefatas, prout superius est descriptum. Quod si praedicti poenas huiusmodi per tres menses dictos sex immediate sequentes pertinaciter toleraverint, eo ipso a divinis officiis sint suspensi.

37. *Cui incumbat cura animarum studentium in collegiis Ord. cisterc. ; si quis autem laudabilis vitae et ad baccalariatus gradum idoneus inveniatur, ibidem permaneat usquedum magisterii insigniis laureetur.*

Et ut eisdem studentibus animarum cura non desit, volumus et ordinamus quod in eisdem studiis generalibus patres abbates ipsorum studiorum rectores deputent idoneos provisores, qui curam habeant animarum studentium in eisdem, quique illos corrigant et absolvant, sicut proprii abbates subditos proprios corrigere et absolvere possunt in monasteriis eorumdem ; propter hoc tamen dicti studentes a potestate proprii abbatis exempti aliquatenus non existant. Ubi autem erit aliquid de Ordine ipso in Parisiensi studio assignatus, qui sit vitae laudabilis, aliasque idoneus et discretus et ad baccallariatum vel magisterium theologiae dispositus et propinquus, abbas Cisterciensis qui est pro tempore, cum consilio magistrorum, baccallariorum et provisoris domus studentium Parisiensium, mandet abbati proprio quod talem non revocet, sed eum permittat in huiusmodi scien-

tia perfici et ad statum baccallariatus ac honorem magisterii provehi, lecturamque continuare, prout ipsius Ordinis generale Capitulum ordinabit. Possit tamen ipsum generale Capitulum in deficientibus magistris seu baccallariis in theologia, talem etiam ante baccallariatum vel magisterium in quolibet praedictorum generalium studiorum principalem deputare lectorem, si eidem generali Capitulo visum fuerit expedire.

38. *Caveant ne monachi in aliquo dictorum studiorum aut extra illa canonica audiant, et quam poenam incurrant contraria facientes.*

In favorem utique studii eiusdem theologiae, ut ab alumnis eiusdem Ordinis studentibus illi ferventius intendatur, statuimus, ordinamus et prohibemus expresse, quod in nullo dictorum studiorum legantur vel audiantur iura canonica, nec etiam extra illa per aliquem studentium eorumdem. Quod si quis contrarium attentare praesumpserit, sit eo ipso ad claustrum suum ab hujusmodi studio revocatus, nec cellerarius dictorum studiorum ex tunc aliquo illi provideat ; sed incontinenti ad proprium monasterium remittatur, de transgressione ac inobedientia huiusmodi secundum arbitrium abbatis proprii puniendus.

39. *Cui competat providere praedictis studiis, de lectoribus et aliis officialibus, et cui studio qui lectores sint assignandi.*

Et ut in dictis studiis pro studentibus in eis necessaria non desint obsequia, volumus et ordinamus ut praefati abbates iprum studiorum rectores in eis provideant de cellerariis et aliis officialibus idoneis, prout necessitas vel utilitas cuiuslibet studiorum requiret ipsorum ; quodque ipsi cellerarii et officiales iuramentum praestabunt de fideliter dispensando ac de receptis et expensis rationem reddendo, quemadmodum superius est expressum. Et quia decet et expedit ut inter studia cetera studium Parisiense refloreat, et iuge sine intermissionis dispendio habeatur, statuimus et ordinamus quod in eodem studio Parisiensi deputentur magistri, baccallarii et lectores Bibliae, ac provisores, cellerarii et alii officiales per dicti Ordinis Capitulum generale. Quod si ipsi vel aliquis eorum deficiant, seu ex aliqua causa magistri, baccallarii et lectores lecturam assumere vel continuare, aut cellerarii et officiales praedicti sua officia exercere nequirent, subrogentur alii loco eorum per visitatorem illius anni usque ad sequens dumtaxat Capitulum generale ; in aliis etiam studiis generalibus magistri seu lectores principales per dictum generale

Capitulum deputentur. Alii vero minores lectores et officiales per abbates eorumdem studiorum rectores debeant deputari. In ampliorem namque favorem et continuationem durabilem studii huiusmodi theologiae iam dictae, statuimus et ordinamus quod quamdiu pro dictis studiis generalibus praeter Bononiense, Salamanticense, et Metense studia, magistri in theologia idonei de praefato Ordine in eodem studio Parisiensi, vel si non ibi, alibi poterunt reperiri, teneatur idem Capitulum generale magistrum in theologia principalem deputare lectorem; alioquin magis idoneum baccalarium quem ad hoc poterunt Parisius, vel si non ibi, alibi reperire; quos dictum Capitulum generale ad suscipiendum et continuandum lecturam huiusmodi, si necesse fuerit, per censuram ecclesiasticam ac alia opportuna remedia, sublato appellationis obice, etiam auctoritate apostolica coarctandı dicto Capitulo ac Diffinitoribus ipsius, nec non abbatibus dictorum studiorum rectoribus communiter vel divisim plenam atque liberam tenore praesentium concedimus potestatem. Praefato insuper Capitulo generali similem potestatem concedimus compellendi, appellatione remota, per censuram et remedia huiusmodi, abbates ipsorum studiorum rectores ad recipiendum magistros in theologia et baccallarios ad praedictam lecturam, et ad providendum eisdem de communi contributione ipsius Ordinis et pro bursa et aliis necessitatibus eorum annis singulis, prout de provisionibus huiusmodi est superius limitatum. Ipsi vero magistri non pompose manere, seu laute vivere praesumant in studiis ante dictis, sed humiliter et devote legant; cibis competentibus vescantur, et uno solo servitore clerico sint contenti. In studio autem Metensi provideat de lectoribus et aliis officialibus domus studentium abbas supradicti monasterii Morimundi, qui est et qui pro tempore fuerit, de consilio sui conventus vel maioris et sanioris partis eiusdem, prout sibi videbitur expedire.

40. *De iuramento novorum magistrorum et baccallariorum in theologia; et quod in festo magisterii non expendantur ultra mille turonensium argenti.*

Et cum sit dedecens et deforme ut quis praesertim religiosus cum vanitate ac imperitia cathedram ascendat praeeminentiae magistralis, statuimus et ordinamus quod de cetero nullus de Ordine praedicto assumatur ad recipiendum magisterii seu doctoratus honorem, nisi prius per eum praestito iuramento in prae-

sentia provisoris et studentium ipsius Ordinis tunc praesentium in studio, in quo huiusmodi honorem recipere voluerit, seu maioris partis numero eorumdem, quod in assumptionis ipsius honoris, vel ante seu post, occasione illius circa cibos, vestes, vel alia non expendat per se vel per alium undecumque habuerit, vel fuerit sibi datum, nec quantum in eo fuerit, ultra valorem mille turonensium argenti expendi permittat, ab aliis eius consanguineis vel amicis. Baccallarii etiam iuramentum praestare teneantur in praesentia praedictorum, quod occasione baccallariatus sui vel ante seu post nullum festum, seu convivium faciant per se vel alium, seu fieri permittant, quantum in eis fuerit, a quibuscumque aliis eorum consanguineis vel amicis.

41. *Quot cursus in theologia debeat perlustrari quilibet monachus, ad hoc quod in diversis studiis generalibus possit legere.*

Ad haec denique statuimus et ordinamus, quod quicumque dicti Ordinis, qui tamen in eodem studio Parisiensi vel in aliquo alio praedictorum generalium ipsius Ordinis studiorum per sex annos in theologia studuerint et ad hoc idonei extiterint, in dicto studio Parisiensi possint cursus Bibliae facere ; et qui per octo annos studuerint, ut praefertur, sententias legere in Parisiensi studio memorato ; non obstantibus quibuscumque statutis et consuetudinibus ac observantiis Ordinis, monasteriorum, locorum conventualium et studiorum saepe dictorum contrariis, iuramentis, confirmationibus apostolicis, aut quibusvis firmitatibus aliis roboratis ; et illo praesertim statuto, quo in eodem studio Parisiensi caveri dicitur, quod nullus possit legere cursum Bibliae, nisi ibidem studuerit septem annis ; quodque non permittatur sententias legere, nisi etiam inibi studuerit decem annis, prout sic aliter in statutis ipsius studii Parisiensis dicitur contineri ; nec non quibuslibet privilegiis, indulgentiis et litteris apostolicis, Ordinis monasteriis, locis conventualibus, et studiis praefatis sive universatibus magistrorum et scolarium eorumdem in contrarium concessis ; per quae praesentibus non expressa vel totaliter non inserta, effectus huiusmodi statutorum et ordinationum nostrarum, omniumque et singulorum contentorum in eisdem litteris, valeat quomodolibet impediri, et de quibus quorumcumque totis tenoribus plenam et expressam oporteat in nostris litteris fieri mentionem.

42. *Praesens privilegium singulis annis in Cap. gen. et semel*

in anno in capitulo cuiusvis monasterii Ordinis, de verbo ad verbum legatur.

Ne autem suprascripta vel aliqua seu aliquod eorumdem in oblivionis lubricum deducantur seu parvipendantur ab aliquo, quinimo ut de ipsis nunc et perpetuis futuris temporibus notitia certior habeatur, eadem auctoritate statuimus, ordinamus et districte iniungimus ut in primo generali Capitulo dicti Ordinis et deinceps singulis annis in eodem Capitulo generali, ac semel quolibet anno in quocumque monasteriorum et locorum conventualium praedicti Ordinis, omnibus monachis eorum in capitulo ad hoc specialiter congregatis, praemissa omnia et singula de verbo ad verbum legantur et etiam publicentur. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrarum voluntatum, constitutionum, statutorum, ordinationum, permissionum, provisionum, inhibitionum, reprobationum, detestationum, abolitionum, revocationum, dispositionum, limitationum et mandatorum infringere, vel ei ausu temerario contrarie. Si quis autem hoc attendere praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum apud Pontem Sorgiae Avenionensis dioecesis quarto idus iulii, pontificatus nostri anno primo.

STATUTA EIUSDEM ANNI.

Anno Domini millesimo trecentesimo tricesimo quinto statuta sunt haec apud Cistercium in Capitulo generali.

1. In primis, gratias agimus cum iucunditate spiritus Patri(s) luminum, qui splendorem propriae maiestatis ostendit in filiis lucis suae, super eo quod vitalis odor nostrae religionis in Dei Ecclesia iugiter proficit et continuum, dante Domino, desuper irriguum suscipit incrementum. Sed novissime hiis diebus copia nobis exsultationis exuberat eo quod divina benignitas suum Ordinem sic respexit quod insignem lucernam operibus sanctitatis dominum nostrum Summum Pontificem nostri alumnum Ordinis, illuminationem totius domus suae, voluit eligi et super candelabrum sanctae matris Ecclesiae ineffabili providentia collocare. Cum itaque in felici promotione huiusmodi totum Ordinem sublimatum noscamus, devotis precibus debemus coe-

1335. *Fons unicus* : P^9.

lestem implorare potentiam, ut ipsum in suis actibus sic dignetur dirigere quod, sedata malignorum turbinum tempestate, Ecclesia sub suo laudabili remigio pacatae quietis consolatione respiret, et sicut multiplicavit oneris pondera, dilatet et amplificet in eo in dierum longitudine virtutum pariter incrementa. Hac igitur consideratione permotum Capitulum digne ducit et rationabiliter ordinandum quod in omnibus missis Ordinis conventualibus et privatis, in omnibus monasteriis monachorum et monialium, collecta pro romano Pontifice specialiter ordinata, cum ipsius expressione sanctissimi nominis, quamdiu vitae praesentis cursum peregerit, dicatur a singulis sacerdotibus Ordinis universi.

2. Item, cum aequitatis ordo suadeat et consonum rationi existat ut in omnibus, quae communem Ordinis statum respiciunt, uniformitas observetur, et per dominum nostrum Summum Pontificem fuerit ordinatum quod quilibet conventus monasteriorum Ordinis sigillum habeat speciale sub certis clavibus conservandum, ne in sigillis praedictis deformitas habeatur, generale Capitulum statuit et diffinit, quod in omnibus sigillis dictorum conventuum Ordinis, quod sigillum rotundum fabricabitur et de cupro, imago Beatae Virginis, in cuius honore fundata sunt omnia Ordinis monasteria, imprimetur.

3. Item, cum anno praeterito fuerit sub certis poenis inhibitum quod moniales Ordinis in suis monasteriis Mendicantes non recipiant, nisi per modum in eadem diffinitione contentum, quod quaedam moniales Ordinis in suae salutis dispendium observare minime voluerunt, generale Capitulum diffinitionem praedictam ratificat, approbat et confirmat, praecipiens patribus earumdem quatinus diffinitionem praefatam faciant strictius observari, poenas taxatas delinquentibus imponendo, et rebelles in huiusmodi severitate debita puniendo.

4. Item, cum sanctissimus pater et dominus Summus Pontifex cupiens ferventibus desideriis quod Ordinis nostri generosa plantatio utiliter gubernetur, et de bono in melius, opitulante divina clementia, spiritualibus et temporalibus proficiat incrementis, quasdam ordinationes et statuta salubria ad decorem sui Ordinis necessaria et honesta statuerit in praesenti Capitulo ea devotione qua convenit publicata, generale Capitulum ordinat, statuit et diffinit, abbatibus Ordinis universi strictius iniungendo, quatinus praedictas ordinationes tam humiliter quam devote recipiant, in seipsis observent et a suis subditis monachis et conversis invio-

labiliter faciant observari, poenas taxatas delinquentibus imponendo. Abbates vero infra trium mensium spatium ordinationis copiam procurare postergatis omnibus non omittant.

5. Item, cum iuxta ordinationem domini nostri Summi Pontificis generale Capitulum magistrum Ioannem de Caricampo apud Montempessulanum et magistrum Guillelmum de Populeto apud Tolosam lectores decreverit determinandos, abbatibus de Vallemagna et de Grandisilva praecipit et iniungit quatinus eosdem magistros gratiose recipiant et pertractent eisque omni excusatione postposita annuam pensionem iuxta ordinationem praedictam, statuto termino solvere non omittant; quod si fuerint negligentes, magistro de Bolbona praecepit Capitulum et committit quod eosdem abbates per censuram Ordinis ad huiusmodi coerceat et compellat, et magistros praedictos si renuerint obedire.

6. Item, contributionem viginti quatuor mille librarum turonensium in Ordine necessario faciendam pro expensis et servitiis factis in romana Curia, per dominos Cistercii, Firmitatis, Claraevallis et Morimundi in visitatione domini Summi Pontificis persolvendis, et aliis negotiis necessario pertractandis, domino Cisterciensi et quatuor primis committit Capitulum ut assumptis secum Diffinitoribus quos voluerint retinere, contributionem statuant, terminos imponant, poenas ordinent, atque taxent in plenaria Ordinis potestate.

7. Item, cum dominus Cisterciensis, domini de Firmitate, de Claravalle et de Morimundo abbates et abbas Altaecumbae pro expensis et servitiis factis in romana Curia ratione et nomine totius Ordinis tredecim millia florenorum mutuo receperint et se obligaverint et sua monasteria modo quo fieri potuit fortiori creditoribus memoratis, generale Capitulum contractum praedictum cum suis conditionibus ibidem appositis, ratificat et confirmat, et promittit eosdem a damnis (et) omnibus, si quae incurrerent, ob defectum solutionis huius, totaliter relevare.

8. Item, reformationem et renovationem *Libelli diffinitionum* Ordinis in quo plurima sunt diffusa, magistro de Bolbona committit Capitulum, qui advocato uno abbate quem secum voluerit evocare, dictum *Libellum* corrigat, renovet et reformet, prout viderit rationabile in plenaria Ordinis potestate. Tunc *Libellus* erit legendus.

9. Item, oppressionem matris nostrae Cistercii prae com-

passionis oculo prospiciens Capitulum et attendens, ob reverentiam sanctissimi patris nostri, domini nostri Summi Pontificis, qui super hoc generale Capitulum cohortando rogaverit, dominique Cistercii, cui omnes compatiuntur ex corde et caritate sincerissima reverentur, relevationem et allevationem dicti Cisterciensis monasterii quatuor primis committit Capitulum ut eiusdem monasterii necessitate pensata, pro portione quae eis videbitur, gratiose eidem subveniant de communibus bonis Ordinis prout opportunum viderint, in plenaria Ordinis potestate.

10. Item, [ad] generalis Capituli quorumdam insinuatione pervenit auditum quod nonnulli monachi et conversi Ordinis damnabili cupiditate et avaritia, quae censetur esse idolorum servitus, timore Dei postposito, suaeque salutis immemores, personas saeculares et potentes adeunt et requirunt ut per eos vel eorum potentiam officia in propriis domibus obtineant, in praeiudicium Ordinis et scandalum plurimorum ; eapropter generale Capitulum tantae temeritati obviare cupiens, et ut posteris tollatur audacia consimilia faciendi, deliberatione provida, ordinat et diffinit quod quaecumque persona Ordinis, monachus aut conversus, quodvis officium sibi dari procuraverit, clam vel palam, per quascumque personas saeculares vel ad hoc conatus fuerit ut praedicti saeculares de dispositione vel regimine monasteriorum destitutione aut institutione officialium se quomodolibet intromittant, ad omnia Ordinis officia intus et extra monasteria perpetuo inhabilis habeatur, diffinitione contra tales edita cum poenis appositis in suo robore permanente; illos autem monachos et conversos qui iam modo quo supra suae domus officia sunt adepti, non obstante quod in ipsis officiis per proprios abbates positi fuerint, a suis officiis deponit in instanti generale Capitulum, nisi per eiusdem Capituli licentiam quodvis officium habituri.

11. Item, advertens et sincera devotione generale Capitulum considerans quod in monasteriis monachorum, quod dolendo refertur, frequenter ex priorum absentia et discursu multiplici regularis observatio et divini cultus continuatio diminuitur, dissolutio vero et insolentia inter claustrales et maxime iuvenes, quibus prae ceteris necessaria lima correctionis fore dignoscitur, generatur, generale Capitulum ordinat et diffinit districtius inhibendo ne aliquis prior fungens officio nullum aliud extra monasterium exsequatur, infra vero monasterium cum prioratu, ex-

ceptis bursario et portario, poterit, si necesse fuerit, occupari.

12. Item, cum generali Capitulo delatum fuerit quod supervenientes monachi non scolares, scolaribus Sancti Bernardi Parisius eorum substantiam devastando damnum multiplex referant et gravamen, generale Capitulum ordinat et diffinit cellerario dictae domus strictius inhibendo ne cuiquam taliter supervenientium quidquam de scolarium substantia ministrare audeat vel praesumat, nisi sibi de expensis suis satisfaciant indilate.

13. Item, cum in constitutione sanctissimi patris domini Summi Pontificis inter cetera pro reparatione studii Sancti Bernardi Parisiensis contineatur quod de cetero pro uno scolari viginti librae turonensium anno quolibet persolventur, ne quis abbatum vel scolarium dictas viginti libras turonensium aliter expendere studeat quam sit per dictum sanctissimum patrem utiliter ordinatum, abbatibus et scolaribus ducit generale Capitulum ipsam constitutionem declarandam taliter quod pro bursa solventur decem librae parisiensium, et residuum scolares pro universis suis necessitatibus obtinebunt, nisi bursas ipsas augmentari contingeret ; quod quidem augmentum de residuo quod superest dictas decem libras scolares infunderent cellerario Sancti Bernardi supradicto.

14. Missae a Capitulo generali ordinatae, videlicet singulis sacerdotibus : de Sancto Spiritus, quatuor ; de Beata Virgine, quatuor ; de Sancta Cruce, tres ; de Requiem, sex missae in singulis dominus Ordinis, videlicet injungendae a cantore : de Spiritu Sancto, una ; de Beata Virgine, tres ; de Sancta Cruce, duae ; de Requiem, duae.

1336

Anno [a] Domini millesimo trecentesimo tricesimo sexto statuta sunt haec apud Cistercium [b] in Capitulo generali.

1. In primis, cum sanctissimus pater et dominus, dominus noster Summus Pontifex, inter cetera suae reformationis Ordinem nostrum salubriter tangentia, statuendum duxerit quod conventus Ordinis de cetero sigillum proprium habeant, non declarando

1336. *Fontes* : P^9 : 1-9 ; *S* : 1-5 ; *W* : 10, 11. [a] *Titulus apud* P^9S.
[b] tempore Cap. gen. : *S*.

qui dictorum sigillorum custodes esse debeant; ut super hoc unitas habeatur in Ordine, generale Capitulum statuit, ordinat et diffinit quod praedictum sigillum ab eisdem personis custodiatur, a quibus et modo simili, idem dominus in reformatione praedictae, pecuniam venditionum statuit conservandam.

2. Item, cum in praeterito [c] Capitulo generali, provida deliberatione, fuerit diffinitum, quod priores [d] fungentes officio, nullum aliud cum ipso exterius nec interius exsequantur, nisi [e] bursae officiis aut portae occupentur cum eodem; attendens Capitulum generale ipsum edictum monialibus etiam convenire, ordinat et diffinit quod praedicta diffinitio ad moniales totaliter se extendat.

3. Item, cum nulla prorsus ordinatio, conventio vel contractus a quibusvis edita nullum firmitatis robur obtinere debeant, sed potius dilui [f] penitus, quae sanctissimi patris ac domini nostri Summi Pontificis ordinationibus seu statutis obviare videntur; et nonnulli Ordinis nostri abbates et conventus, ordinationes et contractus, videlicet super carnibus [g] habendis certis temporibus, eleemosinis, redditibus, victualium qualitate et quantitate, praedictis ordinationibus salubriter edictis, specialiter contradicentes inter se tam usu quam litteris habere dignoscuntur, generale Capitulum provida deliberatione praehabita, universos huiusmodi contractus seu consuetudines in quibuscumque locis Ordinis consistant, revocat penitus et annullat. Et [h] quod dominus Claraevallis hoc anno in suis visitationibus, in praemissis concorditer statuendum decrevit, generale Capitulum ratificat et confirmat.

4. Item, cum sicut generale Capitulum veridico relatu extitit intimatum, quod nonnulli abbates Ordinis reformationes Summi Pontifices perutiles obtinere et conscribi et servari facere negligunt et contemnunt, non solum in Sanctae Sedis irreverentiam, sed in suae salutis dispendium, cum necesse sit ignorantes ruere in offensam; eapropter generale Capitulum duxit salubriter ordinandum, abbatibus, cellerariis et bursariis, sub poena depositionis ab officiis, districtius iniungendo quatinus dictam reformationem celeriter et absque mora, cum ad ipsos praesens diffinitio pervenerit, conscribi faciant et *Libello diffinitionum* seu regulae copulari.

---

[c] nuper praedicto : *P*[9]. [d] seu priorissae : *P*[9]. [e] nec infra : *P*[9]. [f] dirimi : *S*. [g] cameris : *S*. [h] et qualia : *S*.

5. Item, licet ordo monasticus ad hoc incessanter conari debeat, ut in sanctorum continuis laudibus divinam possit promereri gratiam, per quam felici [i] transitu supernis civibus valeant sociari; potissime hoc nobis fieri credimus si beatissimi patris nostri Bernardi, cuius vita pariter et doctrina tota refulget Ecclesia, devotis laudibus insistimus, et ipsius iugi memoria praeconia recolimus; eapropter generale Capitulum perpetuo statuendum duxit edicto domini Cistercii devotis petitionibus annuens quod quotienscumque feriam tertiam cuiuslibet hebdomadae, servitio proprio seu missa propria carere et vacuam esse contigerit, ipso die missa de sancto Bernardo, patrono nostro, in conventu devotissime [j] celebretur de cetero in singulis domibus Ordinis universi.

6. Item, attendens generale Capitulum quod propter varietatem locorum, solventibus contributionum Ordinis assignatorum, si et quando contigerit fieri vexatio maxima cum periculis habetur, praemissis et aliis ingruentibus cupiens generale Capitulum obviare statuit, ordinat et diffinit quod de cetero contributum solvatur apud Cistercium tempore Capituli generalis, certis receptoribus annis singulis ordinandis, secundum domini Papae statuta, quoad annum vero praesentem, de Ioiaco, de Vallelucenti, et de Clarofonte abbates duxit generale Capitulum deliberatione propria ordinandos.

7. Item, dilationem contributionum ab anno [M. CCC.] XX et citra non solutarum hactenus supportatam, non valens generale Capitulum ob causas necessarias amplius sustinere, domino Cisterciensi et quatuor primis, cuilibet in sua generatione, provida deliberatione, duxit generale Capitulum committendum quatinus et ipsi quilibet in generatione sua, personas prudentes et idoneas ordinare studeant festinanter, qui monasteria suae generationis adeant ad expensas Ordinis, et quos non solvisse repererint, ad solvendum moneant et hortentur. Quod si solvere renuerint, abbates per depositionem, monachos per excommunicationem, conventus supponentes, si necesse fuerit, interdicto, in plena Ordinis potestate; et quod inde fecerint seu repererint, sequenti referant Capitulo generali.

8. Item, cum statuta salubria eo sunt salubrius exsequenda quo ad commune magis spectant commodum quam privatum,

[i] feliciter : *P*[9]. [j] devote : *S*.

diffinitiones hactenus editas ut nostri Ordinis moniales ad solvendum certas pensiones contributionum pro rata conventuum compellantur, non compellentibus comminatis, non solventibus vero inflictis et ordinatis poenis, quae tamen in diversis mundi partibus negliguntur. Generale Capitulum, ex certa scientia, approbans, ratificans et confirmans, districte praecipit patribus abbatibus, visitatoribus et commissariis universis, quatinus diffinitiones easdem diligentius observantes, quidquid easdem moniales sibi subiectas rationabiliter debere invenerint, iuxta ordinationes dicti Capituli exigant viriliter et ad solvendum compellant, per depositionem vero abbatissarum, excommunicationem monialium officialium, interdictum conventuum, si protervitas ipsarum hoc exigat vel requirat. Qui si in hoc fuerint negligentes, quamdiu ipsa negligentia duraverit, suspensi maneant a divinis. Quicumque vero patres abbates seu visitatores aliquid deinceps receperint, vel receperunt hactenus ab anno Domini M.CCC.XXVI de contibutis monialium memoratis, nisi integre persolverint in sequenti Capitulo generali, et deinceps singulis annis receptoribus contributionum ordinatis vel ordinandis, excommunicationis sententiam ipso facto incurrant. Poena consimili involvantur abbatissae vel priorissae conventuales, et cellerariae atque bursariae, quae patribus abbatibus et visitatoribus plene et integre de proventibus et redditibus *renuerint*, in visitationibus, computare.

9. Item, quoniam indebite nomen sibi vindicat cenobita qui per saeculum vel domos religiosorum assidue et communiter evagatur, et sit fraudulatus et nequam qui suum satagit monasterium defraudare, ad generalis Capituli perducto notitiam cum clamore, quod Ioannes David, quondam abbas Silvaelatae, qui suo nuper cessit regimini, metu poenae, iam tribus mensibus absque professione huc illucque evagatur, se gerens temerarie pro abbate, insuper falsis utens procuratoriis conatus est locis diversis, grandem recipere mutuo pecuniae quantitatem, suique regiminis tempore multa dicitur gravia commisisse ; abbatibus de Bellapertica et de Gimundo vel eorum alteri committit generale Capitulum ut de praedictis omnibus, vocato dicto Ioanne, inquirant diligentius veritatem, et si culpabilem ipsum invenerint, per incarcerationem vel alias ipsum puniant, sic quod alias deinceps talia non committat, et si forte talia non appareant omnia esse vera nihilominus ipsum compellant ad profitendum abbati ali-

cui, et vitam monasterii exercendam; alias ipsum decernant fugitivum Ordinis et rebellem, et tamquam excommunicatum faciant ab omnibus evitari.

10. Petitio abbatis de Valle Sanctae Mariae, qui petit ut pro utilitate monasterii sui et solutione debitorum possit vendere pensiones ad vitam, seu redditus minus utiles et parvas possessiones, exauditur et dentur abbates vicini de Riddagshusen et de Bezingerode [1], qui personaliter accedant, faciant et referant.

11. Abbates de Lutzela, de Ebrach et de Eberbach ceterique abbates Germaniae in Capitulo generali constituti adhortantur coabbates de Porta, Cella, Lubens ceterorumque monasteriorum Ordinis Cisterciensis, ut octava post festum Martini episcopi in urbe Frankenfurt conveniant.

1337

Anno [a] Domini millesimo trecentesimo tricesimo septimo statuta sunt haec apud Cistercium [b] in Capitulo generali.

1. In primis, cum a generali Capitulo dudum fuerit ad laudem gloriosae Virginis diffinitum, quod loco antiphonae *Sancta Dei Genitrix, Regina coeli laetare,* Resurrectionis tempore decantetur; hinc est quod idem Capitulum ea quae ipsius dignis laudibus conveniunt, quibus potest devotionis affectibus cupiens ampliare, duxit non improvide statuendum quod praedicto tempore, diebus festivis et ferialibus, dicta antiphona in Vesperis per universum Ordinem [c] decantetur.

2. Item, ad audientiam generalis Capituli plurimorum relatione pervenit, quod quidam abbates et monachi, suae salutis immemores, statutaque domini nostri Summi Pontificis contemnentes, extra loca ab [d] Ordine deputata, in locis monasteriorum monialium Ordinis, et extra alia loca carnes comedere damnabiliter non verentur. Eapropter generale Capitulum tantis nefandis excessibus salubriter obviare cupiens, ordinat, statuit et diffinit quod quicumque in talibus fuerit deprehensus [e], notorie vel suf-

1337. *Fontes*: P^9: 1-11; *S*: 2-4, 7, 8; *V*: 1, 4, 7, 9, 12; *W*: 1, 4, 7, 9, 12, 13. [a] *Titulus apud* P^9SV. [b] tempore Cap. gen.: *SV*. [c] orbem: P^9. [d] *ad* Ordinem: *S*. [e] reprehensus: P^9.

[1]) Seu Marienrode, i. e. Novale S. Mariae.

ficienter convictus, poena a domino nostro Summo Pontifice constituta indispensabiliter percellatur.

3. Item, cum a prima fundatione nostri Ordinis, non improvide fuerit institutum, quod omnes abbates nostri Ordinis statutis temporibus venire ad generale Capitulum tenebantur, quodque dominus noster Summus Pontifex cupiens unitatem Ordinis observare, hoc idem statuerit in suis statutis, certas poenas non venientibus et se non legitime excusantibus imponendo, plurimique abbates Ordinis statuta papalia contemnentes, venire suis temporibus negligunt et contemnunt ; hinc est quod generale Capitulum, tantae transgressionis excessus nolens relinquere aliqualiter incorrectos domino Cisterciensi et quatuor primis, cuilibet in sua generatione, committit et praecipit quatinus per se vel per alium seu alios viros providos et discretos diligenter inquirant, quibus temporibus et annis abbates suae generationis consueverunt, et tenentur venire, iuxta nostri Ordinis antiqua instituta, et ad sciendam plenius veritatem, dictos abbates et conventus ad iurandum super hoc veritatem dicere auctoritate Capituli, studeant, si necesse viderint [f], coercere, et prout repererint, Capitulo generali referre clare et lucide in scriptura authentica non postponant, ut, habita informatione plenaria, ad generale Capitulum non venientes nec se rationabiliter excusantes, punire valeat iuxta domini nostri Summi Pontificis instituta.

4. Item, cum quidam monachi Ordinis et conversi per saeculum, propriae salutis obliti, et disciplinae puritatis monasticae profugata, damnabiliter evagantur in scandalum Ordinis et detrimentum [g] monasticae honestatis, generale Capitulum omnibus abbatibus Ordinis praecipit et committit quatinus dictos apostatas et fugitivos sic per saeculum evagantes ad expensas abbatum propriorum capiant, et captos detineant strictissimis vinculis alligatos, quousque propriis abbatibus eosdem reddere valeant, ad expensas ipsorum ad quarum solutionem dictos abbates obligat rationabiliter Capitulum et astringit ; abbatibus autem Ordinis universi generale Capitulum duxit districtius inhibendum ne de cetero ad cuiusvis intercessionis instantiam, pro quocumque monacho apostata, ad Ordinem redeunte super dispensatione

---

[f] fuerit : *S.* [g] *deest P*[9].

aliqua facienda cum eis per Capitulum praesumat aliqualiter supplicare.

5. Item, cum frater Ioannes de Machia, monachus Morimundi, per saeculum damnabiliter evagetur, se gerens pro episcopo, et episcopalis dignitatis exercens officium, ut dicitur, victum sibi in Ordinis confusionem et scandalum et episcopalis excellentiae opprobrium taliter mendicando, prout per dominum nostrum Summum Pontificem generali Capitulo extitit nuntiatum ; eapropter generale Capitulum volens et cupiens ipsius tantae temeritatis proterviam quibus potest remediis refrenare, omnibus abbatibus Ordinis praecipit et committit quatinus ipsum cum diligentia, quilibet in sua provincia, perquirere studeat, et inventum capere, et captum ad expensas Ordinis domino nostro Summo Pontifici destinare, vocato ad hoc, si necesse fuerit, auxilio brachii saecularis. Et hoc idem de fratre Ioanne, qui se gerit pro abbate Sancti Sebastiani prope Urbem, seque facit Sedis Apostolicae nuntium, cum realiter non existat, per mundi partes varias discurrendo, et a pluribus personis Ordinis et aliis pecuniam miserabiliter extorquendo, universi Ordinis abbatibus, ut expressum est superius, praecipit et iniungit.

6. Item, contributionem moderatam in Ordine faciendam pro debitis in romana Curia et alibi persolvendis, et negotiis et agendis Ordinis necessario procurandis, Capitulum domino Cisterciensi et quatuor primis et ceteris Diffinitoribus, ut statuant, et terminos solutionis imponant, poenas taxatas et cetera faciant quae expedire viderint huiusmodi in plena Ordinis potestate.

7. Item, cum propter personarum in Ordine a retroacto tempore receptarum insufficientiam, Ordo ipse sicut experientia docuit, multipliciter tam in temporalibus quam in spiritualibus hiis diebus sustineat, proh ! dolor detrimentum, divinumque servitium, quod nullatenus sustinendum est, ab [h] huiusmdi personis minus idoneis et ineptis, minus competentibus quam deceat, persolvatur ; nec etiam debeat ad sacrificium Domini aliquid deforme seu maculosum quomodolibet applicari, ne tantus defectus in Ordine de cetero pullulet seu succrescat, qui a suae fundationis tempore, honestas et laudabiles personas recipere consuevit, generale Capitulum omnibus abbatibus Ordinis duxit districtius

[h] ob huiusm. personas... : *VW*.

inhibendum ne personam aliquam quae cantare aut legere in grammaticalibus competenter imbuta nesciverit, aut notabilem maculam in suo corpore habuerit, ad habitum regularem recipere audeant seu praesumant. Qui vero contra fecerint, per patres abbates taliter et irremissibiliter puniantur, modo quo expedire viderint, quod ceteris transeat in terrorem. Monachi vero qui receptioni talium consenserint, si officiales fuerint, a suis officiis deponantur, si autem claustrales et absque officiis extiterint, per tres menses continuos ultimi omnium collocentur.

8. Item, et quoniam solent nonnunquam monachi, prout generali Capitulo fuit veraciter intimatum, personas propter sui insufficientiam emissas iuxta statuta papalia, carnalitatis seu proximitatis vel alio vitio damnabiliter allecti fovere et apud saecularium potentiam procurare fraudulenter, ut talibus de bonis monasterii a quo eiiciuntur sit provisum, quod in ipsorum monasteriorum incommodum fore dignoscitur, generale Capitulum, tantae temeritatis audaciam refrenare et utilitati monasteriorum providere cupiens, statuit, ordinat et diffinit, quod quicumque monachus praedicta quomodolibet procurare seu facere repertus fuerit, ac super hoc notabiliter suspectus habebitur, per annum inhabilis sit ad quaevis Ordinis officia, et per tres menses, ut praemittitur, ultimus omnium collocetur, praesertim cum talis sit apostolicae reformationis salubriter super hoc editae evidentissimus contemptor. Et hoc idem statuit generale Capitulum de conversis.

9. Item, attendens generale Capitulum, et oculo compassionis intuens multarum monialium nostri Ordinis paupertatem, decervit cum eis misericorditer agere quantum potest. Unde et ipsis omnibus cuiuscumque generationis existant, omnes contributiones eis impositas a toto retroacto tempore cum poenis appositis, si quas ob defectum solutionis incurrerint, sententias remittit eis generale Capitulum, diffinitione anno praeterito super hoc edita in suo robore perdurante. Solutionem autem contributionum anni [M.CCC.] XXXV [i] etiam excipit Capitulum generale, de [j] cetero vero ad solutionem contributionum tenebuntur. Abbates autem qui dictas contributiones recipere debuerunt et Ordini solvere, si propter [k] solutionis defectum aliquam forsan

[i] XXV : *P*[9]. [j] de isto toto : *VW*. [k] preter : *W*.

sententiam incurrerunt, etiam cum eis dispensat misericorditer Capitulum generale.

10. Item, quoniam nonnulli et quamplurimi contributiones eis impositas solvere neglexerint, ex quorum neglectu totus Ordo damnum multiplex incurrisse dignoscitur factis debitis usurariis obligatus, ut a dicto damno et usurarum opprobrio, prout erit possibile, relevare valeat, et hii qui bene solverunt merito contentare, universis abbatibus in praesenti generali Capitulo congregatis praecipit idem Capitulum districtius et iniungit quatinus summas contributionum in quibus Ordini sunt affecti, antequam de ipso generali Capitulo discedant receptoribus Ordinis solvere non omittant; alioquin ipsos auctoritate Summi Pontificis ex nunc prout tunc excommunicat Capitulum generale. Quod si huius excommunicationis sententiam indurato animo usque ad instans dominicae Resurrectionis festum sustinuerint, ipsos etiam ex nunc prout tunc depositos pronuntiat generale Capitulum, et ad electionem novi abbatis procedere poterunt conventus eorumdem. Absentes vero abbates qui etiam non solverunt, nisi infra praenominatum festum satisfecerint, praedictis excommunicationis et depositionis sententiis pariter vult et ordinat generale Capitulum totaliter subiacere. Bursarii autem et cellerarii sint ab officiis depositi, nullum nisi per generale Capitulum officium habituri.

11. Item, cum nonnulli abbates Ordinis aliqua in salubri reformatione sanctissimi patris nostri Summi Pontificis contenta adducunt in dubium, et illa petierunt declarari, illiusque est interpretari cuius est condere, generale Capitulum ordinat et diffinit quod illi abbates qui super certis articulis declarationem habere cupiunt, illos articulos mittere studeant infra Pascha ut talibus dubiis pariterque congregatis ad Summum Pontificem destinentur.

12. Item, petitio illustris ac magnifici principis domini ducis Austriae, quod abbatia Vallis Dei iuxta Ybsam per dominum Eberhardum de Waltse vasallum suum noviter fundata et Ordini incorporata, abbati et conventui monasterii Hylariensis subiiciatur, habeatque dictus abbas iurisdictionem ordinariam in eadem, ob sui reverentiam, exauditur.

13. Henricus de Amelungesborne, Ioannes in Valle Sanctae Mariae, Thidericus in Riddagshusen, Ioannes in Novali Sanctae Mariae abbates referunt Capitulo generali: venditio curiae in

Brunswik abbati de Valle Sanctae Mariae non solum propter debita minoranda expediebat, sed etiam quia modicum commodi propter nimiam distantiam ei afferebat.

1338

Anno [a] Domini millesimo trecentesimo tricesimo octavo statuta sunt haec apud Cistercium [b] in Capitulo generali.

1. In primis, cum circa reformationem Parisiensis studii, eo ferventius valeamus intendere quo scimus, novimus et experimento didicimus utilitatis, commodi et honoris continua incrementa nostro Ordini provenire ; eapropter generale Capitulum ad reformationem eiusdem infrascripta duxit non improvide statuendum :

In primis, districtius inhibet Capitulum ne aliquis scolaris in castro iuxta structuram [c] novae ecclesiae audeat pernoctare, nisi per priorem magistrum actu regentem et baccallarios cum aliquo fuerit dispensatum.

Ne aliquis mulieres, pro evitandis scandalis, in[tro]ducere in dictis locis aliqualiter audeat vel praesumat ; qui aliter fecerit, eo ipso a dicto studio emittatur.

Ordinat etiam Capitulum quod scolaris quilibet decem libras parisiensium studeat imbursare termino constituto ; qui minus posuerit, nihil eidem de communi ministretur substantia, quoadusque studuerit ex integro solvere residuum de summa superius annotata.

Nec alicui tarde venienti de summa praedicta aliquid defalquatur, cum expresse obtinet papalibus institutis.

Ne praesumat aliquis abbas monachum proprium scolarem procura[to]re[m] constituere de cetero quovismodo, cum ob huiusmodi procurationes possint ad loca inhonesta in Ordinis scandalum declinare.

Nec alicui scolari ante finem bursae de studio recedenti bursarius aliquid refundere teneatur, nisi de sui recessus causa legitima et necessaria fecerit plenam fidem.

1338. *Fontes* : *P*[9] : 1-11 ; *S* : 2, 7, 8, 10 ; *V* : 2, 7, 8, 11, 12 ; *W* : 2, 7, 8, 11-13. [a] *Titulus apud P*[9]*SV*. [b] tempore Cap. gen. : *SV*. [c] fracturam *P*[9].

Scolaris vero, in festo sancti Remigii, solum mediam ponens bursam, si post Pascha manere voluerit, ultra reliquam bursam mediam, quadraginta solidos parisiensium etiam solvere teneatur ; alioquin de studio expellatur. Scolaribus autem qui se hora prandii sive cenae praesumpserint absentare, nihil de bonis communibus ministretur, nisi in ipso studio praesens fuerit dictis horis.

2. Item, ut monasteriorum temporalis [d] substantia fidelius conservetur, generale Capitulum statuit et diffinit quod monachi et conversi, cum mittentur ad messes vel redditus recuperandos, aut aliqua quaevis [e] domus negotia [f] exercenda, iurare solemniter teneantur quod domus substantiam custodient et recuperabunt fideliter et alia iniuncta negotia tam sollicite quam utiliter promovebunt [g].

3. Item, cum scolares studii parisiensis excellentissimo principi domino regi Francorum et serenissimae consorti eius, unam missam in conventu singulis annis, et aliam privatim singulis diebus perpetuo concesserint decantandas, petantque concessionem praedictam per Capitulum confirmari, ob praefatorum regis et reginae reverentiam, quibus totus Ordo plenis desideriis complacere desiderat, generale Capitulum comprobat, ratificat et confirmat.

4. Item, diffinitionem anno praeterito editam contra abbates qui contributiones Ordinis non solverunt terminis constitutis, generale Capitulum ratificat, et ad evitandum scandalorum materiam, sic declarat eamdem : Quod, licet in ea caveatur expresse quod non solventes terminis institutis habeantur pro depositis, et conventus ad electionem successorum procedant, non est tamen intentionis generalis Capituli quod ob huiusmodi aliquis abbas reputetur depositus quousque per superiorem abbatem vel commissarium depositus fuerit nuntiatus. Patribus autem abbatibus et commissariis eorumdem, in virtute sanctae obedientiae, praecipit Capitulum et committit quatinus de non solventibus inquirant in suis visitationibus, diligentia qua convenit, veritatem, et quos repererint non solvisse, depositos denuntiare studeant, iuxta tenorem diffinitionis praedictae, et ad huiusmodi plenius et melius exsequendum, patres abbates commissarios

---

[d] *deest VW.* [e] cuiusvis : *P*[9]. [f] necessaria : *VW.* [g] promoveant : *VW.*

eorumdem vinculis iuramenti ligare efficaciter studeant quod ad complendum praedicta, reiecto cuiuscumque dissimulationis obstaculo, intendent fideliter et efficaciter laborabunt. Abbates autem noviter constituti, nisi infra sequens generale Capitulum dictas contributiones ex integro solverint, aut iuxta facultatum exigentiam de eisdem cum personis ad hoc deputatis ascellare studuerint eisdem sententiis et poenis denuntiat Capitulum alligatos et conventus praestantes impedimentum, ne solvantur contributiones huiusmodi, supponit ecclesiastico interdicto, quoadusque de praedictis generali Capitulo extiterit satisfactum.

5. Item, ad audientiam Capituli generalis pervenit quod quidam abbates in praeiudicium statutorum papalium, quibusdam cautelis et coloribus acquisitis ligna et silvas non caeduas, quae in propria specie non valent vendere, eisdem ad expensas scindunt proprias pecias pro construendis doliis fabricantis, et eas credunt sibi vendere fore absque poena periurii in alienas iam species mutatas. Ne igitur subditorum animae nube erroris elidictae, sub tali simulationis passionis vinculo periurii damnabiliter alligentur, generale Capitulum statuit strictius inhibendum ne de cetero tales venditiones praesumant facere, nisi cum solemnitate in statutis papalibus constituta, si poenam in eisdem statutam voluerint evitare.

6. Item, cum Ordo noster sit in romana Curia et in nundinis Campaniae et alibi multipliciter obligatus, adeo quod contributio anni praeteriti non poterit ad solvendum sufficere, sed timetur potius ne propter expensas factas et faciendas oporteat iterum Ordinem graviter obligari. Eapropter generale Capitulum domino Cisterciensi et quatuor primis committit et concedit plenariam potestatem quod si et prout pensatis Ordinis necessitatibus viderint oportere, mutuum possint contrahere nomine Ordinis, et si se obligaverint ipsos, Ordo indemnes servare tenebitur in omnibus et ab expensis et gravaminibus relevare, diffinitione anno praeterito super hoc edita in suo robore perdurante.

7. Item, ad generalis Capituli per plurimorum [h] fide dignorum relatum pervenit audientiam, quod nonnullae nostri Ordinis moniales, quae violato continentiae voto, et propter partum exinde consequentem, publicam egerunt poenitentiam, per magnorum preces saecularium irreverenter nituntur ad gradum sui ordinis,

---

[h] *deest P*[9].

a quo pro huiusmodi delicto merito ceciderunt, reascendere, super [i] eas quae decorate, religiose semper vivere studuerunt, superbe praeesse, generale Capitulum huiusmodi incontinentiae vitio quam potest remedium adhibere, et superbarum religiosarum temeritati occurrere cupiens et affectans, statuit, ordinat et diffinit quod de cetero nulla monialis, quae propter incontinentiae suae vitium, publicam egerit poenitentiam et gradum ordinis, si propter hoc amiserit, alium assequatur gradum, sed semper illum in quo punita fuit permaneat, nec etiam ad aliquos actus legitimos admittatur, nisi dumtaxat de speciali licentia Capituli generalis. Istam autem diffinitionem ad monachos et conversos Ordinis qui propter huiusmodi carnis contagia sufficienter convicti, consimilem egerint poenitentiam totaliter [j] vult extendi Capitulum generale.

8. Item, attendens et diligenter considerans generale Capitulum quod ex longa pastoris absentia, grex sibi commissus nonnumquam luporum patet dentibus, et sui multiplex suscipit detrimentum ; eapropter generale Capitulum abbatibus omnibus Ordinis quibus incumbit ex officio sibi commisso gregi vacare nocte dieque diligenter, duxit districtius inhibendum ne abbates ipsi continuam moram [k] in quavis sui monasterii grangia, seu mansionem suam, suo neglecto conventu, facere audeant vel praesumant.

9. Item, cum frater Ioannes de Vitriaco, monachus monasterii Sancti Bernardi in Frisia [l], qui diu et damnabiliter evagetur per saeculum, in Ordinis scandalum et salutis propriae detrimentum, eapropter Capitulum generale proprio abbati suo necnon et ceteris personis omnibus Ordinis universi praecipit et iniungit quatinus dictum fugitivum capiant, seu capi faciant ubicumque repertus fuerit, in expensis sui antedicti monasterii, invocato ad hoc, si necesse fuerit, auxilio brachii saecularis, et captum firmis[si]mo carceri mancipari.

10. Item, cum nonnulli abbates Ordinis praesenti Capitulo commissarios sibi dari postulaverint, quibus mediantibus possint de suis silvis non caeduis vendere, terras, possessiones, redditus et proventus in emphyteosi dare vel etiam permutare, ut super his omnibus veritas [m] clarior habeatur, praefatis commis-

[i] super eas... studuerunt : *deest VW*. [j] corporaliter : *P*[9]. [k] horam : *P*[9].
[l] Prinia : *P*[9]. [m] unitas : *S*.

sariis generale Capitulum praecipit districtius et iniungit quatinus anno futuro de praedictis omnibus quid, quale et quantum vendendum, distrahendum seu permutandum fuerit, referant veritatem.

11. Item, reformatio et renovatio *Libelli diffinitionum* Ordinis abbatibus de Altacumba et de Cassania committitur, quatinus *Libello* veteri diligenter inspecto et annalibus, ipsum renovent et reforment secundum quod eis rationabiliter visum fuerit faciendum, salvis tamen in omnibus papalibus institutis, et quid inde fecerint, referant sequenti Capitulo generali. Interim autem debebunt abbates uti *Libello* veteri praedicto et annalibus, quem quidem *Libellum* vult generale Capitulum usque ad tempus praedictum cum annalibus, diffinitionibus, in suo robore permanere.

12. Item, cum abbatia Pontitheofridi apud Metim civitatem adeo redditus habeat, quod vix abbas et unus monachus possent de eiusdem substantia commode sustentari, eapropter generale Capitulum ad honorem divini nominis animarumque salutem et religionis monasticae honestatem, ad devotionem fidelium futuri temporis, ad augendum studium Metense nostri Ordinis, unit et incorporat praedictam abbatiam perpetuo, domino Morimundi suisque successoribus instituendi ibidem abbatem in capitulo Morimundi, quotiens necessarium fuerit, de suorum tamen consilio seniorum, tenore praesentium auctoritatem tribuit, quoadusque dictum monasterium, divino suffragante munere, tantum in facultatibus excreverit, quod possit habere numerum duodecim monachorum ; abbatibus de Campo, de Lucella, de Ebra[co], de Sancta Cruce in Austria, praecipiens committendo, quatinus filios suos mediatos et immediatos per censuram Ordinis compellere studeant ad mittendos monachos ad studium memoratum. Ut autem dictum studium continuis proficiat incrementis, ordinat Capitulum quod in libertatibus aliis studiis concessis gaudeat et studentes ad observantiam statutotum aliorum studiorum cum suis articulis sicut ceteri per omnia astringantur.

13. Quoniam secundum statuta Ordinis nullus conversus a tempore, quo petitionem fecit in capitulo monachorum, monachus fieri debeat, auctoritate Capituli generalis praecipitur ut frater Lambertus quondam conversus Caroliloci, deposito habitu monachi infra quindecim dies a Cistercio eiiciatur vel emittatur. Si vero digne postea poenituerit, iterato recipiatur in conversum.

1339

Anno [a] Domini millesimo trecentesimo tricesimo nono statuta sunt haec apud Cistercium [b] in Capitulo generali.

1. In primis, cum [c] Deo dicatae virgines a virorum consortio et cohabitatione esse debeant penitus alienae, eapropter generale Capitulum omnibus [d] abbatissis et monialibus Ordinis duxit strictius inhibendum, ne domicellos famulos, seu etiam saeculares capellanos in suis cameris detinere praesumant post Completorium in ecclesia decantatum. Quae contrarium fecerit, abbatissa eo ipso per mensem ingressum ecclesiae sibi noverit interdictum ; quod si consueta [e] fuerit, per patrem abbatem vel eius commissarium, deponatur [f]. Moniales autem pro vice qualibet tribus diebus, uno eorum in pane et aqua, indispensabiliter faciet levem culpam.

2. Item, ad audientiam generalis Capituli pervenit quod quidam monachi Ordinis fugitivi, dum ad Ordinem redire cupiunt, vadunt ad Curiam prius, et per poenitentiarios domini Summi Pontificis, ut disciplinam Ordinis effugiant, faciunt sibi reddi habitum regularem, dicentes et asserentes ad peragendas poenitentias super hoc institutas ab Ordine obligari nullatenus aut teneri. Eapropter generale Capitulum ne tales de sua malitia [g] valeant commodum reportare, omnibus abbatibus Ordinis districtius praecipit et iniungit quatinus tales apostatas sic ad Ordinem redeuntes, vix salva Ordinis disciplina, recipiant, et regulari habitu per tempus statutum ab Ordine privare studeant, restitutione huiusmodi non obstante, nisi constiterit evidenter quod de voluntate et expressa conscientia [h] domini nostri Summi Pontificis alicui redeunti fuerit restitutus.

3. Item, cum prout relatum fuerit generali Capitulo, quidam monachi ad partes Hungariae et partes alias extraneas et remotas, missi pro culpa seu crimine, cuius post peractam poenitentiam infamia non deletur, in abbates inibi [i] se procurant, sive [j] iure sive iniuria, promoveri ; generale Capitulum, cupiens tan-

---

1339. *Fontes* : *P*⁹ : 1-13 ; *S* : 1-3 ; 10, 11 (partim), 12, 13 ; *VW* : 1, 2, 5, 10, 12. [a] *Titulus apud P⁹ SV.* [b] tempore Cap. gen. : *S.* [c] cum dedicatae : *P⁹.* [d] omnib. abb. : *deest VW.* [e] assueta : *VW.* [f] *hic desin. VW.* [g] nequitia : *VW.* [h] licentia : *VW.* [i] *deest S.* [j] sive iure sive iniuria : *deest S.*

tae temeritatis audaciam efficaciter refrenare, sic iam promotos non abbates esse denuntiat, strictius inhibendo, ne de cetero quisque abbas aliquem sic infamen praesumat in abbatem aliqualiter promovere. Quod si secus fuerit attentatum, promovens sic eo ipso una vice confirmandi vel promovendi potestate sit privatus, talisque promotio, electio, seu provisio ex nunc censetur irrita ipso iure.

4. Item, cum propter defectum abbatum contributiones non solventium, Ordo noster incurrerit multa damna, gravibusque in romana Curia subiaceat debitis usurarum, eapropter generale Capitulum domino Cistercii et quatuor primis committit, ut in singulis provinciis seu regionibus, unum aut duos abbates providos et discretos, auctoritate Capituli ordinent et statuant, qui ad expensas abbatum non solventium, totamque perlustrant provinciam, in singulis domibus Ordinis diligenter studeant inquirere qui abbates ab anno [M. CCC.] XXX citra maxime contributiones Ordinis non solverunt, et abbates et monachos ad veritatem dicendam super huiuscemodi, si necesse fuerit, per propria iuramenta compellere non omittant, et quos repererint non solvisse, nisi bene et idonee caverint de solvendo easdem, eosdem denuntient in sequenti Capitulo generali, depositos auctoritate Capituli generalis ; priores vero, cellerarios, bursarios et officiales ceteros depositos denuntient, nullum deinceps absque dispensatione Capituli officium habituros ; conventus vero si, ne dictae contributiones fuerint persolutae, seu ne solvantur in posterum, clam vel palam, impedierint quovismodo, auctoritate praedicta, sub interdicto ecclesiastico non postponat supponere, quousque praedictae contributiones per eosdem fuerint persolutae. Abbates autem per dominum Cistercii et quatuor primos sic statutos, si praemissam commissionem seu constitutionem adimplere neglexerint, eo ipso se noverint in excommunicationis sententiam incidisse. Ipsis vero abbatibus sub poena eadem, praecipitur quatinus ea quae receperint aut recipi fuerint, clare et lucide sequenti Capitulo ad expensas Ordinis mittere vel deferre non differant collectoribus a dicto Capitulo super hoc deputatis. Dicti vero commissarii, auctoritate praedicta, si quos abbates impotentes omnino ad solvendum contributionum ex integro totas summas, cum eisdem potestatem habeant [eos quittandi] aut tardandi et certos solutionis terminos imponendi. Praecipitur insuper eisdem commissariis quatinus de abbatibus qui

ad Capitulum non venerint, nec se legitime excusaverint, diligenter inquirere studeant, et quos repererint non venisse nec se, ut praemittitur, excusasse, ab eisdem et eorum singulis duplum sumptuum et expensarum quas fecissent veniendo, non omittant exigere ; et si solvere renuerint, sententias in statutis contentas papalibus superius annotatis contra ipsos non negligant promulgare. Postremo, eisdem commissariis praecipit Capitulum iniungendo quatinus modo consimili de abbatibus, qui studentes monachos ad studia non miserunt inquirant et quos invenerint non misisse, duplum bursarum ab eisdem exigant, poenas speciales contra non mittentes latas a domino nostro Summo Pontifice constitutas promulgando. Si quam autem pecuniam habuerint et receperint ob praemissa ab abbatibus supradictis cum contributionum pecunia, cum integritate mittant vel deferant prout superius est annotatum. Abbatibus autem commissariis antedictis conceditur gratiose quatinus abbates, qui super hoc sententiam excommunicationis incurrerint, post solutionem absolvere valeant, auctoritate Capituli, et cum eisdem super aliis misericorditer dispensare.

5. Item, *Libellum diffinitionum* per abbates de Altacumba et de Cassania, auctoritate Capituli compilatum, generale Capitulum approbat et ratificat, statuendo quod in omnibus Ordinis monasteriis habeatur, et firmiter ab omnibus professis Ordinis observetur.

6. Item, cum per sinceritatis et vitae meritum, et sacrae lectionis et praedicationis scolarium Ordinis exercitium continuum venerari ab universis et multifarie decorari consuevit hactenus Ordo noster, potissime Parisius, ubi sacrae theologiae scientia peramplius et perfectius ceteris studiis incomparabiliter exercetur, et ubi de omni natione catholica quae sub coelo est, zelatores copiosius ineffabili divina providentia congregantur ; sed heu, proh dolor ! non sic hiis diebus scolares aliqui de Ordine satagunt se sacris lectionibus et honestis moribus exercere, ut inde redolere et fulgere debeat merito dictus Ordo ; sed incautae dissolutiones et insaniae rabie prorumperunt, aliqui eorum discurrendo per villam de die et de nocte, cum armis in habitu saeculari tam turpiter in pluribus se habentes ibidem quod capti per saecularem iudicem vi armorum et in castelleto Parisius carceri mancipati ac etiam reducti apud Sanctum Bernardum per regis servientes, in grave ipsius Ordinis scandalum, confusionem,

iniuriam et ruborem. Eapropter generale Capitulum cupiens talibus scandalis obviare, provisori ipsius studii Sancti Bernardi, in virtute sanctae obedientiae, praecipit et committit quatinus si et quando scolarem aliquem cognoverit seu audierit de cetero de talibus, ut praemittitur, vel consimilibus per quae posset ipsius fama Ordinis verisimiliter denigrari, aut scandalum aliquod suboriri culpabilem vel diffamatum notabiliter vel suspectum, cum magistri regentis et baccallariorum consilio, ipsum ad propiium monasterium celeriter non differat destinare, causam remissionis ipsius abbati sine pallatione quacumque, per litteras exprimendo, nec tamen praesumat quisquam abbas taliter emissum ad aliquod officium de cetero sine generalis Capituli licentia promovere, quinimo ipsum per incarcerationem vel alias secundum ipsius demerita taliter puniat quod ceteri merito terreantur.

7. Item, insolentias, dissolutiones et novitates indebitas in aliquibus solemnitatibus in Sancto Bernardo a singulis nationibus, in servitiis, in commessationibus, ludis, ineptisque conventiculis, hiis temporibus fieri consuetas ; propter quae maxima insurgunt et verisimiliter possunt insurgere discriminum pericula, enervatio ordinis, disciplina bonumque nomen et profectus studentium minuitur. Abhorrens et detestans Capitulum generale istas novitates ac dissolutiones de cetero fieri prohibet in dicto studio in futurum. Quicumque vero praemissa praesumpserit de cetero attentare a dicto studio totaliter expellatur ; nec eisdem de communis bursae substantia aliquid ulterius ministretur.

8. Item, eamdem poenam sustineant quicumque in quibusdam festivitatibus, in cameris, vel alibi, in dicto studio ludere se[u] alias inordinate se habere, seu c[h]oreas per curias vel iardinos, cum instrumentis musicalibus ducere, aut cum larvis vel armis quandoque habitu superposito saeculari, vel per dormitorium de nocte discurrere et alios inquietare, praesumpserint in futurum. Nullusque scolaris praedicta instrumenta quae religionis puritati contradicunt, sub poenis praedictis audeat de cetero conservare, sub poena superius nominata. Inhibet districtissime idem Capitulum, ne alicui ad Franciam in Sancto Bernardo venienti provideatur per aliquem de camera seu confugio, nisi per provisorem dicti loci et consilium ; personae sufficientiam imeritumque requirat, palam ab omnibus in consilio, auxilio et

colloquio totaliter evitetur, sub poenis antedictis. Nullus etiam ibidem teneat famulum servientem vel scriptorem, nisi pro illo imbursaverit, exceptis baccallariis aut publice legentibus ; alioquin bonis communitatis careat. Quicumque huic salubri statuto noluerit obedire, cellerario dicti studii idem Capitulum praecipit, in virtute sanctae obedientiae, quatinus omni tempore tam hiemali quam aestivo, immediate cantato Completorio, portas dicti loci claudi faciat, ne quisquam praesumat postea saecularem occasione quacumque ibidem retinere.Contrarium facientes, pane, vino et pitantia priventur totaliter una die. Nisi de licentia prioris, in cameris baccallariorum, aliquas personas graves remanere contigerit et honestas, et ad proficiendum apti et magis ad gr[ati]am dispositi, in virtute sanctae obedientiae, generale Capitulum praecipit et inungit ut singuli sacerdotes, in dicto studio residentes, ad minus in quindena confiteri et celebrare, etiam non sacerdotes similiter communicare teneantur. Non facientes evocentur ad consilium semel et secundo ; si non emendaverint, ad capitulum publice convocentur, et de studio tamquam conversationis inhonestae totaliter repellantur. Inhibet nihilominus idem Capitulum quod nullus cuiuscumque conditionis existat, extra refectorium comedat, prout in reformatione ibidem dudum facta per generale Capitulum robur habere vult in perpetuum firmitatis, plenius continetur ; contrarium facientes pane, vino et pitantia priventur pro qualibet vice una die, nisi per provisorem pro actibus scolasticis cum aliquibus aliquando fuerit dispensatum.

9. Item, contributionem viginti quatuor millium librarum turonensium parvorum pro urgentibus debitis Ordinis concurrentibus ad usuras, ac pensionibus et servitiis in romana Curia persolvendis, necnon ad ipsius Ordinis negotia necessario promovenda, generale Capitulum ordinat et imponit a singulis abbatibus Ordinis, medietatem videlicet infra proximae Resurrectionis Domini octavas Avinione aut Parisius sive Metis, certis collectoribus ibidem quoad hoc specialiter deputatis, et aliam medietatem in sequenti Capitulo integraliter persolvendam. Quicumque vero summas sibi impositas solvere neglexerint terminis antedictis, sententiam excommunicationis ipso facto se noverint incurrisse ; quam si per tres menses continuos sustinuerint animo indurato, ex nunc prout ex tunc ipsos deponit Capitulum generale, patribus abbatibus eorumque commissariis dando stric-

tius in mandatis quatinus ipsos denuntient depositos ; conventusque eorum locorum ad futuri pastoris electionem procedere non omittant iuxta continentiam Clementinae ; ita tamen quod quilibet abbas verus reputabitur, donec per patrem abbatem, vel ipsius commissarios, depositus fuerit nuntiatus. Cellerarius vero et bursarii negligentes, ut praemittitur, terminis praenotatis solvere, a suis officiis ex tunc denuntiat depositos idem Capitulum generale, nullum deinceps penitus officium habituros, quousque de ipsa contributione plenarie fuerit satisfactum.

10. Item, quia in electionibus abbatum Ordinis, nonnulli patres abbates eorumque commissarii vias et modos, per quos electorum impedire valeant libertatem, nituntur frequenter ac fraudulenter invenire contra formam Ordinis temere veniendo, propter quod generale Capitulum ordinat et statuit sub poena depositionis, districtius inhibendo, ne contra formam Ordinis a sanctis patribus hactenus observatam, in electionibus faciendis de cetero aliquis praesumat procedere, sed totaliter observare uniformiter studeant continentiam Clementinae, in qua de benignitate Sedis Apostolicae multae solemnitates iuris Ordini de speciali gratia remittuntur.

11. Item, cum ad audientiam generalis Capituli sinistra quaedam delata fuerint de monasterio et personis Beatae Mariae de Pontetrofidi civitatis Metensis, quae cedunt in maximum opprobrium Ordinis et scandalum non modicum plurimorum, nisi celeriter succurretur de remedio opportuno. Eapropter generale Capitulum, praehabita deliberatione diligenti, de Tribus fontibus et de Clarofonte abbatibus praecipit et committit quatinus ad dictum locum personaliter accedentes ipsum diligentia qua poterunt, considerent et inspiciant et prudenter et discrete inquirant, et tam de situatione dicti loci ac de dotatione ipsius, tam de numero personarum commorantium in eodem, necnon et quatinus posset ibidem monachorum numerus cum honestate Ordinis, consideratis etiam ipsius monasterii facultatibus decenter sustentari, ac etiam consimiliter de studio ibidem noviter instituto, et super praemissis cum debitis circumstantiis sequenti Capitulo generali plenam omnino referre studeant veritatem, ad finem quod praedictum Capitulum super hiis ordinare valeat quod rationabile fuerit et honestum. Inhibet [k] nihilominus dic-

---

[k] *hic incip. S.*

tum Capitulum sub poenis per dominum nostrum Summum Pontificem constitutis ne in dictis monasterio et studio carnes ministrentur cuiquam non residenti ibidem continuo de cetero, absque licentia Capituli generalis, salvo tamen iure domini Morimundi quoad hoc in omnibus tam pro se quam associatis eidem ipsiusque commissariis, quando ipsos commissarios dumtaxat ibidem contigerit visitare.

12. Item, miserabili inopiae monialium universi Ordinis generale Capitulum compatiens, ipsas absolvit a solutione contributionum quas in Ordine fieri contigerit, quousque per generale Capitulum aliud fuerit ordinatum.

13. Item, ut via malivolis, quantum potest fieri, praecludatur, universis abbatibus Ordinis inhibet Capitulum generale ne de cetero rotulos vel libellos per homines sive nuntios ignotos traditos vel oblatos praesumant admittere seu procedere contra aliquem quocumque modo occasione eorumdem.

1340

Anno [a] Domini millesimo trecentesimo quadragesimo statuta sunt haec apud Cistercium [b] in Capitulo generali.

1. In primis, gratias Redemptori nostro incessanter referre teneamur, et in Domino sinceriter exhibere, qui Ecclesiam suam et specialiter suam ecclesiam Cisterciensem tam copiose praevenit in benedictionibus dulcedinis, gaudia nostra multiplicans dum eum, quem sua ineffabili providentia in summi cathedra pastoratus locare voluit, post graves corporis aegritudines, pristinae et ampliori sua inoblita clementia reddidit sanitati, prout idem sanctissimus pater et dominus devotis oratoribus suis et humilibus suis filiis universis abbatibus in praesenti Capitulo congregatis insinuare dignatus est, orationes pro eo devotissime postulando. Qua quidem insinuatione non immerito excitatum plus solito, generale Capitulum statuit, ordinat et diffinit quod in singulis domibus Ordinis praeter consueta suffragia, dicantur duae missae, una de Spiritu Sancto et alia de Beata Maria a singulis sacerdotibus Ordinis universi. Et quia etiam instigante

---

1340. *Fontes* : P^9 : 1-15 ; *S* : 5, 6, 8, 10, 13 ; *V* : 2, 7, 10, 15 ; *W* : 2, 7, 10, 15-17. [a] *Titulus apud* P^9SV. [b] tempore Cap. gen. : *S* ; in nostro Cap. gen. : *V*.

humani generis inimico, ingruentibus bellis hiis diebus orbis ebullit universus, ad actorem pacis recurrendum est incessanter ; eapropter idem Capitulum ordinat et diffinit quod isto durante regum [s]c[h]ismate dicatur semel in hebdomada una missa in conventu quae inchoatur : *Da pacem*.

2. Item, insinuatione veridica generali Capitulo extitit intimatum quod nonnullae abbatissae Ordinis conventibus suis sigilla facere et tradere negligunt et renuunt, statuta quoad hoc papalia [c] damnabiliter contemnendo ; ne tanta praesumptio impunita remaneat, patribus abbatibus earumdem generale Capitulum praecipit et committit, quatinus ipsas abbatissas suae visitationis tempore ad tradendum suis conventibus sigilla cogere non omittant ; rebelles, si quae fuerint, per depositionem vel alio modo quo viderint expedire, irremissibiliter puniendo [d].

3. Item, cum reverendus pater dominus cardinalis albus generali Capitulo intimaverit quod in *Libello diffinitionum* nuper approbato [e], nonnulla sunt obscura et quae declaratione indigent, ut videtur ; generale Capitulum ordinat et diffinit quod antiquus *Libellus* cum diffinitionibus annalibus ab omnibus teneatur donec aliud per generale Capitulum tribuatur.

4. Item, diffinitionem anno praeterito editam salubriter contra non solventes contributiones Ordinis, cum suis clausulis omnibus et poenis appositis, ex certa scientia, generale Capitulum revocat et confirmat hoc addendo : et domino Cistercii quatuorque primis, cuilibet in sua generatione committendo quod ipsos certos ac discretos commissarios abbates ordinent, qui ad loca seu monasteria, ad quae priores commissarii nullatenus accesserunt, similiter et quando securior accessus habebitur, in eadem potestate personaliter accedere non omittant, et procedant prout in praefata diffinitione plenius continetur.

5. Item, ad generalis Capituli pervenit audientiam quod nonnulli abbates Ordinis fugitivos suos cum ad obedientiam, inspirante Domino, revertuntur, in visceribus paternae dilectionis nec alias, ut tenentur, recipere renuunt et contemnunt oves eis a Domino creditas, a luporum infernalium dentibus eruere, ut videtur, minime cupientes, licet sint ex ipsis Domino discretam redditüri suo tempore rationem. Quocirca ne propter talium praesidentium duritiam subditos periclitari contingat, et in saeculo

---

[c] principalia : *VW*. [d] puniantur : *VW*. [e] revocato : *P*[9].

damnabiliter ac diutius evagari, abbatibus omnibus Ordinis generale Capitulum districtius praecipit et iniungit, quatinus fugitivos suos, si et cum redierint ad Ordinis unitatem, recipiant et caritative pertractent, salva semper Ordinis disciplina. Quod si facere distulerint usque ad unius mensis terminum, ab officio suspensi maneant, nisi diffinitionem praedictam duxerint ad effectum.

6. Item, cum in statutis papalibus salubriter editis contineatur expresse quod in certis tractatibus per abbates et eorum conventus faciendis, cum sigillis abbatum et suorum conventuum littera authentica apponatur, et nonnulli abbates remotarum regionum in quibus tabelliones valent minime reperiri, declarare postulaverint quibus ipsi authenticis litteris loco tabellionis uti possent, generale Capitulum super hoc duxit salubriter ac universaliter ordinandum quod in tractatibus praedictis poterunt abbates, si voluerint, pro littera authentica, uti sigillo cuiuslibet abbatis Ordinis una cum suis videlicet abbatis et conventus.

7. Item, cum nonnulli abbates Ordinis propter viarum discrimina et alias causas rationabiles, ut creditur, ad Capitulum non venerint, pensata temporis malitia, generale Capitulum misericorditer volens agere cum eisdem, ipsos pro anno praesenti habet totaliter excusatos.

8. Item, cum tales ad Parisiense studium abbates Ordinis mittere teneantur [f], qui adepta scientia et morum disciplina, possint Ordinem illustrare, et simplicem populum documentis salubribus informare, relatuque fide digno didicerit Capitulum generale quod nonnulli abbates ad dictum studium quosdam mittunt, qui et missi et in dicto studio commorantes, nihil aut modicum ibidem proficiunt, sed nunc otio nunc inutilibus et minus licitis evagationibus se adaptant. Eapropter generale Capitulum nolens quod tales loca illorum qui missi ibidem proficere possent tam in scientia quam in omni venustate occupent sine causa, domino Cistercii et quatuor primis cuilibet in generatione sua committit, quatinus abbates qui scolares huiusmodi ad dictum Parisius studium miserint, vel de cetero mittent, possint ad revocationem ipsorum compellere, auctoritate Capituli generalis, audita relatione visitatorum contra huiusmodi otiosos. Si vero abbates praedicti, recepto mandato super hoc a domino Cistercii

[f] causa studii : *S.*

vel aliquo primorum, quilibet prout ad eum pertinebit, scolarem suum non revocaverit [h] immediate, unius bursae pro anno Parisius solvi consuetae mul[c]tetur generali Cisterciensi Capitulo applicandae.

9. Item, cum abbates de Flandria et Brabantia portiones contributionum eis contingentes pro termino praesentis Capituli generalis solvere nequiverint guerrarum turbinibus praepediti, propterea generale Capitulum volens ipsorum, consideratis afflictionibus et damnis misericorditer agere cum eisdem, praedictum terminum ipsis usque ad instans festum beati Andreae proroget atque differt. In quo festo praedicti abbates provisori Parisius studii quotas summas solvere tenebuntur, actum autem quod dicta prorogatione durante sententias et poenas contra non solventes editas non incurrunt.

10. Item, cum propter inobedientiae vitium mors orbem intravit universum, relatumque extiterit Capitulo generali quod nonnulli monachi Ordinis, cum ad messes, vindemias, seu alia negotia exercenda mittuntur, nolunt praestare debitum iuramentum quod ipsa negotia fideliter exercebunt, prout per Capitulum alias extitit ordinatum ; eapropter generale Capitulum huic morbo remediis quibus potest occurrere cupiens et affectans, statuit, ordinat et diffinit quatinus abbates, qui suos monachos in praestatione praefati iuramenti inobedientes de cetero repererint, aut rebelles, ipsos ultimos omnium collocare, et panis et aquae poenitentiam quamdiu in inobedientiae contumacia duraverint percellere non omittant, et in capitulo recipiant disciplinam et, si officiales fuerint, deponantur.

11. Item, ne victum longi temporis brevis hora consumat, generale Capitulum statuit, ordinat et diffinit quod prior Cistercii, qui est vel pro tempore erit, necnon et nostri Ordinis sacrae theologiae magistri, possint, abbate aliquo non vocato, in monasterio monialium visitationis officium exercere, ut per haec via expensis superfluis praecludatur. Quia vero dictos magistros generale Capitulum vult, sicut decet, congruis honoribus praevenire, propterea concedit eisdem quatinus benedictionem in monasteriis per quae transierint, accipiant supra gradum.

12. Item, cum nonnulli abbates et monachi Ordinis saepe praeteritis temporibus ad domum Cisterciensem matrem nostram

---

[h] vel revocatum iterum praesumpserit remittere : *S.*

pro commodandis privilegiis recursum habuerint eaque secum portaverint pro suis et monasteriorum suorum negotiis prosequendis, et ea neglexerint, ne forte dicatur, contempserint reportare ; eapropter generale Capitulum dictis abbatibus et monachis sub poena excommunicationis praecipit et iniungit, quatinus praedicta privilegia apud Cistercium saltem infra proximum venturum Capitulum generale reportare, vel per certum et securum nuntium remittere non omittant, et idem de aliis quatuor monasteriis Ordinis statuit Capitulum generale.

13. Item, ut [i] accelerata sententia finem controversiis imponens partes relevet a taediosis laboribus et expensis, statuit Capitulum et diffinit quod quotienscumque in emergentibus causis duo vel plures commissarii per ipsum Capitulum fuerint deputati, uno eorum impedito, vel se rationabiliter excusante, alius seu alii valeat seu valeant alium sibi de consensu partium associare collegam, qui consimilem in commissis habeat potestatem auctoritate Capituli generalis.

14. Item, contributionem duodecim millium florenorum pro urgentibus debitis Ordinis concurrentibus ad usuras ac pensionibus et servitiis in romana Curia, domino cardinali albo et domino Neapolioni et aliis personis persolvendis, necnon et ipsius Ordinis negotiis necessario procurandis, generale Capitulum ordinat et imponit a singulis abbatibus Ordinis medietatem, videlicet infra proximae Resurrectionis Domini octavas Avinione aut Parisius sive Metis certis collectoribus... *etc. ut ann. praeced. nº* 9.

15. Item, dignum est et consonum [j] rationi ut illi in Ordine prae ceteris omnibus honorentur a quibus totus Ordo sumpsit [k] exordium et totius religionis monasticae fundamentum ; eapropter generale Capitulum duxit non improvide statuendum quod quatuor primi abbates Ordinis in suis monasteriis nulli abbati supervenienti cuiuscumque generationis fuerit, cedere teneantur.

16. Capitulum generale consules oppidi Brunswick in fraternitatem bonorum operum recipit ex petitione abbatis Riddagshusani.

17. Petit abbas de Riddagshehusen, quod liceat ei vendere pensiones ad vitam et quod possit aliquas inutiles possessiones

---

[i] Item de quatuor primis monasteriis Ord. Cap. gen. statuit... : *S.* [j] esse videtur : *VW.* [k] suscepit : *VW.*

vendere vel pro annua portione locare. Abbatibus de Valle Sanctae Mariae et de Lapide Sancti Michaelis committitur, ut in ipsa persona ad dictum monasterium accedant et ibi veritatem de praemissis, prout in papalibus statutis continetur, diligenter inquirant, futuro generali Capitulo referendo.

1341

Anno [a] Domini millesimo trecentesimo quadragesimo primo statuta sunt haec apud Cistercium [b] in Capitulo generali

1. In primis, cum anno praeterito fuerit diffinitum quod pro bono statu sanctae matris Ecclesiae et pro pace inter reges et mundi principes reformanda, qui, suadente callidi supplantatoris nequitia dissidiorum et guerrarum turbinibus implicantur [c], semel in hebdomada missa pro pace solemniter in singulis dominus celebretur [d], generale Capitulum hoc idem statuit fieri adiiciens ordinando quod collecta *Deus a quo sancta desideria*, de cetero dicatur ab omnibus et singulis sacerdotibus Ordinis, cum [e] divina ipsos contigerit celebrare, ut auctor pacis spiritum suae pacis principibus influat, et sublata totius iniquitatis sevitia, totam mundi machinam ad statum sincerae tranquillitatis pia benignitate reducat.

2. Item, diligenti studio contemplantes [f] qualiter inter cetera nostri Ordinis generosa plantaria Parisiense studium illustrat Ordinem universum in quo nostri Ordinis professores aquas vivas de fontibus Salvatoris abundanter hauriunt, et immaculatam Domini legem suscipiunt [g] animas salubriter convertentem, decet et expedit ferventer intendere ut studentes inibi ad decorem Ordinis velut splendor fulgeant firmamenti, nullaque eos caligo peccatorum, instigante [h] actore tenebrarum, obnubilet, et nimbosae [i] conversationis umbraculum non obscuret. Hac igitur consideratione permotum [j] Capitulum omnibus abbatibus Ordinis duxit tenore praesentium strictius iniungendum, quatinus de cetero tales ad dictum studium mittere studeant qui sint con-

---

1341. *Fontes* : P^9 : 1, 2, 4-9 ; *S* : 2-6 ; *V* : 1, 2, (3 : *partim)* ; *W* : 1, 2 (3 : partim), 10. [a] *Titulus apud* P^9*SV*. [b] tempore Cap. gen. : *SV*. [c] obvietur : *VW*. [d] decantetur : *VW*. [e] quando : *VW*. [f] complacentes : P^9. [g] accipiunt : P^9. [h] infligante : P^9. [i] vitiosae : *VW*. [j] commotum : *VW*.

versationis honestae, nitidi, ad studendum fervidi, et idonei ad documenta salutaris scientiae capiendum ; ut autem dicti studentes metu poenae ad studendum ferventius animentur, refrenentur a noxiis et a dissolutionibus arceantur, generale Capitulum statuit et diffinit quod emissi de dicto studio ob suae demerita pravitatis, in claustri disciplina arctissima teneantur, nullum deinceps habituri officium absque speciali dispensatione et licentia Capituli generalis.

3. Item, ad Capituli generalis audientiam plurimorum fide dignorum relatu crebraque clamosa insinuatione pervenit, quod scolares studii Sancti Bernardi, tam rectores et superiores, quam simplices et inferiores, quod rectores praedicti, qui aliis non tam sermone quam opere deberent humilitatem et obedientiam praedicare, utroque modo praedicto, tam scilicet sermone quam opere, praeceptis omnibus generalis Capituli non tam ex ignorantia quam inobedientia se ipsos ex certa et obstinata malitia protervos exhibent et rebelles. Nam postquam generale Capitulum bursarum quantitatem, bona deliberatione praehabita, anno praeterito taxavit, aliaque statuta salubria et tot praedicto studio utilia statuit, et per suas patentes litteras dictis scolaribus intimavit, dicti rectores in animarum suarum periculum et totius Ordinis contemptum et praedicti studii detrimentum non modicum, sicut experientia edocet, praedictorum contraria ordinare seu statuere praesumpserunt, asserentes, quod ad Capitulum generale non pertinet de bursa seu pecunia scolarium aliquid statuere nec etiam ordinare. Et quia, quod a superioribus agitur, facile ab aliis trahitur in exemplum, idcirco inferiores scolares a praedictis exempla sumentes in rebelliones plurimas et dissolutiones evidenter noxias inciderunt : nam quantum ad primum tot scriptoria in dormitoribus posuerunt, quod factum tantum non obviat inhibitionibus Capituli generalis, sed, quod gravius et execrabilius est, de plano reformationibus sanctissimi patris ac domini nostri Summi Pontificis notabiliter contradicit. — Item, quantum ad secundum, quia tibiis ceterisque ludis inhonestis non solum secrete et latenter, verum etiam publice et patenter contra ordinationes generalis Capituli, non solum diurnis verum etiam horis nocturnis se implicent ; ex frequentatione et enormitate istarum dissolutionum fuit hoc anno homicidium hora nocturna in dicto studio perpetratum et multi

letaliter vulnerati. — Item, [k] peccata addentes peccatis et non, ut deberent, de bono in melius, sed de malo in deterius labentes, regulari habito temere deposito cum tunicis et caputiis saecularibus per claustrum ceteraque loca incedunt, per quod, si ita est, praedicti scolares apostatant et incurrunt excommunicationis sententiam ipso iure ; quodcirca generale Capitulum nolens tam enormes excessus relinquere incorrectos, dominis de Pontiniaco et Claravalle abbatibus praecipit et committit, quatinus ad dictum studium cum expensis Ordinis accedentes de praemissis omnibus et singulis et aliis, in quibus dicuntur scolares nequiter excessisse, diligenter inquirant et reperta veritate culpabiles puniant et corrigant severitate rigida per emissionem, incarcerationem, depositionem vel alias, ut oportere viderint, invocato etiam ad hoc, si necesse fuerit, auxilio brachii saecularis, reformantes insuper ac etiam statuentes, quae reformanda ac etiam statuenda in eodem studio viderint, in plenaria Ordinis potestate.

4. Item, cum primitivae scientiae sint viae ad scientiam theologicae veritatis, per quam pravitas heretica de infidelium [l] cordibus extirpetur, eapropter generale Capitulum gerens in votis ut fides catholica prosperetur, per dominum nostrum Summum Pontificem salubriter exhortatum statuit, ordinat et diffinit, quatinus in singulis domibus Ordinis universi in quibus monachi fuerint quadraginta, monachis lector habeatur qui iuvenes in grammaticalibus et logicalibus edoceat, scientiamque studiosa in illos instructione transfundat [m], ut instructi fructum optatum, fidem propagaturi, Deo actore, producere valeant in futurum. Ubi autem non fuerit monachorum numerus praelibatus, lector ibidem teneatur aut unus monachus scolaris cum quindecim libris turonensium, quamdiu curret moneta debilis, ad monasteria mittatur, in quibus lector fuerit ordinatus. Abbates autem missos sibi scolares, ut praemittitur, sublato difficultatis obstaculo, recipiant, et eos ad regulares observantias, sicut suos proprios, auctoritate Capituli coerceant et compellant.

5. Item, cum saepe et pluries abbatibus petentibus licentiam sibi dari de rebus possessis [n], iuribus et censibus annuis permutandis [o], vendendis, seu in emphiteosim vel alias concedendis,

---

[k] *hic incip. VW.* [l] fidelium : *S.* [m] infundat : *S.* [n] possessionibus inutilibus : *S.* [o] permutandi, vendendi... : *S.*

iuxta formam papalium statutorum, duo vel plures commissarii concedantur a Capitulo secundum continentiam eorumdem, quorum unus aliquotiens vacare non potest aliqualiter et sic plura negotia in monasteriorum dispendium remanent inexpleta. Eapropter generale Capitulum in praemissis cupiens salubriter providere ordinat et diffinit quod quotienscumque unus commissariorum a Capitulo concessorum executioni huiusmodi vacare nequiverit, alter commissarius de consensu abbatis et conventus quos tanget negotium, unum abbatem alium valeat subrogare, qui consimilem in praedictis habeat potestatem.

6. Item, ut in contractibus pensionum vendendarum, aut etiam de iuribus ultra quinquennium concedendis contra formam in statutis papalibus [p] contentam, de cetero non erretur, generale Capitulum statuit et diffinit [q] quod nulli liceat abbati ad discutiendum a generali Capitulo petere quoadusque tractatum solemnem fecerit et sub nota publica iuxta formam apostolicam eumdem Capitulo primitus studuerit praesentare.

7. Item, ad compacandam quorumdam conscientiam scrupulosam generale Capitulum statuit et diffinit, quatinus quilibet abbas Ordinis monachum suum vel monachos pro culpa, quae in monasterio commode non poterit emendari, ad quaevis Ordinis monasteria de cetero valeat emittere, quavis diffinitione in contrarium edita non obstante.

8. Item, contributionem duodecim millium librarum pro pensionibus in romana Curia et servitiis domino cardinali albo, domino Neapolioni, aliisque personis persolvendis, necnon ipsius Ordinis negotiis necessario promovendis, generale Capitulum ordinat et imponit a singulis abbatibus in sequenti generali Capitulo solvendarum. Quicumque vero abbates summas sibi impositas solvere neglexerint termino antedicto, sententiam excommunicationis ipso facto se noverint incurrisse ; cellerarios vero et bursarios negligentes termino praenominato solvere, a suis officiis ex nunc denuntiat depositos idem Capitulum generale, nullum deinceps penitus officium habituros quousque de ipsa contributione plenarie fuerit satisfactum.

9. De missis. Pro sanctissimo in Christo patre et domino nostro domino Summo Pontifice, et pro bono statu Ecclesiae a singulis

---

[p] principalibus : *VW*. [q] abbates ad inspiciendum hactenus a gen. cap. petere : *VW*.

sacerdotibus Ordinis, tres missae dicantur, una de Spiritu Sancto, una de sancta Cruce et una de Beata Virgine. Item, missae in singulis domibus a singulis sacerdotibus : de Spiritu Sancto, sex ; de Sancta Cruce, quatuor ; de Beata Maria, sex ; pro defunctis, tres.

10. Capitulum generale, ex petitione Stanislai abbatis de Oliva, concordiam inter ipsum et Ordinem Cruciferorum de bonis monasterii factam, confirmat.

1342

Anno [a] Domini millesimo trecentesimo quadragesimo secundo statuta sunt haec apud Cistercium in Capitulo generali.

1. In primis, quoniam tanta est callidi supplantatoris et calumniator[is] malignitas, qui escas concupiscens electas, per invisibilem nequitiae spiritualis astutiam quae malum in boni speciem transfigurans, rationabilis intelligentiae oculum vitiosae obscuritatis caligine interdum damnabiliter sic involvit, ut quod ad perniciem, sub praetextu remedii profuturi palliatione suggeritur, velut saluberrimum caecucientis errore iudicii assumatur ; decet et expedit remediis, quibus oportet, talibus pernitiosis [b] suis fraudibus occurrere, ut praedicta electa praeda divinitus de illius manibus auferatur. Sane ad audientiam Capituli generalis pervenit, quod abbates de Varvellia [c], de Tinterna et de Caveria [d] in Anglia in suae salutis dispendium, et monasticae unitatis dissidium, Capitulique generalis praeiudicium et contemptum, omnes abbates Cantuariensis provinciae convocare temeritate nefaria praesumpserunt, et ponentes falcem suam supra messem nequiter alienam, statuta condere [e] et poenas certas contra delinquentes [f] imponere sub observantiae [g] regularis pallio studuerunt ; quod quidem, si in vigore subsisteret [h], totius honestas et unitas Ordinis penitus solveretur [i]. Quocirca generale Capitulum cupiens tantae temeritatis audaciam refrenare, ordinationes praefatas, licet de iure non valeant, denuntiat irritas et inanes, omnibus abbatibus Ordinis sub poena excommunica-

---

1342. *Fontes* : P^9 : 1-6 ; *S* : 1, 3 ; *VW* : 3. [a] *Titulus apud* P^9*SV*.
[b] provisio : P^9. [c] Ornellia : P^9. [d] Kaerona : *S*. [e] comedere : P^9.
[f] *deest* P^9. [g] observationis : *S*. [h] persisteret : *S*. [i] absorbetur : *S*.

tionis latae sententiae strictius inhibendo ne de cetero consimilia attentare praesumant; quod si quis fecerit, seu fieri procuraverit, ultra praedictam excommunicationis sententiam, quam incurrit eo ipso, pro deposito habeatur, et per patrem abbatem depositus nuntietur. Abbates autem praefatos, qui auctores, suae salutis prodigi, extiterint huiusmodi temerariae factionis, citat Capitulum ad sequens futurum Capitulum iuxta demerita ultionem debitam recepturos.

2. Item, cum propter defectum abbatum non solventium contributiones ab Ordine impositas, redditus et pensiones annuas ac debita in quibus sunt Ordini obligati, Ordo noster incurrit multa damna sitque graviter oppressus multiplici onere debitorum, Capitulum generale domino Cisterciensi et quatuor primis, cuilibet in generatione sua, praecipit et committit, quatinus in singulis provinciis seu regionibus viros providos auctoritate Capituli ordinent et statuant qui, ad expensas abbatum qui non solverunt, perlustrantes provincias in singulis domibus diligenter inquirere studeant qui abbates contributionis Ordinis redditus et pensiones annuatim Ordini non solverunt. Et abbates mon[asteriorum] super huiusmodi per iuramenta propria compellere, si necesse fuerit, non omittant et quos repererint non solvisse, nisi bene idonee caverint de solvendo saltem in sequenti generali Capitulo, vel certis terminis per eosdem commissarios statuendis, depositos auctoritate Capituli studeant nuntiare. Priores, cellerarios et ceteros officiales forma consimili depositos nuntient, nullum deinceps habituros officium sine licentia Capituli generalis.

3. Item, ad generalis Capituli nuper plurium ac fide dignorum relatione pervenit auditum [1], quod nonnulli nostri Ordinis professores, eorum monasterio pastoris solatio destituto, ad futuri pastoris electionem, patre abbate, ad quem electi probatio et reprobatio pertinere noscitur, minime requisito, ambitiosa praesumptione procedere non postponunt; eapropter Capitulum generale cupiens super hoc de competenti remedio providere statuit et diffinit quatinus de cetero ad novi pastoris substitutionem nullatenus procedatur, nisi patre abbate vel eius commissario requisito primitus et praesente. Si quis autem huiusmodi statutum convicti fuerint temerarie violasse ad electionem, ut prae-

[1] audientiam : *VW*.

mittitur, non vocato patre abbate vel eius commissario, procedentes, generale Capitulum electionem sic praesumptam ipso iure pronuntiat esse nullam, et electoribus iure eligendi tam active quam passive illa vice privatis. Pater abbas vel [k] eius commissarius provideat de persona idonea monasterio viduato, iuxta Ordinis instituta ; et haec praesens diffinitio ad moniales Ordinis in omnibus et per omnia extendatur.

4. Item, cum victualium regularium provisio pro suis visitatoribus sit monasteriis monialium Ordinis nonnunquam plurium sumptuosa, generale Capitulum indemnitatibus eorumdem prospicere cupiens statuit et diffinit, quatinus in omnibus monasteriis monialium Ordinis visitatoribus ordinariis et commissariis eorumdem, tantum visitationis tempore, carnes valeant ministrari, ipsique ordinarii vel eorum commissarii in dictis locis libere eisdem carnibus uti possunt, diffinitione quacumque in contrarium edita non obstante.

5. Item, consideratis monetae debilitate, caristia temporis et sarcina debitorum, per provisorem et cellerarium studii Sancti Bernardi Parisius praeterito tempore contractorum, generale Capitulum ordinat et diffinit, quatinus quilibet scolaris praedicti studii pro hoc anno solummodo viginti quatuor libras parisiensium habeat imbursare, abbatibus Ordinis praecipiens et iniungens quatinus praedictam summam ministrare suis scolaribus non omittant pro bursis suis terminis constitutis, [sub] poenis in statutis papalibus ordinatis.

6. Item, contributionem decem et octo millium florenorum pro servitio domino Summo Pontifici faciendo, pensione domini cardinalis persolvendis, et aliis necessario procurandis a singulis abbatibus in sequenti generali Capitulo solvendo[rum], generale Capitulum ordinat et disponit. Quicumque vero abbates summas sibi impositas solvere neglexerint termino antedicto, sententiam excommunicationis ipso facto se noverint incurrisse. Cellerarios domo[rum] et eorum bursarios negligentes in praemissis ex nunc depositos pronuntiat Capitulum generale, nullum deinceps officium habituros quousque de ipsa contributione fuerit integre satisfactum. Et cum dominum Cisterciensem, quatuor primos et quamplurimos abbates alios Ordinis pro dictis servitio, pensione, ac debitis solvendis oporteat obligare, cum Ordo pecuniam in

---

[k] et eius... provideant : P^9.

praeterito... [1], generale Capitulum ordinat et diffinit, quatinus praedicti domini totum Ordinem valeant quoad hoc obligare, dictusque Ordo totus ipsos praedictos servabit indemnes et ab omnibus damnis.

1343

Anno [a] Domini millesimo trecentesimo quadragesimo tertio [b] statuta sunt haec apud Cistercium in Capitulo generali.

1. Sedula meditatione Capitulum considerans et attendens qualiter studii Parisiensis generosa plantatio nostri professores Ordinis splendore scientiae salutaris irradiat, decorat, virtutibus affluentibus igneis meritorum accumulat et tantos facit noxiis praecavendis, decet et expedit ferventer intendere, ne praetextu occasione vel defectu substantiae temporalis deficiat aut patiatur ab ipsis irreparabilibus nocumentis. Hac itaque consideratione permotum Capitulum ne propter temporis caristiam, scolares studentes inibi recedere in confusionem Ordinis compellantur, de bursis eorum et forma victualium ducit tam rationabiliter quam salubriter per modum qui sequitur ordinandum, videlicet quod quilibet scolaris triginta libras parisiensium monetae currentis solutionis tempore teneatur ponere. Et quilibet abbas sub poena in statutis contenta papalibus astringatur indefectibiliter suis studentibus destinare solutionis termino constituto. Et quia victus sobrietas motus illicitos temperat, mentem refrenat a vitiis, ingenium acuit et ad capiendum documenta scientiae facilius dirigit et disponit, cellerario dictae domus strictius inhibetur ne cuiquam studenti de cetero in refectorio vel alibi praeterquam communia regularia victualia audeat ministrare ; quod si contrarium attentare praesumpserit, eo ipso pro vice qualibet ingressum ecclesiae sibi per mensem noverit interdictum. Qui vero carnes comedere voluerit, de bursa emat propria et comedat de ordinata licentia, prout hactenus a fundatione studii extitit assuetum. Nullus cameram, nisi existat baccallarius, tenere audeat vel habere, sed omnes communibus [c] applicentur usibus distri-

---

[1] *quaedam desunt in codice P⁹.*

1243. *Fontes* : *P⁹* : 1-6 ; *V* : 3, 4, 6-8 ; *W* : 3, 4, 6-9. [a] *Titulus apud P⁹V.* [b] incipiunt statuta generalia facta in Cap. gen. Cist. : *P⁹.* [c] comitantibus : *P⁹.*

buendae et tradendae infirmis et necessitatem habentibus per provisorem vel cellerarium, quando viderint opportere. Cellerario vero districtius inhibetur ne de cetero ultra bursas scolarium audeat contrahere mutuum quavis causa, nisi de speciali licentia Diffinitorum Capituli generalis.

2. Item, cum absentia abbatum Ordinis a monasteriis absentium eisdem, prout magistra rerum demonstrat experientia, multipliciter sit damnosa, abbatibus magistris in theologia strictius inhibetur ne post annum, postquam adepti fuerint cathedram magistralem, praesumant in studio remanere, nec cuiquam super hoc absque speciali mandato Capituli aliqualiter liceat dispensare. Nec est intentionis Capituli generalis quod magister de Mortuo mari in Parisius actu regens dimittat cathedram, quousque per cancellarium parisiensem alter ad magistralem cathedram fuerit sublimatus.

3. Item, ut futuris periculis occurratur et monasteriorum utilitatibus consulatur, generale Capitulum statuit irrefragabiliter et diffinit, quod quotienscumque dispersio monachorum [d] per Capitulum conceditur, pater abbas vel cui committitur dispersio facienda, antequam ad dispersionem procedat, in abbatis et conventus praesentia iurare teneatur, quod nihil aliud faciat nisi quod utilitati et immensae necessitati ac relevationi monasterii viderit expedire, nec eamdem faciat nisi intensa necessitas sic requirat. Abbas vero monasterii dispergendi iurabit solemniter, quod in praemissis se habebit fideliter, et quolibet anno in sui visitatoris praesentia computabit et se obligabit, ut supra, quod pro quolibet emisso monacho vel converso, de [e] viginti libris turonensium annis singulis suum monasterium relevabit.

4. Item, cum nonnulli monachi nostri Ordinis vagabundi per saeculum in suae salutis dispendium, et nonnunquam plurimorum scandalum discurrentes [f] per nostri monasteria Ordinis et in eisdem bonorum mores suis pravis colloquiis corrumpentes, eos ad rebellionem et inobedientiam excitant et inducunt, prout experientia nonnullos nostri Ordinis abbates edocuit manifeste. Eapropter generale Capitulum scandalis et futuris periculis cupiens obviare, statuit, ordinat et diffinit, quatinus de cetero tales profugi monachi per saeculum evagantes ad quaevis [g]

---

[d] *deest* P^9. [e] det 20 libras turon. ; annis sing. suum mon. relevabit : *W*.
[f] *deest* P^9. [g] aliqua : P^9.

nostri Ordinis monasteria nullatenus admittantur, sed in porta remaneant, donec prior vel qui tenet locum eius, de eorumdem conditionibus inquisierit et utrum incedant [h] de licentia ordinata. Qui contrarium fecerit, per triduum in pane et aqua sustineat poenitentiam levis culpae.

5. Item, quod cum in statutis papalibus omnibus nostri professis Ordinis sit totaliter interdictum, ne in studiis Ordinis iura canonica quaevis audire vel legere praesumpserint, et quidam Ordinis monachi credant audire iura praedicta in aliis studiis sibi fore licitum, et ad alia studia saecularia se transferunt ob huiusmodi in suae salutis dispendium et iacturam; eapropter generale Capitulum volens eorum callidae malitiae in posterum obviare, ducit strictius inhibendum ne de cetero quisquam abbas sive monachus audire vel legere eadem in quibuscumque studiis, villis, civitatibus, sive castris praesumant. Quod si quis fecerit, eo ipso excommunicationis sententia se noverit alligatum. Abbas autem qui licentiam talem conferre praesumat eadem existat innodatus ipso facto.

6. Item, cum secundum statuta papalia [i] patres abbates in suis visitationibus pro eundo et redeundo expensas possint et debeant a visitatis filiis recipere moderatas, et aliqui abbates vel conventus suis patribus aut eorum commissariis solvere quamdam consuetudinem frivolam qua non teneri dicunt, et asserunt praetendentes, generale Capitulum [j] dictis abbatibus, filiis et eorum conventibus strictius in virtute sanctae obedientiae praecipit atque mandat, quatinus dictas expensas moderatas iusto taxatas libramine aequitatis, quacumque non obstante consuetudine, quam frivolam reputat, solvere non postponant.

7. Item, cum nullus debeat de sua inobedientia et rebellionis malitia honorem et commodum reportare, generale Capitulum ordinat et diffinit, quod quisquis monachus vel conversus ob suae pravitatis demerita carceri mancipatus, de dictis carceribus praesumpserit absque licentia [evadere] aut fregerit carceres antedictos, ut punitionem effugiat regularem, non possit ad quoscumque actus legitimos promoveri, absque speciali dispensatione Capituli generalis.

8. Item, in pluribus monasteriis Ordinis tempore Adventus Domini pisces non possunt haberi propter vehementiam tempo-

---

[h] incedentes : P^9. [i] principalia : *VW*. [j] *hic desin. finaliter codex* P^9.

ris hiemalis, sicque oporteat personas Ordinis in eisdem cum miseria vivere, illos praecipue, qui in vinea Domini pondus diei et aestus sustinent incessanter. Eapropter generale Capitulum eisdem pie compatiens ordinat et diffinit, quod in monasteriis supradictis cunctis liceat uti lacticiniis tempore praenotato usque ad nutum Capituli generalis.

9. Quoniam quibusdam dubium videbatur, a quo deponi deberet abbas, qui nollet ad matrem suam ascendere, sic diffiniendo determinat Capitulum generale, ut non nisi proprii patris auctoritate deponatur vel ipsius Capituli generalis. Huic autem constitutioni causam dedit, quod abbas Cistercii N. vacante domo Bonaevallis filiae suae deponere visus est de facto, cum de iure non posset, nepotem suum abbatem Vallismagnae eo quod cum eligeretur, ad dictam matrem suam ascendere recusavit. Quae quidem depositio reservari debuit novo Bonaevallis abbati vel Capitulo generali. Super quo ad Capitulum generale per abbatem Grandissilvae delata querela et quasi publice proposita de consensu unanimi dicti domini abbatis et Diffinitorum facta fuit institutio seu interpretatio [k].

1344

Anno [a] Domini millesimo trecentesimo quadragesimo quarto statuta sunt haec apud Cistercium in Capitulo generali.

1. In primis, cum humilis Parisiensis universitas, cuius est non modica portio Sancti Bernardi studium, de virtutum et sapientiae fontali principio sui luminis radios diffundens, mundum illuminat universum, idcirco ut copiosiores radios luminis valeat effundere in futurum, generale Capitulum statuit, ordinat salubriter et diffinit quatinus abbates nostri Ordinis scolares habiles et idoneos ad scientiam acquirendam, cum bursis integris mittere non omittant, alioquin poenas in statutis papalibus contentas eo ipso se noverint incurrisse. Abbates autem qui bursas anni praeteriti non solverunt, nisi infra proximum Natale Domini Parisius mittere summam in qua remanent obligati

---

[k] *ad hunc annum* 1343 *refertur hoc statutum apud* WINTER *(W), iuxta cod. U* (= *Dusseldorf,* 35*)* ; *sed alii codices mss. ad annum* 1346 *illud referunt v. g. ms.* 417 *bibl. civit. Brugensis (XV*[i] *s.), ms.* 785 *bibl. dictae de l'Arsenal, Parisiensis (XVII*[i] *s.)* ; *cf. etiam ms.* 1953 *bibl. Trecensis civit. (XV*[i] *s.).*

1344. *Fontes* : T^1 : 1-98 ; *VW* : 3, 7. [a] *Titulus apud* T^1V.

studuerint, ab ingressu ecclesiae noverint se suspensos ; quam suspensionem, si per mensem sustinuerint animo indurato, eo ipso sciant se excommunicationis sententiam alligatos. Et sciendum quod anno futuro scolares praedicti studii quatuordecim libras parisienses imbursabunt.

2. Item, prout generali Capitulo est delatum, nonnulli nostri Ordinis monachi cum ad prioratus plebanios seu capellas ad Ordinis nostri monasteria iure patronatus vel alias spectantes, quasi provisione cum episcoporum dioecesanorum decreto et licentia sunt promoti, cum delinquunt vel eis ab abbatibus suis aliquid imperatur, obedire renuunt et contemnunt, subiectos se esse tantummodo dioecesanis episcopis asserentes, in praeiudicium iurisdictionis paternae et enervationem monasticae disciplinae. Eapropter generale Capitulum malignantium subterfugiis cupiens obviare, statuit, ordinat et diffinit, quatinus nostri Ordinis monachi cuiuscumque regionis, nationis aut conditionis existant, qui sunt et in posterum erunt promoti ad dictos prioratus plebanios, ecclesias seu capellas, nisi mandatis suorum abbatum et correctionibus de se factis ratione excessuum commissorum paruerint humiliter et devote, vocem in capitulo vel alibi non habeant ; moram in monasterio protrahere non praesumant, nec tamquam membra ab unitate Ordinis praecisa ad tractandum de negotiis monasteriorum cum ceteris admittantur aut eis de communi subtantia administretur, nisi prout transeuntibus hospitibus fieri consuevit.

3. Item, ut interioris mentis religio per exteriorem habitum decentius ostendatur [b], generale Capitulum quorumdam abusum qui terminos, quos sancti patres provide posuerunt [c], nituntur perperam transgredi, novis curiositatibus et curiosis novitatibus in habitibus exquisitis nitorem Ordinis obumbrantes, non sine scandalo plurimorum, reprobans praecipit et diffinit, quatinus de cetero nulli nostri Ordinis habitum, quocumque nomine hic censeatur, deferre liceat alterius coloris quam bruni et albi, prout in statutis papalibus [d] continetur ; in calceamentis autem et aliis circa se positis et ponendis, adeo honeste et composite se habeant quod in eis nihil appareat quod possit aut debeat offendere intuentes. Si quis autem praedictorum temerarius transgressor extiterit, Ordinis [e] consuetudinem antiquam dere-

---

[b] condatur : *W*. [c] statuerunt : *VW*. [d] principalibus : *W*. [e] *Wadd.*: et.

linquens, et saecularibus, a quibus nos decet esse extraneos, se conformans eo ipso excommunicationis sententiam se noverit incurrisse, quia error, cui non resistitur, approbari videtur.

4. Item, cum frustra esset privilegia impetrare, nisi essent qui ea viriliter et debite tuerentur, hinc est quod generale Capitulum aspiciens ac crebra meditatione attendens qualiter domini archiepiscopi et episcopi moderni temporis libertates nostri Ordinis infringere molientes, exactiones varias ac novitates alias indebitas ab nostro monastico Ordine exigere et imponere, contra ipsius Ordinis communia privilegia non verentur, asserentes se super haec **a** Sede Apostolica gratiam obtinere ; eapropter idem Capitulum, domini nostri cardinalis, communicato sibi bonorum et iurisperitorum consilio, litteris exhortatum statuit, ordinat et diffinit, quatinus cum de cetero huiusmodi exactiones seu novitates in Ordine evenire contigerit contra privilegia Ordinis communia, abbates illico appellare studeant, appellationesque viriliter prosequantur in expensis communibus monasteriorum provinciae in qua hoc contigerit evenire. Tres autem primi illius provinciae abbates convocandi ceteros et contributiones super hoc imponendi per ipsam provinciam, prout est alias diffinitum, habeant potestatem. Ad appellationem autem super praemissis ad romanam Curiam iam emissas praesentem diffinitionem extendit idem Capitulum generale.

5. Item, cum a bono iugi obedientiae regularis impudenter exorbitet frivola excusatio adinventa, hinc est quod generale Capitulum, absentiam quamplurimorum abbatum perperam remanentium a Capitulo generali non ferens aequanimiter, ordinat et diffinit quod receptores excusationum abbatum remanentium iuramenta exigant ab excusatoribus eorumdem an causas remanentium sciant vel credant saltem verisimiliter esse veras, dictique receptores causas ipsas studeant referre coram Diffinitoribus qui de sufficientia tractabunt et ex ordine debito iudicabunt. Sane ne obedientes viderentur forsitan non proficere, si rebelles non reportarent debitam ultionem, ordinat et statuit Capitulum quod cogantur dicti abbates se minus sufficienter excusantes, ad duplum eo solvendum quod in expensis facerent veniendo.

6. Item, contributionem duodecim millium florenorum pro pensione domini cardinalis, debitis Ordinis exsolvendis et aliis negotiis utiliter promovendis a singulis abbatibus Ordinis in sequenti generali Capitulo solvendorum, generale Capitulum

ordinat et imponit. Quicumque vero abbates summas sibi impositas solvere neglexerint in praelibato termino, sententiam excommunicationis ipso facto se noverint incurrisse. Cellerarii vero et eorum bursarii in praemissis negligentes ex tunc pronuntiat depositos idem Capitulum generale, nullum deinceps habituros officium, donec de contributione fuerit sic debita ex integro satisfactum.

7. Item, cum iuxta beati regulam Benedicti, ad abbatem cuiuslibet monasterii, seniores domus suae, quos cognoverit meliores, ad se super tractandis pro consilio pertineat evocare, generale Capitulum ordinat et diffinit, quatinus de cetero ad consilium abbatis nullus accedere praesumat, nisi per abbatem fuerit evocatus. Morem autem vel verius abusum, qui in aliquibus Alemanniae partibus in contrarium inolevit, ut dicitur, expresse reprobat Capitulum generale.

COMMISSIONES.

8. Cum ab illis non sint beneficia subtrahenda, quibus in recompensationem meriti sunt concessa, hinc est quod cum fratri Michaeli de Caldun., quondam abbati de Cliva annua pensio centum solidorum de consensu patris abbatis, abbatis successoris monasterii memorati, tamquam benemerito fuerit assignata, quae sibi solvi absque causa rationabili, ut asserit, recusavit. Eapropter generale Capitulum abbati de Carreria praecipit et committit, quatinus de praemissis inquirat, et si ipsum benemeritum ac dictam pensionem sibi fuisse, ut praemittitur, assignatam repererit abbatem de Cliva ad solvendam dictam pensionem dicto fratri Michaeli per censuram Ordinis coerceat et compellat in plenaria potestate.

9. Item, cum frater Guillelmus de Borbonio, quondam abbas, ut asserit, de Septem fontibus, contra nunc abbatem ipsius monasterii appellaverit ad Capitulum generale super multis gravaminibus sibi, ut dicit, inflictis irrationabiliter et illatis, generale Capitulum patri abbati de Fonteneto, adiuncto sibi abbate de Benedictione Dei in Arvernia, totam controversiam committit pace vel iudicio terminandam in plenaria Ordinis potestate.

10. Item, cum in Capitulo nuper praeterito abbatibus de Begar et de Sancto Albino commissum extiterit ut querelam et quaestiones quae inter abbatem Veterisvillae et fratrem Nicolaum dictum Brusom monachum dicti loci, vertebantur, vocatis vo

candis in potestate plenaria fine debito terminarent, corrigendo noxios et innocentes auctoritate Capituli absolvendo et ex processibus eorum generale Capitulum contra abbatem factis eo quod plene non probabatur quod dictus monachus se obligaverat probaturum, non potuerunt ad diffinitivam sententiam procedere in praemissis. Eapropter generale Capitulum abbatibus de Fonte danielis et de Thoriniacho praecipit et committit, quatinus ad locum praedictum personaliter accedentes processus praedictos secum deferant, et auditis quae utraque pars dicere et proponere voluerit ad sui iustitiam confovendam, perficiant et compleant quod remanserat per primos commissarios incompletum, et referant Capitulo generali. Et quia post appellationem per abbatem interpositam, cui dicti commissarii ob reverentiam Capituli detulerunt, licet de iure non teneret, ipsi commissarii abbatem ab administratione huiusmodi suspenderunt, generale Capitulum dictam suspensionem revocat et annullat quousque per ipsum Capitulum aliud fuerit ordinatum.

11. Item, cum immoderata pensio nonno Roberto quondam abbati de Walleya fuerit assignata, prout generali Capitulo est suggestum, abbatibus de Fontanis et de Joravalle committit Capitulum generale, quatinus dictam pensionem, consideratis dicti nonni Roberti meritis, habeant aequitatis suadente merito moderari. Si autem dicti abbates, vel alter eorum a partibus vel aliqua partium fuerint recusati, moderationem huiusmodi valeant aliis abbatibus committere non suspectis, auctoritate Capituli generalis.

12. Item, cum abbas Altaecumbae auctoritate Capituli et domini Pontigniacensis nonno Ioanni de Lay., quondam abbati de Cassenia, grangiam de Cultilibus in comitatu de Foresio situatam pro pensione sua assignasset et concessisset sub certis punctis et conditionibus in quodam instrumento confecto super hoc comprehensis, nihilominus praedictus Ioannes dictam grangiam vi armata et per violentiam occupavit, eamque detinet occupatam, conditiones praedictas in aliquo non implendo, prout Capitulum per patrem abbatem et abbatem proprium extitit informatum. Quapropter generale Capitulum in praedictae violentiae odium, dictum nonnum Ioannem monet in hiis scriptis, unica canonica monitione peremptoria pro tribus et ex causa, quatinus aut conditiones in dicto instrumento specialiter insertas impleat, aut grangiam de Cultibus *(sic)* praedictam monasterio de Casse-

nia liberam et quittam ab omni onere debitorum, sublato difficultatis obstaculo, restituere non postponat infra mensem a praesentis diffinitionis seu monitionis receptione seu notitia numerandum ; alioquin sententiam excommunicationis se noverit incurrisse ; omnibus abbatibus illius provinciae praecipit Capitulum generale, quatinus ipsum excommunicatum denuntient, quousque praedictae monitioni paruerit cum effectu ; quam sententiam si per alium mensem sustinuerit animo indurato, ipsum privat Capitulum omnibus gratiis habitis et habendis, et praecipit ipsum idem Capitulum ad claustrum proprium revocandum, invocato ad hoc, si necesse fuerit, auxilio brachii saecularis.

13. Item, relevationem monasterii Altaesilvae personarum regularium oneribus et voraginibus debitorum lamentabiliter et quasi irreparabiliter desolati per alienationem, dispersionem vel alias, generale Capitulum patri abbati per se vel per alium committit in plenaria Ordinis potestate.

14. Item, cum abbates Calabriae et Siciliae a quindecim annis citra et amplius, in suae salutis dispendium, et communitatis Ordinis detrimentum, contributiones ab Ordine impositas non solverunt terminis constitutis, generale Capitulum praedictis dispendiis obviare desiderans et affectans, abbati de Casemario committit, quatinus de praemissis inquirat diligentius veritatem, et quos repererit non solvisse, nisi portiones ipsos contingentes solvere promiserint per suas patentes litteras et sub debito praestiti iuramenti in sequenti Capitulo cum effectu, vel praefigendis terminis per eumdem, eos auctoritate Capituli denuntiet depositos, et conventus ad electionem futuri pastoris procedere studeat, secundum nostri Ordinis instituta. Abbatesque solventes vero, vel solvere, ut est dictum, statutis terminis promittentes, absolvere poterit a sententiis, et ne pereant animae subditorum, cum ipsis misericorditer dispensare auctoritate Capituli generalis. Praedicto autem abbati commissario generale Capitulum praecipit et iniungit, in virtute sanctae obedientiae, quatinus de praemissis omnibus et singulis per se vel per alium sequens Capitulum studeat informare. Abbatem de Arrabona, si ipsum repererit aliquid de contributionibus recepisse virtute commissionis anno praeterito sibi factae, ad solvendum coerceat Capitulum et citet ad Capitulum sequens secundum demerita recepturum ; alioquin excommunicationis sententiam eo ipso se noverit incurrisse.

15. Item, ad generalis Capituli notitiam est deductum quod

Ex ms. abb. cist. Grandissylvae,
nunc in Bibl. nation. Paris.
asservato sub n° 10894 lat. *(P⁹)*

Ex ms. abb. Claraevallis nunc in
archivo Trecensi sub nº 3 H. 145 *(T¹)*

cum abbas monasterii de Cambremel in Anglia, assumptis secum de Lancreste et de Walleya monasteriorum abbatibus ad monasterium de Hultum sibi immediate subiectum visitandi gratia declinasset, et expletis hiis quae ad visitationis fuerant oportuna, cum dicto abbate de Walleya recedens a monasterio visitato, frater Thomas de Kael apostata habita secum complicum armatorum multitudine copiosa in dictos abbates de Cambremel et de Walleya eorumque familiam atrociter irruentes in quemdam sacerdotem de eorum familia manus violentas tam sacrilege quam nequiter iniecerunt et adeo graviter vulneraverunt, quod elapso decennio diem clausit extremum, abbatem de Ultum cedere compulerunt, et alium per conventum nominatum patri abbati de Cambremel praesentarunt, et ad impendendum confirmationis beneficium minis et terroribus, non sine plurimorum scandalo, coegerunt, aliaque enormia commiserunt; quae non volens generale Capitulum conniventibus oculis pertransire, abbati de Savigniacho per se vel per alium seu alios districtissime praecipit et committit, quatinus de praemissis excessibus inquirere studeat diligenter et ad emendationem ipsorum solerter invigilet et intendat; et quae contra iustitiam et Ordinis instituta invenerit attentata, ad pristinum statum et debitum reducat in plenaria Ordinis potestate; dictumque apostatam perquirat aut perquiri faciat, usque ad nutum generalis Capituli strictis carceribus alligandum.

16. Item, cum prout generali Capitulo est delatum, commissarii abbatis Savigniacensis ad partes Angliae saecularium armatorum potentia perterriti et compulsi, fratris Rogerii abbatis monasterii de Combemere cessionem licet inviti receperunt, et alium regimini dicti monasterii praefecerunt. Eapropter generale Capitulum abbati de Savigniaco per se vel per alium committit quatinus si ita est, vocatis evocandis faciat iustitiae complementum, et puniendos puniat severitate condigna, in plenaria potestate; sic quod unius punitio sit ceteris interdictio delinquendi.

17. Item, cum abbas de Sancta Corona in Bo[h]emia, suae professionis immemor et salutis, incedat armatus notorie cum incendiariis et raptoribus, in Ordinis vituperium et scandalum plurimorum, delapidetque suum monasterium, super quibus caritative pluries reprehensus, ab hiis non abstinet, sed in sua malitia continue perseverat, prout est generali Capitulo nuntiatum. Eapropter generale Capitulum abbati de Cedelicz commit-

tit quatinus ad monasterium de Sancta Corona accedat et ibi diligentia qua convenit se informet super dictis excessibus et inquirat, inquestam sequenti Capitulo referat, et si talia eum commississe reperiat, ex quibus speret ipsum verisimiliter puniturum, ipsum citet ad sequens Capitulum ibi de citatorio faciens promptam fidem.

18. Item, ad audientiam Capituli generalis reverendorum in Christo patrum ac dominorum Sanctorum Quatuor Coronatorum et Sancti Stephani in (S)celimonte presbiterorum cardinalium sedula insinuatione pervenit quod frater Nicolaus, quondam Cedelicensis abbas, vir utique providus et honestus, per patrem abbatem suum visitationis officium in Cedelicensi monasterio exercentem extitit depositus, inauditis eiusdem defensionibus vel admissis, forma Ordinis non servata, et contra continentiam Clementinae, et licet huiusmodi occasione iam esset querimonia in romana Curia deposita, nihilominus ad supplicationem dictorum dominorum cardinalium remissum est negotium ad Capitulum generale, prout in eorumdem litteris continetur, ut super hoc Capitulum de remedio provideat opportuno. Propterea Capitulum nolens de negligentia seu dissimulata iustitia reprehendi, domino Morimundi per se vel per alium seu alios praecipit et committit, quatinus de modo depositionis praedictae inquirere diligenter studeat veritatem, vocatis qui fuerint evocandi, et si dictum fratrem Nicolaum, Ordinis forma spreta, repererit a regimine pastoralis officii spoliatum, eumdem restituat ad curam et regimen monasterii praelibati ; patrem autem abbatem deponentem, cum illis qui sibi in auxiliis et consiliis astiterunt, taliter puniet quod ceteris transeat in exemplum. Si autem repererit depositionis sententiam, demeritis depositi exigentibus, secundum formam Ordinis esse latam, vel quod spontanea cesserit voluntate, prout quorumdam abbatum litterae videntur praetendere, modernum abbatem ulterius non infestet, sed depositionis praedictae sententiam confirmet auctoritate Capituli generalis.

19. Item, cum generale Capitulum liquido fuerit informatum quod frater Guillelmus monachus Casalis vallis, fratrem Petrum dicti monasterii monachum et professum manu sacrilega nequiter interemit. Eapropter generale Capitulum dictum fratrem Guillelmum carceri perpetuo in pane et aqua adiudicat mancipandum, omnibus abbatibus Ordinis praecipiens et iniungens, qua-

tinus ipsum perquirant et capi faciant, captumque ad dictum monasterium de Casali vallis mittere studeat dicti monasterii sumptibus et expensis.

20. Item, cum rationi congruat ut expensarum onera perperam non effugiant qui litis participio non privantur ; hinc est quod petitioni abbatis de Fesya oppressi notabiliter ex anfractibus litium pro tuendis libertatibus Ordinis, cum cogatur in curia archiepiscopi Burdegalensis per officialem ipsius respondere, obtemperans generale Capitulum et annuens contributionem imponendam abbatibus Burdegalensis provinciae committit abbati de Baugezeyo, quatinus [indicet] taxam contributionis alias pro consimili negotio in partibus impositae, si dictam taxationem repererit vel alias prout exiget qu[alitas nego]tii, sic abbates provinciae ad contribuendum in hoc compellat et coerceat per censuram, vel alias coercitiones Ordinis, quod dictum monasterium indemne relevetur et libertates Ordinis non corruant in derisum.

21. Item, cum frater Alexander de Senis, monachus Sancti Pantaleonis, suggesserit generali Capitulo se fuisse per abbatem Sancti Galgani, cuius tunc professu[f] [s erat, carceri pro] tempore, sine causa et praeter iuris ordinem, mancipatum ; hinc est quod generale Capitulum non credens, sicut nec decet cuilibet spiritui, committit domino Claraevallis, quatinus per se [vel per alium de poena dicti] monachi et querelam tangentibus diligenter se informet, et vocato patre abbate et ceteris evocandis querelanti et ceteris quo... [faciat,] sicut expedit, iustitiae complementum in plenaria Ordinis potestate. Si vero dictum monachum repererit falsa suggessisse Capitulo, ipsum puniat [secundum ipsius] demerita tantae contra Capitulum temeritatis praesumptae.

22. Item, cum unumquemque deceat in ea vocatione in qua vocatus dicitur remanere, generale Capitulum praecipit abbati de Dora, quatinus fratrem Ioannem monachum ... nunc in suo monasterio de Dora commorantem, remittat ad abbatiam propriam, cum aliis sub praesidente proprio condegendum, nec teneatur dicto abbati de... expensas rependere pro tempore quo ipse dictum monachum retinuit, contra expressam ipsius voluntatem.

---

[f] *ms. laceratum.*

23. Item, cum frater Bernardus, monachus monasterii de Valeta, ob apostasiam suam et evagationem diuturnam per saeculum iam reversus ad disciplinam Ordinis non incaute privatus iuste fuerit habitu et gradu suo secundum exigentiam meritorum, attendens generale Capitulum ad signa poenitentiae quae referuntur in eo reperiri, abbati suo praecipit et committit quatinus sibi restituat de speciali gratia gradum quem prius habuit et cucullam.

24. Item, cum abbates de Monte salutis et de Fi(s)terio visitatoribus suis inobedientes dicantur expensas eisdem necessarias solvere recusantes, ad generale Capitulum venire contemnentes et contributiones Ordinis a septem annis et citra exsolvere indebite remittentes, citatique pluries, ut dicitur, ad Capitulum generale non venerint, nec se excusaverint ut debebant, ipsos ex abundanti iterum citat generale Capitulum ad subsequens generale Capitulum, super hiis et aliis se purgaturos vel alias iuxta sua demerita recepturos; alioquin nisi venerint, sciant se in sequenti Capitulo generali deponendos, eorum absentia non obstante. Abbati autem de Scala Dei committitur quatinus citationem huiusmodi eisdem studeat abbatibus intimare, et quidquid inde fecerit in sequenti Capitulo renuntiare studeat et referre.

25. Item, cum frater Almulphus monachus et quondam abbas monasterii Cariloci, certis fuerit ex causis exigentibus per generale Capitulum depositus, idem generale Capitulum precibus domini cardinalis humiliter annuendo, ipsum rehabilitat, si et quantum est in talibus possibile famae et idoneitati restituit ut ad actus legitimos habeatur idoneus et promoveri valeat in futurum.

26. Item, cum referire deceat spirituali gladio maleficos insurgentes et minitentes ledere impudenter ecclesias in rebus et bonis suis; hic est quod generale Capitulum omnes et singulas personas regulares Ordinis monet sub poena excommunicationis et gravis adnimadversionis quatinus libros, privilegia et alia mobilia, si quae subtraxerint vel alias minus iuste habuerint, a monasterio Bonaevallis Viennensis infra mensem postquam ad eorum notitiam haec nostra diffinitio pervenerit, vel eorum malitiam fecerit quod non valeat pervenire.

PETITIONES

27. Petitio abbatum de Anglia, abbatum Vallisdignae et de Petra Kuiersicensi qui petunt quod esse reputentur legitime excusati a via praesentis generalis Capituli propter guerras et viarum discrimina ex speciali gratia exauditur; eorumque absentiam generale Capitulum tolerat aequanimiter ista vice.

28. Petitio abbatis Locedii qui petit quod sententia excommunicationis lata contra non solventes quotas contributionum in consignatis terminis non currat contra abbatem Caraevallis, ad cuius notitiam quota sibi imposita non pervenit, exauditur sub conditionibus hic adiectis, videlicet quod si sequenti Capitulo non solverit, in eadem sententia relabatur, et nihilominus ad duplum per Capitulum cogeretur.

29. Diffinitio edita anno praeterito in generali Capitulo pro abbatia de Pinu contra abbatem et conventum de Regali loco in Anglia, per generale Capitulum renovatur, in suo robore, sicut antea, permansura.

30. Petitio abbatis de Columba qui petit, cum tractatum diebus interpolatis cum suo conventu habuerit iuxta papalium continentiam statutorum, quod possit quasdam domos et pecias bosci, prati et terrarum arabilium, necnon et quoddam nemus minus utile certis personis, pro sui monasterii promovendis utilitatibus permutare, prout in instrumento tractatus praedicti Capitulo praesentato liquido continetur, abbatibus de Ponte et de Fonte vivo committitur quatinus ad monasterium de Columba personaliter accedentes advocatis secum domini Claraevallis commissariis, inde faciant quod utilitati dicti monasterii noverint convenire, salvis papalibus institutis, et quid inde fecerint referant sequenti Capitulo generali.

31. Petitio abbatis de Wolkenderode qui petit quod possit permutare vel locare quasdam possessiones minus utiles, cum tractatum habuerit diebus interpolatis cum suo conventu secundum continentiam statutorum papalium, ut apparet in instrumento publico con[fecto] super praemissis, committitur abbatibus Voallcenceyde et de Rifensten, quatinus ad locum personaliter accedentes solerter super praemissis se informent et inquirant utilitate praedicti monasterii pensata, sicut viderint expedire. Quidquid autem fecerint vel invenerint, studeant, sicut

cavetur in statutis, nuntiare et referre f[ideliter] sequenti Capitulo generali.

32. Petitio abbatis de Bellabrancha quod permutare possit quamdam medietariam [sive] domum agriculturam habentem, duo modia avenae annui redditus et quasdam possessiones steriles et inutiles, cum tractatum habuerit diebus interpositis cum c[onvent]u secundum continentiam statutorum papalium, ut apparet in instrumento publico confecto super praemissis, committitur abbati de Campania et de Ponte Otroni, quatinus diligenter inquirant super praemissis prout melius viderint expedire, et quid inde fecerint, vel invenerint fideliter renuntient in sequenti Capitulo generali.

33. Petitio abbatis de Valloliis qui petit quod, loco centum regalium auri concessorum monasterio suo pro redditibus emendis ad usum portae et pauperum ibidem affluentium, assignare possit officio portariae duos modios bladi in usus pauperum convertendos. Item, quod vendere possit viginti iornalia silvarum non caeduarum. Item, quod octo tenementa in valore exigua, quae retinere non possent commode ob potentiam et cum hanc displicentiam cuiusdam domini nobilis cuius subsunt tenementa domino possit ad firmam tradere perpetuo, cum per hoc dictus nobilis placaretur. Item, duas de domibus suis, videlicet Hayam et Bartam, quarum nulla sufficeret ad vitam unius religiosi condecenter sustinendum, possit ad firmam tradere unam pro viginti quatuor libris annuatim ad vitam cuiusdam mercatoris de partibus et sponsae, sic quod superstes coniugum dictam domum possideat ad vitam suam dumtaxat, ut dictum est, sub annua pensione. Aliam vero domum ad firmam trium modiorum bladi cum octo libris ad vitam cuiusdam armigeri de partibus persolvandis, secundum quod in instrumento publico super praemissis confecto continetur expressius, tractatu prius habito secundum continentiam statutorum papalium diebus interpolatis, secundum quod exigitur, cum conventu, committitur abbatibus de Longovillari et de Caricampo quatinus ad locum personaliter accedentes diligenter inquirant et se informent de praemissis, prout noverint monasterio expedire. Quidquid autem fecerint vel invenerint renuntient fideliter sub sigillis suis in sequenti Capitulo generali.

34. Petitio abbatis Bonaevallis Viennensis qui petit quod partem cuiusdam territorii pertinentis ad quandam grangiam suam

dictam Grilleriam minus ad praesens utilem sibi et suo monasterio, possit in emphiteosim vel infeodationem perpetuam tradere, cum tractatum habuerit diebus interpolatis secundum continentiam statutorum papalium cum conventu suo prout in instrumento publico confecto super hoc seriosius continetur, committitur abbatius de Vallecrescenti et de Valle benedicta, quatinus ad locum personaliter accedentes diligenter se informent et inquirant utrum tractatus huiusmodi expediat, etc., pro praesenti vel alias pro futuro. Quidquid autem fecerint, etc.

35. Petitio abbatis de Lococrescenti qui petit quod permutare valeat quoddam molendinum et quamdam petiam terrae in alias possessiones magis utiles suo monasterio, cum tractatum habuerit diebus interpolatis, iuxta continentiam statutorum papalium cum proprio conventu, secundum quod in instrumento publico confecto super hoc seriosius continetur, committitur abbatibus de Bellavalle et de Bethania quatinus, ad locum personaliter accedentes, invigilent inquirere super permutatione huiusmodi secundum quod monasterio viderint expedire. Quidquid autem, etc.

36. Petitio abbatis Vallis (Sancti) Richerii qui petit quod quasdam possessiones et decimas possit ultra quinquennium cum contraplegio tradere sub competenti annua pensione. Item, quamdam quantitatem avenae annuatim sibi debitae permutare ad certum censum pecuniae annui redditus competentem. Item, vendere unam pensionem panis et vini ad vitam quorumdam coniugum vel alterius eorumdem. Item, decem sol. annui redditus permutare cum totidem magis sibi utilibus, licet alibi situatis. Item, aliquos redditus in pecunia usque ad septem sol. vel circiter vendere, ut de pecunia alios emant redditus meliores, cum tractatum habuerit dictus abbas et conventus diebus interpolatis et aliis in statutis papalibus requisitis solemniter observatis, sicut patet liquidius per instrumentum publicum super praemissis confectum et oblatum Capitulo generali ; committitur abbatibus de Sancto Andrea et de Barbereyo quatinus locum adeant et diligenter inquirant si dicto monasterio appareat tractatus et contenta articulatim in eo convenire. Quidquid autem fecerint, etc.

37. Petitio nobilium dominarum Margaritae et Alienor de Sulyacho petentium quod corpus domini Odonis patris sui, repositum in abbatia (Sancti) Albiniaci in deposito, sibi restituatur, et quod abbas et conventus dicti monasterii ad restitutionem

huiusmodi compellantur, maxime cum dictus nobilis cum suis progenitoribus in alio monasterio Ordinis elegerit sepulturam. Committitur domino Pontigniacensi quatinus per se vel per alium, auditis partibus et partium rationibus hinc et inde, breve eisdem faciat iustitiae complementum. Quidquid autem fecerit, etc.

38. Petitio abbatis de Valle serena, qui petit quod possit permutare quasdam domos, casamenta et ipsarum aedificia cum quibusdam personis, secundum quod in instrumento publico confecto super hoc diebus interpolatis in processu iuxta papalium debitam continentiam statutorum; committitur abbatibus de Ponte et de Fonte vivo quatinus ad locum personaliter accedentes, assumptis secum visitatoribus domini Claraevallis, diligenter inquirant super permutatione huiusmodi secundum quod monasterio viderint expedire. Et quidquid inde fecerint, studeant fideliter referre sub sigillis suis, observatis diligenter contentis in statutis papalibus, in sequenti Capitulo generali.

39. Petitio abbatis Locedii qui petit quatinus cum abbates de Rippalta et de Sancto Andrea in nuper praeterito Capitulo generali impetraverint inspectores super quibusdam venditionibus quarumdam possessionum et iurium faciendis pro sui monasterii importabilibus debitis alienandis, qui quidem commissarii in suae commissionis officio minime processerunt, renovetur eorumdem auctoritas et potestas. Generale Capitulum eisdem praecipit et committit quatinus ad dictum monasterium Locedii accedentes iuxta primae diffinitionis tenorem in discussionis negotio procedant prout, salvis papalibus institutis, viderint oportere. Et quid inde, etc.

40. Petitio abbatis de Monasteriis in Argona qui petit quatinus, cum tractatum habuerit diebus interpolatis cum suo conventu iuxta papalia instituta, possit quasdam grangias ad suum monasterium pertinentes ultra quinquennium ad firmam tradere, vel ad censum. Item, redditus aliquos minus utiles in magis utiles permutare et pensionem ad vitam cuidam devoto ad eos pro evidenti utilitate vendere vel alias contrahere cum eodem. Abbatibus de Altofonte et de Insula barrensi committitur quatinus ad dictum monasterium de Monasteriis in Argona personaliter accedentes, de causis venditionum seu permutationum praedictarum diligenter inquirant, et salvis statutis papalibus, ordinent et inde faciant quidquid viderint dicto monasterio de Monasteriis in Argona expedire. Et quid inde fecerint, etc.

41. Petitio abbatis Vallis Sanctae Mariae de Sturzeburne qui petit quod, urgentibus sui monasterii debitis, possit quasdam pensiones usque ad summam trecentarum librarum denariorum argentinorum vendere ad vitam, ac venditiones domorum pro dictis debitis exsolvendis concedere aut facere; dentur sibi super hoc a Capitulo inspectores. Abbatibus de Novo castro et de Uterina valle committitur quatinus ad dictum monasterium accedentes, servatis papalibus institutis, ad discussionem earum praedictarum traditionum seu concessionum debite procedant et faciant quod noverint faciendum et viderint monasterio expedire, cum tractatum dictus abbas Sanctae Mariae cum conventu suo habuerit de praemissis, de quo Capitulo extitit facta fides et consensus patris abbatis intervenerit in eisdem.

42. Petitio abbatis de Sancto Benedicto in Vipria qui petit quatinus, cum monasterium suum debitorum sarcina sub usurarum voragine a suorum praedecessorum temporibus multipliciter sit oppressum, possit vendere domino Ioanni de Sancto Michaele presbitero curato de Pirons et Ydetae eius sorori ad vitam, et cuilibet ipsorum qui postremo vitam duxerit in humanis, domum de Longecawe, cum eius pertinentiis universis. Item, domumculam quamdam quam habet in Tullo, perpetuo vendere, vel in emphiteosim dare, praesertim cum tractatum habuerit cum conventu iuxta papalia instituta, ut poterit per instrumenta confecta super hoc inspectoribus apparere. Abbatibus de Excurio et de Vallibus in Ornesyo committitur quatinus ad monasterium personaliter accedentes de praemissis discutiant et inquirant diligentius veritatem, et inde faciant quod noverint utilitati dicti monasterii convenire, salvis papalibus institutis. Et quid inde fecerint, etc.

43. Petitio domini Morimundi qui petit quod possit vendere viginti et sex arpenta silvae non caeduae, super quo tractatum habuerit cum suo conventu, secundum papalia instituta, quem Capitulo praesentavit, manu publica et sub sigillis suo et conventus, dentur sibi commissarii inspectores. Abbatibus de Crista et de Bethania committitur quatinus ad monasterium personaliter accedentes inde faciant quod monasterio praedicto de Morimundo cognoverint expedire, salvis in omnibus papalibus institutis. Et quid inde, etc.

44. Petitio abbatis de Insula Barri qui petit quatinus, pro sui monasterii utilitatibus promovendis, possit certas possessiones,

redditus et iura quae possidet et habet in illis diversis a suo monasterio distantibus et sibi minus utilia, possit cum propinquioribus et magis utilibus commutare, cum super hoc cum suo conventu tractatum habuerit interpolatis diebus quem Capitulo praesentavit. Abbatibus de Crista et de Vallibus in Ornesio committitur quatinus ad dictum monasterium accedentes, causas dictarum permutationum studeant discutere et videre, et inde faciant quod viderint dicto monasterio de Insula Barri expedire, salvis papalibus institutis. Et quid inde fecerint, etc.

45. Petitio abbatis de Alba qui petit licentiam sibi dari ut possit grangias suas locare vel ad firmam tradere, seu censum ultra quinquennium, cum tractatum habuerit cum conventu. Abbatibus de Sturtezburne et de Mulembrune committitur quatinus ad locum praedictum de Alba accedant et inde faciant, salvis papalibus institutis, quod viderint utilitatibus dicti monasterii convenire. Et quid inde fecerint, etc.

46. Petitio abbatis de Porta qui petit quatinus, cum tractatum habuerit diebus interpolatis cum conventu, quem Capitulo praesentavit, detur sibi licentia vendendi quamdam suam domum in Effordia situatam pro suis debitis usurariis exsolvendis, et possessiones aliquas minus utiles in magis utiles commutandi, prout haec in instrumento tractatus liquidius inseruntur. Abbatibus de Sichem et de Bouch committitur quatinus ad dictum monasterium accedant et inde secundum formam statutorum papalium faciant quod viderint monasterii necessitatibus convenire. Et quid inde fecerint, etc.

47. Petitio abbatis Ygniaci qui petit quatinus cum suum monasterium sit a retroactis temporibus in multis pensionibus obligatum possit viginti quatuor arpenta silvae non caeduae ad sex annos, anno videlicet quolibet arpenta quatuor, vendere quo dictis pensionibus et sui monasterii necessitatibus sublevandis, cum tractatum diebus interpolatis habuerit cum conventu. Abbatibus de Longoponte et de Valleclara committitur quatinus ad monasterium de Ygniaco accedant et inde, secundum papalia instituta, facere studeant quod fuerit monasterio opportunum. Et quid inde, etc.

48. Petitio abbatis de Caricampo, qui petit quatinus, cum tractatum diebus interpolatis habuerit cum conventu, possit pro sui monasterii debitis persolvendis, octo iornalia silvae non caeduae venditioni tradere, et terras quatuor grangiarum sua-

rum ultra quinquennium ascensiare, prout in instrumento tractatus plenius continetur. Abbatibus de Valloliis et de Gardo committitur quatinus ad monasterium de Caricampo praedictum personaliter accedant et inde faciant et ordinent quidquid, servatis papalibus institutis, fuerit monasterio opportunum. Et quid inde fecerint, etc.

49. Petitionem nobilis dominae Ioannae de Sa(u)baudya, dominae de Gayo, continentem quod de prioratu monialium loci nostri Ordinis Gebenensis dioecesis, ordinetur abbatia monialium praedictarum, cum intendat dictam abbatiam bonis suis et eleemosynis fulcire pariter et dotare, generale Capitulum piae petitioni et devoto desiderio dictae nobilis quantum potest cupiens inclinare, patri abbati de Bonomonte et abbatibus de Alta crista et de Alpibus praecipit et committit quatinus ad dictum prioratum accedant et si locum ad huiusmodi repererint esse aptum, inde ordinent et faciant quod viderint opportunum, auctoritate Capituli generalis.

50. Dignum est et congruum rationi ut illis se ostendat generale Capitulum ad gratiam liberale quibus labor prolixior et vita laudabilis suffragantur ; hinc est quod generale Capitulum attendens qualiter abbas de Scala Dei triginta sex annis monasterium suum tam fideliter quam laudabiliter rexerit, morum laudabilium suffultus honore, ad petitionem domini Morimundi cum ipso ut a generali Capitulo usque ad continuum quinquennium valeat remanere, ducit tenore praesentium misericorditer dispensandum.

51. Cum dignum sit sanctos Dei in regnis coelestibus constitutos sollicitis attolli honoribus et congruis laudibus venerari ; eapropter generale Capitulum petitioni piae illustris principis domini marchionis Moraviae favorabiliter annuens, statuit et diffinit quatinus in singulis domibus nostri Ordinis in regno Bo[h]emiae constitutis, duae missae de cetero de sancto Procopio devotionis affectibus celebrentur.

52. Pensionis annuae concessionem fratri Ioanni Malpaz, monacho de Crista quondam abbati de Insula barrensi per patrem abbatem de Sancto Benedicto et abbatem qui sibi successit, de consensu seniorum domus, verum etiam totius conventus de Insula barrensi tamquam benemerito factam, prout in litteris super hoc confectis expressius continetur, generale Capitulum ratificat, approbat et confirmat sibi soluturam, praecipiens idem

Capitulum quamdiu vitam duxerit in humanis omni difficultatis obstaculo procul misso.

53. Petitio abbatis Cedelicensis qui petit quatinus pecuniam ex uno suo molendino vendito redactam, possit in suorum gravium debitorum solutionem convertere, sui monasterii consideratis oneribus, favorabiliter exauditur.

54. Petitio domini comitis Sabaudiae qui petit quod, cum ad petitionem bonae memoriae patris sui, abbas et conventus Altaecumbae sibi très missas in capella dictorum comitum diebus singulis pro remedio animarum progenitorum suorum concesserint perpetuo celebrandas, cum ipse pro tribus monachis dicto monasterio sufficientes redditus assignaverit, dicta concessio per generale Capitulum confirmetur, ob dicti domini comitis illustrem reverentiam, exauditur, dictamque concessionem confirmat et ratificat Capitulum generale.

55. Cum iuxta dictum Apostoli nemini cito manum imponere debeamus, hinc est quod attendens generale Capitulum qualiter abbas Locedii et iam, ut dicitur, suspensus, abbatem de Iubino virum vitae laudabilis ac etiam bonae famae, prout Capitulum extitit multorum bonorum testimonio informatum, indeliberato consilio ab administratione suspenderit, ac tres novitios bonae indolis emiserit minus iuste, praedictas suspensionem et emissionem revocat et annullat praedictum Capitulum generale, dictis novitiis revertendi ad locum, ubi Deo debitum elegerunt reddere famulatum, liberam tribuens facultatem.

56. Cum unumquemque deceat in suo laudabili proposito confoveri, hinc est quod generale Capitulum piae petitionis instantiae fratris Bernardi Petri conversi monasterii de Vallemagna, eleemosynarii domini nostri Papae, annuens, ordinat et diffinit quatinus in quadam capella ipsius monasterii, cui multa bona contulit pro altari inibi construendo, cum dominus ipsum vocaverit ab humanis valeat libere sepeliri.

57. Petitio abbatis de Novo campo qui petit quod possit quasdam possessiones minus utiles cum utilioribus permutare. Item, possessiones quas habent in ducatu Steviensi in emphyteosim concedere et sibi super hoc commissarii deputentur, abbatibus de Dargon et de Dobran committitur quatinus ad praefatum monasterium personaliter accedentes, inde faciant quod viderint monasterio, consideratis debitorum oneribus, expedire. Et quid inde fecerint, etc.

58. Petitio abbatis de Dargon qui petit licentiam sibi dari ut valeat quasdam possessiones minus utiles pro utilioribus permutare, et quasdam pensiones ad vitam vendere, et sibi super hoc commissarii deputentur, abbatibus de Stolpa et de Novo campo committitur quatinus ad dictum [monasterium] accedentes in huiusmodi, salvis statutis papalibus, sic se habeant prout monasterio fore viderint opportunum.

59. Petitio abbatis de Hymmerode qui petit quatinus, cum suum monasterium sit guerrarum turbinibus aliisque infortuniis ac [per] vini et bladi decrescentiam notabiliter tenuatum, a susceptione hospitum usque ad triennium excusetur, benigniter exauditur.

60. Petitio abbatis monasterii Caraevallis prope Mediolanum qui petit quod, cum pro abbate et conventu monasterii Sanctae Mariae de Strata undecim florenos solvit, de cuiusmodi solutione habet, ut asserit, legitimam apodissam, quos quidem florenos abbas qui nunc praeest regimini praedicti monasterii Sanctae Mariae de Strata solvere penitus recusavit; committatur alicui nostri Ordinis abbati, qui praefatum recusantem ad solvendum dictos florenos dicto abbati Caraevallis coerceat et compellat auctoritate Capituli generalis ; generale Capitulum huiusmodi coercitionem abbati de Palliano, informatione super hoc recepta primitus vocatis qui fuerint evocandi, committit in plenaria potestate.

61. Petitio abbatis de Meyra in Galecia qui petit quatinus, cum suum monasterium mole gravium debitorum et guerrarum insultibus multipliciter sit oppressum, a prima vice qua tenebitur venire ad Capitulum excusetur, attentis suae probitatis meritis et labore quem veniendo ad praesens generale Capitulum est perpessus, benigniter exauditur.

62. Concessionem annuae pensionis fratri Ioanni de Golonis fontibus, monacho et quondam abbati Karoliloci, factam per abbatem et conventum cum consensu patris abbatis ut in quibusdam litteris sigillis eorum roboratis lucidius continetur, generale Capitulum ratificat et confirmat ut inconcussa maneat pro futuro.

RELATIONES

63. Relationem abbatum de Bullencuria et de Monasteriis in Argona commissariorum Capituli generalis, necnon et abbatis

Trium fontium a domino Claraevallis quoad hoc deputati, super eo quod abbas et conventus de Moris petierunt a Capitulo generali licentiam sibi dari quod possint sex sextarios per modium frumenti et siliginis sui annui redditus in certam quantitatem avenae permutare, ac pro uno modio bladi, vini, valorem recipere, quasdamque terras ad sui monasterii grangias pertinentes ultra quinquennium certis personis tradere seu ad vitam vel in emphyteosim perpetuam assignare, prout haec omnia in instrumento tractatus et relatione plenius continetur, cum per omnia rite et debite sit processum, generale Capitulum approbat et confirmat.

64. Relationem domini Claraevallis patris abbatis et magistri Bernardi de Fusniaco et de Loco Sancti Bernardi abbatum, commissariorum Capituli generalis, super eo quod abbas et conventus de Villari in Brabantia petierunt a Capitulo licentiam sibi dari quod possint grangias suas ad firmam seu censam ultra quinquennium certis personis tradere et quasdam terras sparsim iacentes et ad monasterium suum spectantes utilius permutare, prout haec in instrumento tractatus clarius continetur, tamquam eamdem rite factam generale Capitulum approbat, ratificat et confirmat.

65. Cum in electione fratris Lewelini in abbatem de Strataflorida per abbatem de Blanchalanda inibi celebratam vendicasse sibi locum error intolerabilis diceretur, ideo in generali Capitulo super praeterito de Bello loco Regis et de Thama commissum extitit ut de huiusmodi studeant inquirere veritatem, quidquid commissarii electionis praedictae meritis perlustratis, electionemque de fratre Lewelino facta extiterat tamquam canonicam auctoritate Capituli confirmaverunt, prout Capitulum per processus inspectionem extitit informatum. Et quia dictum Capitulum commissarios antedictos, diligenti examine praehabito, reperit per aequitatis semitam incessisse, idcirco confirmationem quam de electione praedicta fecerunt, cum suis dependentiis, generale Capitulum ratificat ac etiam reconfirmat, cum nihil fuerit per partem adversam propositum vel etiam in contrarium allegatum.

66. Relationem abbatum de Villari in Brabantia et de Alna commissariorum Capituli generalis quoad hoc, et domini Claraevallis patris abbatis, super eo quod abbas et conventus monasterii de Camberone possint quoddam molendium et unum tor-

cular in emphyteosim sub annuo censu tradere. Item, quasdam terras et redditus in fundatione trium capellaniarum assignatas amortizare, prout in tractatu et relatione facta Capitulo plenius continetur, cum omnia rite processerint, generale Capitulum ratificat cum modificationibus in relatione positis et confirmat.

67. Relationem abbatum de Dargon et de Novo campo, commissariorum Capituli generalis, factam generali Capitulo super eo quod abbas et conventus de Dobran possint quaedam ligna fagina et dispersa vendere, ac grangias suas in villas mutare et in certos redditus emphyteoticos convertere, prout in tractatu et relatione praedicta plenius continetur, generale Capitulum approbat et confirmat.

68. Ordinationem factam per dominum Morimundi super discordia quae inter abbatem et conventum Bellaevallis ex una parte et filios suos abbatem et conventum de Caritate in Burgundia vertebatur, occasione pensionis annuae viginti quatuor librarum stephanen., tamquam partibus utilem et honestam, generale Capitulum approbat et confirmat.

69. Permutationem quarumdam possessionum et iurium immobilium ad monasterium Sanctae Mariae de Regali valle versus Neapolim spectantium, in civitate Neapoli confino et territorio situatarum, factam per abbatem et conventum dicti monasterii pro bono pacis et utilitatem monasterii praelibati, cum nobili et potenti viro domino Constantino de Cava milite, illustrissimae ac serenissimae dominae Ierusalem et Siciliae reginae thesaurario, pro quibusdam possessionibus et iuribus immobilibus et feodalibus vassallis burgensalibus et censualibus ad dictum dominum Constantium hereditarie spectantibus in villa, territorio et confinio Strignam situatis cum possessionibus, conditionibus et cautelis in publico instrumento confecto super hoc comprehensis, generale Capitulum ex speciali gratia ratificat, approbat et confirmat.

70. Relationem abbatum de Luczela et de Maristella subrogati loco abbatis Aurorae, commissariorum generalis Capituli, nec non abbatis Sancti Urbani commissarii abbatis Altaeripae, patris abbatis monasterii de Capella super venditione, alienatione et permutatione quarumdam possessionum praedicto monasterio de Capella minus utilium, secundum quod ex assensibus tam abbatis quam conventus in instrumento publico, iuxta formam statutorum papalium, habetur seriosius confecto super

praemissis, dictorumque abbatum approbationem, confirmationem et processum ; cum rite se habuerint, observato sollicite et seriatim tenore statutorum papalium, sicut patet evidenter instrumento videntibus et processum, generale Capitulum, quantum potest, ratificat et confirmat apponendo in praemissis assensum, si expediat, et decretum.

71. Relationem abbatum de Frigido monte et de Regali monte, commissariorum generalis Capituli, nec non domini Pontigniacensis patris abbatis monasterii Karoliloci, super venditione per abbatem et conventum praedicti monasterii Karoliloci quatuor pensionum panis Ioanni Bridoul singulis septimanis persolvendis quamdiu idem Ioannes fuerit in humanis ; super traditione duarum mensurarum inutilium vel quasi monasterio in emphyteosim perpetuam. Item, super traditione ad censum annuum sexdecim arpentorum terrae minus sibi utilium. Item, trium domuncularum iam ruina notabili collapsarum, cum hortulo adiacenti ad vitam trium personarum sub annua, quamdiu vixerint, pensione, secundum quod in instrumento publico confecto super praemissis de assensu et voluntate conventus seriosius secundum continentiam statutorum papalium continetur ; dictorumque abbatum approbationem, confirmationem et processum, cum rite se habuerint et debite attenderint ad statuta papalia, sicut patet evidenter ex instrumento publico praesentato Capitulo generali factum et facti seriem ex integro continenti, dictum generale Capitulum, quantum potest, ratificat et confirmat, apponendo in praemissis assensum, si expediat, et decretum.

72. Relationem abbatum de Rupibus, de Callovio commissariorum Capituli generalis, abbatis Fontis Ioannis commissarii domini Pontigniacensis, patris abbatis monasterii Boni radii super ea quae sequuntur, videlicet super permutatione quarumdam possessionum remotarum ad alias propinquiores et, ut referunt, plurimum meliores. Item, super traditione in emphyteosim quarumdam possessionum minus sibi utilium sub pensione annua imponenda. Item, super traditione ad firmam vel pensionem annuam ultra quinquennium quarumdam possessionum sterilium et quasi inutilium, ut videtur. Item, super licentia vendendi quadraginta arpenta de silvis suis non caeduis secundum quod in instrumento publico confecto super praemissis de assensu et voluntate conventus seriosius iuxta formam statutorum papalium

abuser pluseurs gens travillier on defende q̄ nus
p̄vincies ne autre p̄sone del ordene ne ose nullui
del ōre ɔ̄siliateur se ce nest del ɔ̄selle labbeit et sil nest
del p̄sident et del ɔ̄selle et assentemēt des aneis delle
maison. Quiconques ferat le contraire fach .iij. iour
le legier coupe pain et eawe ses dispensatiō por
fois. L an .m. lij. fut ordineit. Come aucuns
monies veulent avoir p̄pueteit. preis tres z vielles
et le siut zc. On comāde q̄ tot chu soit convertis
en comūn p̄fit delle abbie. Et se le dis monies sub-
rebelles sor chu tāt quil le seroit soyent mis en carchre
auecq̄ les pomes ɔ̄tenues en status le pape benoit
L an .liij. Nus abbes eluis ne pas fors de son
abbie ne autre p̄sone qui fach alleurs p̄fession
desormais ne doit riens porter aueck li ne recevoir
des biens delle abbie doit il soy partir q̄ pou q̄ ce
soit sens le volenteit del p̄pre abbeit. Cils q̄ feront
le contraire soyent escomengnies de leur fet meisme
nō obstant quil tenent soi chu lies q̄ nient ne
suffir al capitele gn̄ale.
L an .lv. Come en aucuns abbies de nonains
soit vseis contre le puriteit del ordene de far festes

Ex ms. 3896 (5038-39) Bibl. reg.
apud Bruxellas *(B¹)*

Ex ms. abb. cist. S. Anastasii
in suburbio romano,
nunc in Bibl. nat. Paris. sub n° 1402 n.a.l. *(P⁸)*

continetur, dictorumque abbatum approbationem, confirmationem in praemissis habitus et processum, cum rite observaverint ordinem iuris et statuta papalia, sicut patet evidenter in instrumento publico exhibitio Capitulo generali, factum et facti seriem, dictum Capitulum quantum potest, ratificat et confirmat, apponendo processui et actitatis per eos consensum si expediat, et decretum.

73. Relationem domini Pontigniacensis patris abbatis Callovii, de Bono radio et de Rupibus monasteriorum abbatum, commissariorum generalis Capituli, super eo quod abbas et conventus Callovii petierunt anno praeterito a Capitulo quod quasdam possessiones quasi steriles et inutiles existentes in territorio Bonerufe et alibi, possent ad annuum censum tradere vel alias ut ecclesiae viderint expedire. Item, quod aliquas possessiones a locis suis distantes possint cum aliis propinquioribus permutare. Item, quod alias hereditates vel possessiones sicut domos et cetera possent concedere ultra quinquennium ad modiationem vel firmam annuatim ecclesiae persolvendam, secundum quod in instrumento publico super praemissis confecto, iuxta formam statutorum papalium, continetur, dictorumque abbatum approbationem et confirmationem, cum rite observaverint ordinata in statutis papalibus, factum et facti seriem generale Capitulum, quantum potest, ratificat, apponendo processui et actitatis per eos consensum, si expediat, et decretum.

74. Relationem abbatum Uterinae Vallis et de Osterbourch, commissariorum generalis Capituli, et de Erberbarch patris abbatis monasterii de Sconowya super ea quae sequuntur, videlicet traditione quarumdam possessionum sterilium ad vitam dumtaxat certarum personarum, alienatione quarumdam possessionum minus utilium et permutatione aliarum, secundum quod in processu et instrumento publico super praemissis confecto, iuxta formam statutorum papalium, liquidius continetur, dictorumque abbatum confirmationem et processum cum rite seriem statutorum papalium attenderint, generale Capitulum approbat et ratificat apponendo processui et actitatis per eos consensum, si expediat, et decretum.

75. Relatione abbatum Sancti Marcelli et de Garda Dei, commissariorum generalis Capituli, super permutatione quarumdam rerum et possessionum contingentium monasterium de Obazina per abbatem et conventum praedicti monasterii facienda,

secundum quod in processu et instrumento publico res et possessiones, observato tenore seriatim statutorum papalium, et alia actitata lucidius continetur, dictorumque confirmationem et processum et quidquid inde sequitur generale Capitulum approbat et ratificat apponendo processui et actitatis per eos consensum, si expediat, et decretum.

PUNITIONES

76. Sententiam depositionis et processum factum contra fratrem Ioannem Poulons, tunc abbatem monasterii de Paludis in Sardinia, per abbatem de Paliano, generale Capitulum, visis diligenter processibus et processuum seriem ratificat et confirmat.

77. Sententias depositionis et excommunicationis latas in abbatissam de Soldebonocz et quasdam officiales ipsius moniales et alios processus contra easdem abbatissam et moniales per abbatem de Luczela factos, generale Capitulum ratificat et confirmat, committendo eidem abbati de Luczela secundario quod dictas abbatissam et moniales denuntiari procuret in capitulis Ordinis locorum adiacentium, quamdiu in sua rebellione [perseveraverint] depositas ab administrationibus suis et excommunicatas tamquam inobedientes Ordini contumaciter et rebelles. Insuper procedat ad reformationem loci auctoritate Capituli per institutionem abbatissae et officialium, secundum quod loco illi viderit et honestati Ordinis expedire. Si vero dictae abbatissa et moniales redirent ad obedientiam et unitatem Ordinis, sibi liceat cum ipsis super sententiis et depositionibus, vice generalis Capituli, dispensare.

78. Reformationem studii Oxoniensis in Anglia tam in capitibus quam in membris personarum regularium et scolarium inibi commorantium, abbatibus de Bello loco regis et de Walleya, sacrae theologiae magistris, committit Capitulum generale in plenaria Ordinis potestate, adiiciens dictum Capitulum ut abbates non mittentes ibidem scolares, ut tenentur, secundum quod in statutis papalibus continetur, ad dupli praestationem compellere non postponant.

79. Reformationem monasterii de Bongartum, Argentinensis dioecesis, in quo dicuntur plurima execrabiliter deformata, domino Morimundi per se vel per alium per punitionem, emissionem vel alias committit Capitulum generale in plenaria Ordinis potestate.

80. Dispersionem monasterii de Alba miserabiliter desolati usque ad triennium, patri abbati de Novo castro committit Capitulum generale in plenaria potestate.

81. Dispersionem monasterii de Novo campo, debitorum oneribus gravibus oppressi, committit generale Capitulum patri abbati de Campo cum modificatione diffinitionis anni praeteriti, in plenaria potestate.

82. Relevationem monasterii Altaesilvae personarum regularium oneribus et voraginibus debitorum lamentabiliter et quasi irreparabiliter desolati, per alienationem, dispersionem vel alias, generale Capitulum patri abbati committit per se vel per alium in plenaria Ordinis potestate.

83. Relevatio monasterii de Grandi prato, ex multis infortuniis vicinanti importuno collapsui, committitur patri abbati de Villari in Brabantia quatinus ad monasterium personaliter accedens, invigilet circa relevationem dicti monasterii per dispersionem personarum regularium abbatiae vel per alia remedia in plenaria Ordinis potestate.

CITATIO

84. Abbates Sancti Salvi et de Blanchalanda qui citati ad praesens Capitulum non venerunt, nec excusationes sufficienter miserunt, citat generale Capitulum ad sequens immediate Capitulum, suam ibi allegaturos excusationem vel alias iuxta sua demerita recepturos talionem. Patribus autem abbatibus eorumdem committitur quatinus dictis abbatibus huiusmodi studeant opportunis temporibus intimare, et super haec relationem facere in sequenti Capitulo generali.

COMMISSIO

85. Cum inter abbatem de Columba ex una parte et fratrem Ioannem Scoti eius monachum ex alia, vertatur quaestio dicto abbate scilicet asserente quod dictus frater Ioannes non est monachus Ordinis, ex eo quod cum fuerit de Ordine Fratrum Minorum non habuerit licentiam transeundi ad nostrum Ordinem ordinatam, et e contra dictus frater Ioannes asserat se habuisse et habere dictam licentiam ordinatam et sufficientem, et de ea faciat et coram domino cardinali nostro tunc legato fecerit plenam fidem, et per consequens esse verum monachum Ordinis et mo-

nasterii memorati. Ad petitionem dominorum de Mediolano, Capitulum inclinatum committit abbati de Palliano quod auctoritate generalis Capituli possit dictam controversiam terminare et facere iustitiae complementum, in plenaria Ordinis potestate.

ORATIONES PRO VIVIS.

86. Pro sanctissimo in Christo patre ac domino domino Clemente divina providentia romanae et universalis Ecclesiae summo pontifice, dicantur tres missae : una de Sancta Cruce, secunda de Sancto Spiritu, tertia de Beata Virgine, a singulis sacerdotibus Ordinis universi.

87. Pro reverendis in Christo patribus et dominis cardinali albo, Boloniensi, Hostiensi, Sabinensi, Portuensi, et aliis cardinalibus, dicantur tres missae, una de Sancto Spiritu, secunda de Sancta Cruce, tertia de Beata Virgine, in singulis domibus Ordinis universi.

88. Pro reverendis in Christo patribus et dominis dominis Lugdunensi, Viennensi, Bituricensi, Senonensi, Cabilonensi, Gebennensi, et aliis dominis archiepiscopis et episcopis, dicantur duae missae, una de Sancto Spiritu, alia de Sancta Maria, in singulis domibus Ordinis universi.

89. Pro illustrissimo ac potentissimo principe domino Dei gratia rege Francorum, regina et liberis, dicantur tres missae, una de Sancto Spiritu, alia de Sancta Cruce, tertia de Beata Virgine, a singulis sacerdotibus Ordinis universi.

90. Pro illustrissimo principe domino rege Angliae, regina ac liberis dicantur tres missae, una de Sancto Spiritu, alia de Sancta Cruce, tertia de Beata Virgine, a singulis sacerdotibus Ordinis universi.

91. Pro domino rege Hispaniae, regina et liberis, domino rege Portugalliae, regina et liberis, domino rege Siciliae, regina et liberis, regina Navarrae et liberis, Ioanna regina quondam Franciae et liberis, dicantur duae missae, una de Sancto Spiritu, alia de Beata Virgine, in singulis domibus Ordinis universi.

92. Pro domino duce Burgundiae, ducissa, domino Philippo filio eorum, ac domina comitissa Boloniae uxore eiusdem, dicantur duae missae, una de Sancto Spiritu, alia de Beata Virgine, a singulis sacerdotibus Ordinis universi.

93. Pro domino comite Flandriae, domino comite Sabaudiae, domino Gebenensi, comitissa et liberis, domino Ludovico de

Sabaudia, uxore et liberis, domino comite de Derbi, comitissa et liberis, dicatur una missa de Sancta Maria in singulis domibus Ordinis universi.

94. Pro illustrissima domina domina Ioanna de Valesyo comitissa Hannoniae et moniali monasterii de Fontinellis nostri Ordinis, dicatur una missa de Sancto Spiritu, in singulis domibus Ordinis universi.

ORATIONES PRO DEFUNCTIS.

95. Pro sanctissimo patre nostro domino Benedicto papa defuncto, pro domino rege Navarrae nuper defuncto, domina ducissa Britanniae nuper defuncta, domino comite Sabaudiae nuper defuncto, dicatur una missa a singulis sacerdotibus Ordinis universi.

96. Pro domino I, de Pontino quondam comite de Albamala, domina Elisabeth quondam ducissa Austriae, dicatur una missa in singulis monasteriis Ordinis universi.

97. Summa de missis dicendis singulis sacerdotibus pro vivis : quatuor de Sancto Spiritu, tres de Sancta Cruce, quatuor de Beata Maria. Item pro vivis, in singulis domibus : quatuor de Sancto Spiritu, una de Sancta Cruce, et quatuor de Beata Maria.

98. Summa de missis dicendis a singulis sacerdotibus pro defunctis : una. Item, pro defunctis in singulis domibus : una.

1345

Clementis papae VI ad capitulum generale cisterciense litterae [a].

Dilectis filiis Cisterciensi eiusque coabbatibus in generali Cisterciensi Capitulo congregandis, salutem.

Dum candidatum vestri Ordinis exercitum in castris claustralibus virtuose militantem Domino mentis oculis aspicimus et qualiter armis praecinctus divinis, devotarum scilicet orationum suffragiis, adversus hostium malignorum insidias continuis dimi-

[a] Ex Martène, *Amplissima Collectio*, t. I, col. 1455 ; in marg. not. : *Circa* 1345 ; *ex ms. Colbertino.*

care vigiliis, ne hostium ipsorum succumbat insultibus, non desistit, paternae meditationis intuitibus contemplamur, merito ad prosperum statum ipsius Ordinis, per cuius operationes salubres in agro dominico uberes fructus crescunt, afficimur, desideriis optantes intensis, ut Ordo ipse spiritualibus incrementis proficiat, et temporalibus subsidiis non decrescat. Ideoque universitatem vestram rogamus, monemus, et attentius in Domino exhortamur, quatinus in instanti vestri generalis congregatione Capituli, ad ea quae Dei sunt, ac religionem fovent et nutriunt, adeo sint corda vestra concordia, et opera manifesta, quod interius religionis veritas et exterius famae integritas conserventur. Et licet supponamus indubie, quod vos paternum, quem ad vos gerimus, orationum intercessionibus recompensetis affectum, exhortationibus tamen praedictis adiicimus, ut in eodem Capitulo precum devotarum instantias ad Dominum humilitate spiritus effundatis, et effundi per totum Ordinem statuatis, quod ipse qui solus est potens, et in cuius ditione cuncta sunt posita, turbatum mare mundi huius guerrarum, et dissentionum tempestuosis fluctibus sua ineffabili pietate quietet, ut fideles in pacis pulchritudine et fiduciae tabernaculis quiescentes, ipsum pacis auctorem devotius, et crebrius operibus pietatis intendant, malorum timore sublato, nobisque ad perferendam apostolici oneris sarcinam humeris nostris impositi virtutem tribuat, et imbecillitatem nostram suae potentiae fortitudine fulciat et sustentet, ut gregem dominicum curae nostrae commissum, iuxta suum beneplacitum, in viam salutis dirigere, ac tandem post laboriosos praesentis vitae decursus, cum rege ipso quietis perennis mercede perfrui feliciter valeamus. Datum...

STATUTA

Anno [a] Domini millesimo trecentesimo quadragesimo quinto statuta sunt haec apud Cistercium in Capitulo generali.

1. Primo, cum inveteratae consuetudinis auctoritas iuxta legitimas sanctiones legum seu statutorum interpres censeatur, et quidam nostri Ordinis innitentes textui Clementinae dicentes quod statuta Capituli non ligant, nisi in sequenti Capitulo ipsius Ordinis confirmentur, dubitationis materiam assumpserunt, asserentes se vel alias personas Ordinis per statuta huiusmodi non

---

1345. *Fontes* : *V* : 1-4 ; *W* : 1-5. [a] *Titulus apud V tant.*

ligari, nisi, ut praemittitur, firmiter fuerint in sequenti Capitulo confirmationis robore communita. Idcirco generale Capitulum hanc ambiguitatis caliginem de cordibus haesitantium cupiens amovere, sic declarat, quod ab antiquo Ordo noster eiusque Cisterciense Capitulum generale sic intelligere ac tenere consuevit : quod statuta Capituli generalis postquam fuerint edita et in Capitulo promulgata, ligant adeo, quod nisi in sequenti Capitulo expresse revocata fuerint, censentur tacite confirmata.

2. Item, cum crassa ignorantia non excuset, tamen ut velamen excusationis tollatur a negligentibus vel se asserentibus ignorare, patribus abbatibus et commissariis Ordinis universi districte praecipit Capitulum generale, ut diffinitiones cuiuslibet anni tam generales quam speciales illis, quos tangunt, aut pro quibus fuerint editae, per se vel per alium praesentare studeant singulis gradatim in monasteriis sibi immediate subiectis vel commissatis, et in eorum capitulo explicare sive publicare infra competentem terminum citra annum ordinationis ipsarum ; iniungatque abbati, si praesens fuerit, alias priori et cantori, ut earum copiam accipiant sibique retineant et observent. Alioquin tam tradere copiam quam accipere suis sumptibus negligentes, tribus diebus, uno eorum in pane et aqua, faciant levem culpam in *Libello* et annalibus constitutam. Quae donec fecerint, vel diffinitiones ipsas habuerint, gradum altaris ascendere non praesumant.

3. Item, ne audacia seu contumacia appareat impunita, domino Cistercii et quatuor primis generale Capitulum committit quatinus, quilibet generationem suam per providos et discretos viros faciat perlustrari et diligenter inquiri de abbatibus, qui a tempore Benedictinae de Capitulo sine causa rationali remanserunt vel se minus legitime excusaverunt, receptis primitus a dictis providis iuramentum, quod in dicta inquisitione et relatione Capitulo facienda fideliter se habebunt.

4. Item, ut personae Ordinis hospitalitatis consuetae beneficio non fraudentur, statuit generale Capitulum et diffinit, quod licet nonnunquam idem Capitulum nonnullis abbatibus et conventibus, eorumdem monasteriorum utilitate pensata, concedat, quatinus grangias suas vel villas valeant, cum expedire viderint, mutare ; tamen de intentione Capituli non existit, quin locus ad hoc congruus reservetur pro hospitalitate personis Ordinis facienda, secundum morem ibidem hactenus observatum, cum concessiones

huiusmodi, ubi aliud non exprimitur, intelligi debeant sine iuris praeiudicio alieni.

5. Relationem de Volkederode et de Rifenstein abbatum de commutatione bonorum in Walkenreidensi abbatia facta approbat et confirmat Capitulum generale, dando licentiam permutationem ad utilitatem monasterii faciendi.

1346

Anno [a] millesimo trecentesimo quadragesimo sexto statuta sunt haec apud Cistercium tempore Capituli generalis.

1. In primis, cum veritatis sit verbum organo dominicae vocis [b] prolatum : vae esse homini per quem scandalum venit ; et fuerit alias distinctum, quod exeuntes de nocte monasterium vel grangias tamquam comprehensos in carnis contagio puniantur, maiora autem scandala oriuntur ex hiis, qui plurimum subiacent obtutibus, et resultant vehementius in contemptum : statuit Capitulum generale quod quicumque monachus vel conversus sine licentia generali vel speciali portas monasterii praesumpserit de die egredi, si reversus etiam fuerit ipso die, nihilominus pro fugitivo habeatur, recipiatur in porta et ultimus omnium teneatur. Si vero diabolo instigante, aliunde quam per portam egressus fuerit, tamquam comprehensus in carnis contagio puniatur. Et haec diffinitio ad moniales Ordinis universi potissime extendatur.

2. Item, cum tanto sit transgressio mandatorum graviori poena condigna, quanto damnabilius in gradum committitur altiorem, et ad generalis Capituli notitiam sit deductum, quod in aliquibus monasteriis contra papalia [c] statuta, priores, cellerarios et aliquos monachos extra infirmitorium cameras appropriatas habere, in quibus comedunt, pernoctant et invitant, quod volunt, ad esum carnium sine proprii abbatis licentia, dicentes sibi hoc licere de consuetudine usitata ; carnes sibi quoque postulant certis diebus vel temporibus ministrari ; idem Capitulum districte praecipit et iuiungit abbatibus Ordinis universi, ut in hiis et aliis papalia [c] statuta faciant observari, transgressores per amotionem a suis officiis vel alias, ut meruerint, puniendo. Declarat Capitulum

---

1346. *Fontes* : *V* : 1-3 ; *W* : 1-4. [a] *Titulus apud V tant.* [b] voce : *W*.
[c] principalia : *W*.

generale quod, abbatibus in monasteriis existentibus, nulli liceat sine voluntate abbatis carnes comedere vel dare licentiam comedendi, abbatibus sponte cedentibus vel personis aliis solemnibus, quibus concessum fuerit, dumtaxat exceptis in omnibus memoratis.

3. Item, cum aequitatis debito suadente, ut qui simul volunt vivere, simul etiam statuto termino habeant imbursare ; quapropter Capitulum generale ordinat et diffinit ut quilibet abbas pro bursa sui scolaris viginti libras turonensium mittere non differat Parisius infra terminum in statutis papalibus [d] constitutum sub poenis in eis comprehensis. Alioquin scolari, pro quo dictae viginti librae, ut praemittitur, missae non fuerint, nihil de communi substantia ministretur. De quibus etiam viginti libris scolaris quilibet imbursabit in principio studii, quantum ad magistrum, provisorem et baccallarios, qui legerint sententias, concordatur. Qui si hoc studio sine imbursatione post festum Omnium Sanctorum remanserint, sententiam excommunicationis se noverint incurrisse ; et nihilominus per magistrum, provisorem et baccallarios praedictos sub poena praedictae excommunicationis latae sententiae, post dictum festum de dicto studio expellantur. Magistros autem sacrae theologiae non vult Capitulum praesentibus ordinationibus alligari.

4. Quoniam quibusdam dubium videbatur, *etc.*, *ut supra ann. 1343 et cf. nota k.*

1347

Anno [a] Domini millesimo trecentesimo quadragesimo septimo statuta sunt haec apud Cistercium in Capitulo generali.

1. In primis, compendium christianae fidei cupiens Capitulum generale in missarum solemniis frequentari, statuit, ordinat et diffinit quod in singulis festivitatibus, in quibus sermo in capitulo solet haberi, *Credo in unum Deum* in missa solemniter decantetur.

2. Item, compassionis oculo intuens Capitulum generale multorum monasteriorum discrimina, destructiones fere omnimo-

---

[d] principalibus : *W*.

1347. *Fontes* : *V* : 1-7 ; *W* : 1-10. [a] *Titulus apud V tant.*

das et damna gravissima propter guerras, proh dolor ! regiones multimodas modernis temporibus atque praeteritis temporaliter devastantes, domino Cistercii et quatuor primis, cuilibet in generatione sua, committit et permittit, ut monasteriis sic desolatis providere valeant per dispersionem conventuum, alleviationem personarum, vel alias prout viderint expedire, in Ordinis plena potestate, ita tamen, quod dispersiones per triennium fieri valeant et non ultra.

3. Item, quoniam cuius vita despicitur, restat ut et consilium contemnatur : criminosos quoscumque [b] et qui publicas poenitentias peregerunt, inhibet Capitulum generale ad consilium in Ordine evocare. Qui si forte se immiscuerint et contradixerint aliis famae sanioris et vitae, statuit Capitulum quod proborum et saniorum teneatur consilium, contradictione talium non obstante.

4. Item, errorem radicatum in cordibus dicentium, quod ad testificandum contra religiosos quoscumque Cisterciensis Ordinis admitti non debeant saeculares, tamquam rationi dissonum, evellens Capitulum generale declarat non esse intentionis ipsius Capituli, quin saeculares aut alterius religionis personae honestae admittantur ad testimonium contra quascumque personas Ordinis, si legitimum aliud non obsistat.

5. Item, cum inter cetera vitia inobedientia sit gravius punienda, et ad generalis Capituli notitiam cum querimonia sit delatum, quod aliqui abbates litteras contributionum, quae eis imponuntur, vel per quas interdum citantur ad Capitulum generale, sigillare renuunt, a superioribus viva voce per ipsas litteras requisiti, ordinat Capitulum generale quod tales rebelles gradum altaris ascendere non praesumant, quoadusque litteras sigillaverint memoratas, nisi causam valuerint allegare, quare sigillare minime teneantur ; ad quam praetendendum eis nunc citantur ad tunc sequens Capitulum generale.

6. Item, cum consuetudinis ususque longaevi temporis non sit vilis auctoritas, praesertim ubi iuris auctoritate fulcitur, et a prima fundatione Ordinisque institutione generaliter fuerit observatum ac iure canonico declaratum, quod officiales quicumque ipsius Ordinis possint de facili a suis administrationibus amoveri, et quia plures ambitiosi, ne dum sibi officia ad vitam vel aliter

[b] quosque : *W*.

procurare, scilicet ne amoveri valeant, praesumant impetrare ; et si amovere eos abbas tentaverit, causam amotionis sibi postulant explicari : tantae abusionis audaciam cupiens Capitulum generale refrenari, statuit, ordinat et diffinit, quod omnes officiales Ordinis, qui nunc sunt, infra mensem a publicatione praesentium iurare ad sancta Dei evangelia teneantur, per abbatem proprium requisiti vel per alium loco sui, quod nullum apponent repugnationis obstaculum, nullum procurabunt defensionis praesidium, quin ad iussionem abbatum suorum demittant officia absque contradictione quacumque ; alias dicto mense elapso ipsos ex nunc deponit Capitulum generale. Simile quoque iuramentum praestare teneantur omnes, qui de cetero ad officia aliqua assumentur ; alias nullatenus valeant promoveri.

7. Ordinat etiam Capitulum generale statuendo, quod omnes novitii Ordinis, qui sunt et qui pro tempore fuerint, antequam ad professionem recipiantur, praestare teneantur ad sancta Dei evangelia iuramentum, quod statutum huiusmodi luculenter eis expositum observabunt. Abbates autem, qui officiales instituerint vel novitium ad professionem receperint, non praestito prius ab eis et eorum quolibet huiuscemodi iuramento, tamdiu extra stallum abbatis maneant, donec exegerint iuramenta, vel officiales amoverint non iurantes ; receptos autem absque iuramento novitios in basso choro teneant, donec praestiterint iuramentum. Et haec diffinitio cum forma visitationis singulis annis in capitulo recitetur.

8. Capitulum generale concedit abbati de Volkederode, ut in die dedicationis ecclesiae suae liceat omnibus personis utriusque sexus ecclesiam intrare. Iis qui manum adiutricem porrexerint, concedit participationem omnium bonorum operum.

9. Henricus de Stolp, Henricus de Novo campo, Iacobus de Esrom abbates petunt a Capitulo generali ut liceat abbati de Hilda bona in Strepow vendere, cum propter distantiam nullum emolumentum inde habeat. Exauditur quibusdam interpositis conditionibus.

10. Damnum [c] monasterio Novali Sanctae Mariae ab episcopo Hildesheimensi illatum ad aures Capituli generalis delatum et diffinitum est, ut omnino tali praesumptioni resisteretur, mediante

[c] *ad annos* 1347-1349 (?).

iustitia. Et propter hoc, si necesse foret, etiam bona monasterii tam mobilia quam immobilia distraherentur.

1348

Anno [a] Domini millesimo trecentesimo quadragesimo octavo statuta sunt haec apud Cistercium tempore Capituli generalis.

1. In primis, quoniam dignum est eximios Dei confessores, quos sancta mater attollit Ecclesia, suorumque excellentia meritorum efficit coelestis beatitudinis possessores, honoribus congruis et bonorum laudibus venerari. Eapropter generale Capitulum illustrissimi ac serenissimi principis domini nostri regis Franciae christianissimi piae devotionis precibus excitatum, beati Yvonis venerabilis presbyteri ac confessoris praecipui canonizationem et merita fide dignorum testimoniis affirmata commemorans, qualiter in vita sua eius salubria documenta illustraverint Ecclesiam, ingentibus decorarunt miraculis et moribus reformarunt, et post mortem pro devote ipsum invocantibus et peregrinantibus ad eumdem, gloriosus Deus quotidie varia miracula operatur, digno permotum consilio ad requestam regiam et ob ipsius sancti magnificentiam, statuit, ordinat et praecipit quatinus, memorati sancti festivitas decimo nono die mensis maii per Ordinem universum, cum duodecim lectionibus et una missa, in provincia vero Turonensium cum duabus missis et historiis propriis, si qui eas habuerint, annis singulis et perpetuis futuris temporibus solemniter celebretur.

2. Item, cum animarum periculis sit congruis et indilatis remediis occurrendum, et olim per generale Capitulum Cisterciense fuerit diffinitum, quod monachi et conversi, qui saltem semel in anno propriis abbatibus, quorum copiam habuerint, fideliter negligunt confiteri, sint excommunicationis vinculis innodati ; quia plures nostri Ordinis monachi curiosi nimis de hiis, quae non expediunt animabus, disceptantes et contra doctrinam apostolicam plus quam opus sapere appetentes, nonnullos secum in erroris devium protrahendo asserunt et affirmant quod [b], postquam prioribus seu aliis Ordinis confessoribus institutis generalem super hoc a propriis abbatibus potestatem habentibus,

---

1348. *Fontes* : *VW* : 1-14. [a] *Titulus apud V tant.* [b] *deest W.*

peccata propria sunt confessi et obtinuerunt absolutionis beneficium ab eisdem, non tenentur huiusmodi peccata semel dimissa iterata confessione propriis abbatibus revelare. Generale Capitulum huiusmodi abusum, per quem in Dei et hominum contemptum inciditur, reprobans declarando statuit et diffinit, quod monachi et conversi Ordinis, non obstante confessione dictis confessoribus prius factam, tenentur, tam ratione praecepti quam etiam canonicae sanctionis, saltem semel in anno conscientiam suam propriis abbatibus, quorum commode copiam habere potuerint, aperire et peccata, de quibus absoluti per dictos confessores fuerant, iterum fideliter et integre, prout recordati fuerint, confiteri, ut sic proprius abbas vultum pecoris sui agnoscere valeat et mederi animabus peccatorum vulneribus sauciatis. Quicumque vero in praemissis negligens aut contumax extiterit, eo ipso se noverit excommunicationis sententiae subiacere. Hanc autem diffinitionem quoad sententiam ad moniales Ordinis Capitulum vult extendi, si confessae fuerint aliis confessoribus quam ab Ordine deputatis.

3. Item, ne vanis et fictitiis occasionibus adinventis personis nostri Ordinis praebeatur materia evagandi, statuit generale Capitulum universis Ordinis abbatibus inhibendo, ne de cetero suis monachis vel conversis licentiam dare praesumant eundi Romam, praetextu quarumvis indulgentiarum in anno iubileo concessarum, de quibus non constat Capitulo, quousque Capitulum, utrum tales indulgentiae de conscientia Summi Pontificis manaverint, plenius fuerit informatum. Hanc autem diffinitionem etiam de monialibus intelligit Capitulum generale.

4. Item, cum per piae recordationis Alexandrum IV, sanctae romanae Ecclesiae Summum Pontificem, abbatibus Ordinis universi favorabiliter sit concessum, ut fratribus suis in sibi commissis conventibus valeant in casibus, quibus non est ad sanctam Sedem Apostolicam necessario recurrendum, absolutionis beneficium impertiri, et cum eisdem, si indiguerint, dispensare; deinde per generale Capitulum fuerit ordinatum, quod abbates de levi iniectione manuum in clericum saecularem non absolvant sibi subditos sine licentia Capituli generalis, praedictae concessioni, ut videtur, aliquid quoad hoc derogando, cum levis manuum iniectio non sit de casibus a Sede Apostolica reservatis; eapropter generale Capitulum dictam ordinationem quoad dictum articulum revocat penitus et annullat.

5. Item, contributionem decem et octo millium florenorum pro debitis Ordinis in Curia romana et alibi persolvendis, aliisque necessariis Ordinis sublevandis a singulis abbatibus in sequenti Capitulo solvendorum, generale Capitulum ordinat et imponit. Abbates autem, qui dictae contributionis quottas sibi impositas termino non solverint antedicto excommunicationis sententiam se noverint incurrisse. Priores vero, cellerarii et bursarii nec non et monachi ceteri negligentes vel impedimentum praestantes publice vel occulte, quominus quottae impositae dicto termino non solvantur, pro depositis habeantur, et nihilominus inhabiles sint deinceps, nisi cum ipsis fuerit de speciali gratia dispensatum. Conceditque Capitulum domino Cistercii et quatuor primis, quatinus si necessitas ingrueret, possint interim mutuum contrahere etiam sub usura seque creditoribus obligare, auctoritate Capituli generalis.

6. Item, cum propter defectum contributionum Ordinis terminis constitutis minime solutarum, Ordo noster multa incommoda sustinuerit, prout experientia manifestat ; eapropter generale Capitulum domino Cisterciensi et quatuor primis, cuilibet in generatione sua, praecipit et committit, quatinus excommunicatos nuntient vel nuntiari faciant per commissarios quos ad visitandum vel alias transmiserint, ad sonum campanae conventu in capitulo congregato nominatim omnes abbates, qui contributiones sibi impositas non solverunt. Quod si dictas contributiones in sequenti Capitulo generali non solverint cum effectu, noverint se nihilominus in dicto Capitulo absque retractatione deponendos.

7. Item, cum cunctis fidelibus satis notum sit, quod caritas est summum bonum, inter cuius [c] opera hospitalitatis ministerium non modicum sibi vendicat locum ; ad quam licet omnes teneamur, potissime tamen domesticae fidei professionis similiter [d] et Ordinis fraternitate coniunctis : diffinitionibus alias editis in suo robore permansuris, addit Capitulum generale abbatibus Ordinis in virtute obedientiae districte praecipiendo, ut per se et suos in locis et grangiis suis pro regimine deputandos hospitalitatem solitam faciant sic servari, quod nullus deinceps habeat materiam conquerendi, praesertim cum super hoc ad reverendissimum patrem nostrum dominum cardinalem album,

---

[c] alia : *W*. [d] filiis : *W*.

et per ipsum ad praesens Capitulum, a pluribus personis Ordinis gravis querimonia sit delata. Qui vero suos subditos negligentes noverint in huiusmodi vel nolentes, ab administrationibus amoveant et alios ad hoc instituant diligentes. Visitatoribus autem Ordinis quibuscumque praecipit Capitulum et iniungit, ut in suis visitationibus super hoc inquestam faciant specialem, et abbates, quos repererint non servare per se et suos, citent ad sequens Capitulum generale, super hoc graviter per ipsum Capitulum puniendos.

8. Item, ut praeterita cautiores nos faciant ad futura, abbatibus Ordinis universi praecipit Capitulum generale, ut non praesumant contributionem pro libertatibus Ordinis defendendis fieri postulare in sui subsidium vel levamen, nec per [e] se sperent aliqualiter obtinere, nisi lites super hoc movendas contra quascumque personas cum patris abbatis commissarii sui, sanioris partis conventus sui et aliorum peritorum consilio maturo et digesto lites easdem duxerint inchoandas, appellatione dumtaxat excepta et spectantibus ad eamdem.

9. Item, cum sit periculum, imo ridiculum, satis grave, ordoque praeposterus et perversus, a membris regulari, abusum intolerabilem in aliquibus monasteriis Ordinis, ut ad Capitulum est delatum, quod certi numeri consiliari monachi a conventibus eligantur, quorum consilio abbates fere in omnibus regulentur in scriptis certis statutis et ordinationibus assignatis, quae abbates seu sui debeant observare et non discedere sine ipsorum beneplacito ab eisdem extorto, etiam de servando ad sancta Dei evangelia iuramento, reprobans et abhorrens merito, Capitulum generale prohibet districtius, quantum potest, deinceps talia attentari vel attentata ulterius observari, sex iuxta abbatum arbitrium et patrum abbatum, si opus fuerit, consilium monasterii negotia disponantur, requisito tamen, in quo fuerit requirendum et audito consilio suorum conventuum saniorum. Qui vero aliter abbates proprios praesumpserint temerarie coarctare, tamquam conspiratores per omnia puniantur. Conventus vero si secus voluerit abbatem suum unanimiter compellere quovis modo, tamdiu subiaceat interdicto, quousque errorem suum recognoscens humiliter et desistens, ab ipso mereatur relaxationem et gratiam obtinere.

10. Item, cum ea sint gravius punienda, quae in maius redun-

---

[e] *deest W.*

dant scandalum ac damnum regularium et honorabilium personarum ; eapropter diffinitionem alias editam cum poenis adiunctis contra adeuntes principes et potentes pro abbatum creatione, visitatione, correctione, etc. ad monachos Ordinis et conversos, abbates suos vel alios erga potentes et sublimes, alios diffamantes, generale Capitulum vult extendi, hoc addendo, quod si tales semel puniti reinciderint in idipsum, perpetuo carceri mancipentur.

11. Item, pio compassionis affectu [f] intuens Capitulum generale desolationem et destructionem temporalem, propter guerras regum et principum, monasteriorum Ordinis aliquorum praesertim monialium, quas vagari non convenit, nec in opprobrium Ordinis et animarum periculum mendicare, statuit, ordinat et diffinit, quod [g] quando et quotiens commissarii dicti Capituli adhuc potestatem habentes mittant moniales talium sic monasteriorum desolatorum ad alia monasteria, quae iuxta conscientiam viderint eas vel earum aliquas posse de suis facultatibus sustentare, donec ad fortunam pervenerint, Deo propitio, pinguiorem, abbatissae et conventus, ad quae mittantur, eas caritative recipere teneantur et de eisdem sicut propriis de necessariis providere. Quaecumque vero abbatissa Ordinis ad se missas ex causa praedicta recusaverit obstinate in suo monasterio retinere, excommunicationi subiaceat, rebellione huiusmodi perdurante, et si conventus contradixerit, supponatur etiam interdicto, et haec diffinitio inseratur in litteris monialium emittandarum per commissarios antedictos.

12. Item, cum ex antiqua consuetudine Ordinis approbata et secundum statuta Ordinis promulgata, causae Ordinis et querelae per Ordinem debeant terminari ; et alias fuerit diffinitum, quod per potentiam vel iustitiam saecularem nullus bona Ordinis arrestari faciat, in contrarium facientes excommunicationis sententia promulgata, inhibet addendo praesens Capitulum generale personis Ordinis universi, ne se ad invicem ad saecularia trahant iudicia super accusatione quacumque irrequisito Ordine, vel sine ipsius Capituli licentia speciali. Quicumque vero aliter praesumpserit, si abbas fuerit, suspensionis, aliae vero quaecumque personae Ordinis excommunicationis sententiam incurrant ipso facto.

---

[f] affectum : *W*. [g] qualiter et : *W*.

13. Item, ut monasteriorum utilitatibus seu etiam personarum opportunitatibus interdum possit facilius subveniri, domino Cistercii et quatuor primis concedit Capitulum generale ut eorum quilibet tres translationes abbatum facere valeant ubi et quando viderit vel viderint expedire, de quacumque generatione Ordinis universi.

14. Item, ut ab omni quaestus turpitudine Ordinis sinceritas emundetur, districte praecipitur abbatibus Ordinis universi, ut in monialium benedictionibus non sustineant ullomodo per suos familiares quoscumque mantellos invernaculos earum auferri et sibi apportari [h] aut detineri modo quolibet ab eisdem. Qui secus forte praseumpserint, a servitio Ordinis expellantur. Quaecumque vero monialis de puerperio convicta fuerit, eidem omnis licentia exeundi monasterium perpetuis temporibus denegetur, nisi per generale Capitulum cum ea fuerit dispensatum.

15. Item, considerata temporum qualitate et victualium caristia augmentata, ordinat Capitulum generale quod scolares mittendi Parisius teneantur eorum quilibet sexdecim scuta aurea imbursare, diffinitionibus alias editis quoad alia [i] circa Parisiense studium in suo robore permansuris.

1349

Anno [a] Domini millesimo trecentesimo quadragesimo nono statuta sunt haec apud Cistercium tempore Capituli generalis.

1. In primis, ut circa subditos Ordinis sit pie consulens misericordia [b] et iuste saeviens disciplina, generale Capitulum attendens, quanti moderno tempore mortis et sortis humanae emineant casus et pericula toti orbi, propter quod multi Ordinis nostri abbates creduntur a via praesentis Capituli remansisse, idem Capitulum cum ipsis hac vice dispensat eosque, qui ad praesens Capitulum non venerunt aut venire vel excusationes suas mittere tenebantur, ob causas praedictas habet et reputat misericorditer excusatos ; significatque dictum Capitulum abbatibus praedictis et aliis omnibus ad sequens Capitulum habentibus venire, quatinus ob causam praedictam non remaneant a via

---

[h] appropriari : *W*. [i] acta : *W*.

1349. *Fontes* : *VW* : 1-6. [a] *Titulus apud V tant.* [b] industria : *W*

sequentis Capituli generalis. Alioquin ipsum Capitulum procedet contra eos mulctabitque et puniet remanentes iuxta continentiam papalium [c] statutorum et aliorum Ordinis instituta.

2. Item, cum novis emergentibus et alias inauditis dignum sit ac necessarium, nova remedia providere, et prout Capitulo generali isto epidimiali tempore seu pestilentia perdurantem multitudo personarum regularium viam universae carnis ingredientium sublata fuerit ab hac luce, in cultus divini et ceterorum ad Ordinem pertinentium notabile detrimentum; quapropter generale Capitulum intendens super hoc aliqualem medelam congruam adhibere, necessitate praedicta permotum statuit, ordinat et diffinit, quatinus non obstante statuto Ordinis in contrarium edito, abbates Ordinis novitios suos, si ipsi novitii voluerint, beneficio probationis renuntiare, dum tamen psalterium suum et alia consueta in Ordine sciverint integre et perfecte, ad professionem expresse ac solemniter emittendam infra probationis annum, admittere valeant ipsique novitii libere profiteri, statuto huiusmodi per biennium in suo robore duraturo.

3. Item, quoniam quam plurimi simulantes se quaerere regnum Dei evagari potius desiderant sub velamine peregrinandi, occasione indulgentiae generalis christianis cunctis concessae per dominum nostrum Summum Pontificem imitatorem [d] conservationis antiquae, quam tamen ad religiosos claustrales potissime a fide [e] dignis et sapientibus intelligimus non extendi; diffinitionem super hiis anno praeterito editam generale Capitulum confirmat hoc addendo, quod abbates nostri Ordinis seu abbatissae peregrinationem huiusmodi sibi arripere non praesumant, nisi prius ab ipso domino nostro Summo Pontifice obtenta ad hoc licentia speciali. Si secus fecerint, sciant se per sequens Capitulum generale deponendos.

4. Item, cum semel et iterum fuerit per generale Capitulum ordinatum, quod nullus abbas pro quibuslibet [f] Ordinis negotiis per audientiam discurrendum et transeundum alium constituat procuratorem in romana Curia residentem, praeterquam procuratorem Ordinis generalis vel substitutos ab ipso, nisi [g] ipsius procuratoris consilio et assensu. Qui vero aliter procaciter statuere praesumpserit, eo ipso pro quolibet anno tres florenos aurei pro-

---

[c] principalium : *W.* [d] imitatione : *W.* [e] fratribus : *W.* [f] communibus : *W.* [g] in fide : *W.*

curatori Ordinis memorato solvere teneatur. Abbates autem pro negotiis specialibus procuratores ad Curiam transmittentes eosdem iurare faciant solemniter, quod infra triduum, postquam ad Curiam applicuerint, se praefati procuratoris conspectui, si copiam ipsius habere potuerint, praesentabunt, quod a nullis minime dicitur observari. Generale Capitulum praecipit praedictas diffinitiones per omnia observari hoc addendo, quod abbates aliter absque iuramento mittentes procuratores, per mensem maneant extra stallum; procuratores vero monachi sic transmissi, nisi se praesentaverint, ut est dictum, cum ad domos proprias reversi fuerint, tribus diebus faciant levem culpam. Ceterum mittentes aliter pro communibus negotiis nec solventes tres florenos, ut est dictum, ad solvendum, per generale Capitulum compellantur ad relationem procuratoris Ordinis generalis, cui super hoc referenti cum iuramento dabitur plena fides.

5. Item, quia inter opera pietatis illa sunt potissime attendenda, quae divini cultus prospiciunt incrementum et personarum Deo servientium vitae necessaria fulcimentum, et prout generali Capitulo est veridica relatione suggestum, monasterium novae fundationis in Eyther[e]n, dioecesis Traiectensis, fundationis abbatiae Eberacensis, omnino rapinis et incendiis sit destructum, in Coloniensi, Traiectensi et Monasteriensi dioecesibus constitutos hortatur Capitulum generale rogando affectuose per viscera misericordiae Iesu Christi, ut abbati dicti loci manus porrigant adiutrices tam ad aedificiorum reparationem quam ad ipsorum sustentationem, usque dum ad fortunam devenerint pinguiorem; requirentes insuper abbates nostri Ordinis dictarum dioecesium, ut dominos eorum dioecesanos interveniant pro eisdem, ut dignentur eis concedere litteras quaestuosas cum indulgentiis ad reparationem monasterii antedicti miserabiliter desolati, quibus litteris eis uti concedit Capitulum memoratum, necessitate et pietate urgente.

6. Item, quia Ordo Cisterciensis in multa simplicitate fundatus, profecit laudabiliter in eadem, ordinat Capitulum et diffinit expresse praecipiendo, quod in causis motis in Ordine et movendis inter personas eiusdem sine strepitu et figura iudicii procedatur et simpliciter ac de plano lites in Ordine decidantur.

1350

Anno [a] Domini millesimo trecentesimo quinquagesimo statuta sunt haec apud Cictercium tempore Capituli generalis.

1. In primis [b], devotionem cunctorum fidelium utriusque sexus Cisterciensis Ordinis professorum, qui coelestis beatitudinis desiderant fieri participes post transitum lugubrem huius vitae, volens fovere Capitulum generale, per ea, quibus in augmentum gratiarum continuo proficiant et ad opera meritoria vehementius admoventur [c], ordinat et diffinit, quod quemadmodum singulis annis in toto Ordine nostro fieri consuevit anniversarium solemne pro defunctis abbatibus, similiter perpetuis futuris temporibus singulis annis, die vigesima mensis maii, in conventibus singularum domorum Ordinis universi, cum tribus ministris [d], anniversarium solemne pro omnibus personis regularibus Ordinis praelibati, qui vocante [e] Domino decesserint ab hac luce, cum collecta illa : *Omnipotens sempiterne Deus, cui numquam*, etc., existente [f] inter alias principales.

2. Item, ut ampliore [g] fervore scientiae, quae felices suos efficit possessores, studium Sancti Bernardi vigeat Parisius continuis incrementis nec tepeat per desidiam seu simulationem multorum abbatum Ordinis, qui diversis occasionibus adinventis, monachis detaxatis sibi numeris, quos habent vel habere potuerint secundum suppetentiam facultatum ad dictum studium totaliter omiserint [mittere scolares], generale Capitulum universis abbatibus Ordinis, qui secundum numerum personarum, quas habent vel habere possunt, mittere tenentur scolares Parisius sub poenis in constitutionibus sanctae memoriae domini Benedicti contentis, praecipit strictius et iniungit, quatinus singulis annis de cetero infra festum beati Remigii in capite octobris cum

1350. *Fontes* : D^1 *sub hoc anno* 15 *colligit statuta quae praecedentibus annis fuerunt edicta, et quae in linguam gallic. transfert* ; B^2 : 1, 9 ; R^1 : 3, 5 ; *V* : 1-8 ; *W* : 1-11. [a] *Titulus apud* R^1V *tant.* [b] *Apud* B^2 : Lan MCCC et L fut ordineit en capitre generale a Cysteaux fut qu'on fache cascune an perpetueilment en toutes les maison del ordene une solempneit anniversair a iij ministres por totes les persones reguleirs de lordene trespassées le vinteine iour de mois de may en convent, et soit li principal collect : omnipotens s. D. cui nunquam, et soit feit ensi quon feit cascune an por les abbeis sollempneement. [c] animentur : *V* (?). [d] ministeriis : *W*. [e] votante : *W*. [f] exeunte : *W*. [g] ampliorem fervorem : *W*.

suis provisionibus [h] necessariis et ad hoc specialiter ordinatis per superiores vel etiam ordinandis, quot et quos mittere debuerint, mittere non omittant hoc saltem duplum dictarum provisionum ad praefatum studium iuxta contentum in constitutionibus antedictis, alioquin ad dictum duplum sine [i] mora compellentur et irregularitate notati a divinis officiis denuntiabuntur suspensi, nisi causam vellent forsitan allegare, per quam censeri debent impotentes impletionem praemissarum, ad quam praetendendam citentur ad Capitulum generale. Quantitatem autem bursarum anni praesentis taxat pro quolibet ad octodecim scuta auri dictum Capitulum generale.

3. Item, in vestimentis ovium discoloribus sagacitas humanae naturae cursum [j] praesentis vitae studet et nititur pertransire, in eo quod secundum diversitatem [k] et mutationem temporum aliter et aliter se disponit. Cum igitur habitus albus, quod in signum puritatis et interioris munditiae sancti patres non immerito providerunt in divino servitio nos habeie, debeat pro eodem servitio specialiter mundissime custodire, generale Capitulum ordinat et diffinit, quod quicumque monachi totius Cisterciensis Ordinis voluerint et potuerint uti cucullis nigris tempore refectionis, tam in infirmitorio quam in conventu, possint uti libere, ne foedent albas et maculent comedendo.

4. Item, quoniam in lucis angelum transfiguratur angelus satanae, inobedientiam sub devotionis velamine incurrendo, quod manifestius praetenderunt abbates, monachi et conversi quamplures Ordinis, qui Romam contra obedientiam ad promerendam indulgentiam, a qua recesserunt, si antea non fuerant, peccatores, generale Capitulum omnes tales monachos et conversos iudicat [l] Ordinis fugitivos. Abbates autem, qui iverunt vel eundi licentiam concesserunt, citat ad sequens proximum Capitulum generale, secundum demerita puniendos. Omnibus patribus abbatibus in virtute obedientiae praecipit Capitulum generale, quod de praedictis requirant in monasteriis sibi subditis immediate et poenam praedictam contra transgressores executioni debite faciant demandari. Et pater abbas filios abbates in hiis culpabiles ad ipsum Capitulum proximum citando peremptorie et praecise ipsumque certificet de causis citationum et nominibus

---

[h] provisoribus : *W.* [i] sententia minima : *W.* [j] usum : *W.* [k] divisionem : *R*[1]. [l] indicat : *W.*

citatorum, diffinitionibus aliis super hiis editis in suo robore permansuris. Haec autem diffinitio erga moniales in hiis culpabiles districtisime observetur.

5. Item, quoniam facilitas [m] veniae incentivum praebuit delinquendi et per generale Capitulum exhortationes iam annis plurimis monitionesque praecesserint plurimae, et mandata de abbatibus a Capitulo remanentibus generali, quorum inobedientia cumulata pertransiit pluries impunita, propter quod ipsorum contemptus damnabilis augmentatur, dissimulare non valens ulterius Capitulum generale, ordinationibus super hiis noviter editis et statutis in suo robore permansuris addit Capitulum generale, quod nulli abbati de sua excusatione credatur nisi litteras excusatorias sub contrasigillo aut sigillo domini Cistercii valeat exhibere.

6. Item, ad removendum dubietatis scrupulum declarat Capitulum generale, quod in contributionum impositionibus patres abbates non iudicium proprium aut voluntatis arbitrium exsequantur, sed antiquas tantum et debent imponere quantitates. Si quid autem ulterius fuerit impositum non solvendo quod fuerit excessivum, sententias latas ab Ordine non incurrat, sed ad superiorem recurrat vel ad Capitulum generale ut a gravamine relaxetur.

7. Item, quoniam ubi maius imminet scandalum, ad propulsandum viribus est agendum, et ad generale Capitulum venit auditum cum maerore cordium, quod in romana Curia, in qua flos est et honor fidelium, faeces nostri Ordinis confugerint et qui se reos sentiunt, punitionem eis debitam fugientes. Hinc est quod Capitulum generale procuratori Ordinis in romana Curia praecipit et committit, quatinus Ordinis fugitivos per Avinionem detestabiliter evagantes ad expensas communes Ordinis capiat et captos detineat strictissimis vinculis alligatos, donec ad abbates proprios eos remittere valeat iuxta demerita recepturos. Abbates autem ad satisfaciendum de factis super hos expensis astringit Capitulum generale, pro rata eorum qualibet contingente.

8. Item, gulae vitium ad usum carnium cupiens generale Capitulum refrenare statuit et diffinit, quod quaecumque personae Ordinis esum carnium acceptantes extra loca ab Ordine

---

[m] *deest VW.*

deputata, dicentes se super hoc habere privilegium, antequam utantur suis superioribus privilegia ipsa condere teneantur, si ipsorum superiorum suorum praesentiam habere potuerint opportune; alioquin illa condant personis authenticis et discretis [n]. Qui secus fecerit, etc.

9. Item, comme il soit raporteit al capitre general, que pluseurs abbest ne veulent nient payr leur part de contributions feittes por defendre les privilegs de lordre ia soich, quil veulent a disprivilegs partir, on commande a leurs peres abbeis, quil les destrendent a chu, et sil se laissent escomegnier por despit ou les escondir toutte le participation del ordene. Et se soit li convent mies en entredit, ne naient confesseurs ne autres benefis iusquatant quel aront alleis feit des choiz devant dittes.

10. Capitulum generale petitioni abbatis de Riddageshusen indulgens concedit omnibus personis ad monasterium illud in die dedicationis ecclesiae et per octavas eius devote accedentibus ac manum adiutricem porrigentibus plenariam participationem omnium bonorum operum.

11. Capitulum generale abbati Walkenderensi auctoritatem dat fraternitatem Ordinis conferendi omnibus die et per totam septimanam dedicationis monasterium Walkenrede, die sanctae Margaretae autem Kemenaden grangiam visitantibus manumque adiutricem porrigentibus.

1351

Lan [MCCC]LI fut ordineit comme li pape at doneit alle ordene vaillant conservateurs, dont on poroit qui abuseir pluseurs gens travillier, on defende que nus procureures ne autre personne del ordene ne cite nullui delle ditte conservateur, se ce nest del conselle labbeit et sil ni est del president et del conselle et assentement des aneis delle maison. Quiquonche ferat le contreir fach iij iour le legier coupe pani et eawe sens dispensation por fois.

---

[n] districtis : *W.*

1351. *Fontes : B¹W. Nota quod codex ms. 411 bibliothecae Principis apud Donaueschingen, in fol. 59 ad 80, sub titulo* « Diffinitiones Capituli generalis in Cistercio, 1351 », *nihil aliud praebet nisi* « LIBELL. NOVELL. DIFFINITIONUM ».

1352

Anno [a] Domini millesimo trecentesimo quinquagesimo secundo statuta sunt haec apud Cistercium [b] in Capitulo generali.

1. In primis, circa reformationem studii Parisiensis quod esse dignoscitur splendor et speculum Ordinis, tanto libentius vacat Capitulum quanto exinde uberiores ac utiliores fructus honoris et honestatis sperat universitas Ordinis provenire, et reverendissimi in Christo patris ac domini domini cardinalis novit beneplacito convenire. Quapropter generale Capitulum dicti domini cardinalis insinuatione sedula permotum statuit, ordinat et diffinit quod de cetero, inordinata affectione consanguineitatis et patriae remota, scolares magis idoneos cum integritate bursae viginti quinque florenorum Floren[tiae], et expensis pro via, abbates secundum numerum monachorum quos moderno tempore de monasteriorum proventibus iuxta discussionem patrum abbatum poterunt sustinere, mittere teneantur, sic quod Parisius in capite octobris vel circa, in aliis vero studiis saltem in festo Omnium Sanctorum valeant interesse. Nec abbates propter scolares suorum monasteriorum missos ad eadem studia sumptibus amicorum a mittendis scolaribus monasteriorum suorum sumptibus ullatenus se noverint excusandos. Abbates vero qui scolares non miserint de facto per patres abbates ad duplum solvere compellantur. Quinimo abbatibus scolares suos idoneos et habiles ad gradus scientiae acquirendos per dominum Cistercii retentos, revocandi de studio omnino adimit Capitulum potestatem. Quod autem de baccallariis quoad convivia minime facienda in principiis est statutum, ad biblicos et cursores idem Capitulum vult extendi. Quod omnes simul comedant in conventu, ut eorum praesentia aliis sit custodia disciplinae, sic tamen temperando quod ille solus qui actu conventui praesidebit duplicem percipiat portionem. Qui cursores bibliae faciant septimanas missarum et intrent ad horas canonicas, ut ceteri magistri et baccallarii vadant ad vigilias, missas et vesperas, secundum portiones ascriptas, actu legentibus dumtaxat exceptis. Nullus per ecclesiam deambulet dum divinum officium decantatur. Quod nullus fiat determi-

---

1352. *Fontes* : B^1 : 3 ; R^1 : 2 ; T^1 : 1-19 ; T^5 : 1 ; W : 3. [a] *Titulus apud* R^1T^1. [b] tempore Cap. gen. inter cetera ; R^1.

nator nisi legerit et responderit in parvis scolis, ut fuit hactenus consuetum. Nullus etiam fiat cursor bibliae nisi qui legerit logicam et physicam in parvis scolis, quia in magistrum assumi non debet qui formam discipuli non agnovit. Et quod disputationes in parvis scolis plus solito frequententur. Ultimo [c] concludendo ordinationes dicti domini cardinalis dum esset abbas Borbonae factas quando praedictum [d] Parisiense studium auctoritate Capituli reformavit, teneri et observari mandat et praecipit sub poenis in eisdem appositis Capitulum generale. Ordinans idem Capitulum quod prior Sancti Bernardi, si scolaris fuerit, a communi bursa minime recipiet decem libras.

2. Item, cum susceptum officium nemini debeat esse damnosum, nec etiam teneatur aliquis propriis [e] stipendiis militare, eapropter generale Capitulum provide statuit et diffinit quod quotienscumque abbates seu personas Ordinis commissarios a generali Capitulo contigerit deputari ad compellendum abbates contributiones Ordinis statutis terminis non solventes, excommunicationis sententias in eos fulminando vel alias contra delinquentes [f] inobedientes aut rebelles processus [g] aliquos faciendo, si [h], occasione fulminationum seu processuum praedictorum, per aliquem seu aliquos contigerit ad Sedem Apostolicam appellari, commissarii huiusmodi sententias seu processus suos in romana Curia nec alibi expensis propriis minime prosequi tenebuntur, sed tantum tenentur appellationes seu rebelliones huiusmodi generali Capitulo quam [i] citius potuerint intimare, ad finem quod Capitulum in expensis Ordinis [j] onus prosecutionis assumat quousque talium appellationum negotium sit sopitum.

3. Item [k], cum abdicatio proprietatis adeo sit annexa regulae monachali ut etiam romanus pontifex contra eam non consueverit licentiam indulgere, nonnulli tamen monachi Ordinis occasione administrationum seu magisteriorum quibus praesunt, vel alias, in suarum animarum dispendium, allegata per eos temere consuetudine, quae corruptela potius est censenda, annectuntur

---

[c] *statuti hanc ultimam partem tantum refert* T^5. [d] praedictus : T^5.
[e] *deest* R^1. [f] loquentes : R^1. [g] professus : R^1. [h] sic : R^1. [i] quantocius : R^1. [j] Capituli : R^1. [k] *apud* B^1W : Lan [MCCC] LII fut ordineït, çomme aucuns moines veulent avoir proprieteit, preis, terres et biestres et le fruit etc. On commande que tot chu soit convertis en comon profit delle abbie. Et se le dis moines sunt rebelles, sor chu tant quil le seront, soyent mis en çathre avecque les poines contenues en status le pape benoit.

sibi prata, terras, vineas, census, redditus, animalia et quaedam alia, quorum fructus et proventus percipiunt et suis propriis usibus applicant, privata commoda communibus praeponentes. Eapropter generale Capitulum huiusmodi vitium cupiens refrenare, statuit et diffinit quatinus nullus monachus Ordinis administrator vel alius praesumat de cetero talia nomine proprio seu singulari pertractare seu propriis usibus applicare, sed potius omnes omnino proventus ex administrationibus seu magisteriis praelibatis seu occasione eorumdem provenientes, communibus usibus monasteriorum totaliter applicentur. Contrarium praesumentes vel abbatibus suis resistentes quominus praedicti proventus monasteriorum communitatibus applicentur, cum poenis in statutis papalibus contentis, quamdiu rebellionis seu contumaciae materia duraverit, carcerali custodiae deputentur.

4. Item, contributionem sex millium florenorum in sequenti Capitulo solvendorum et deinceps annis singulis in eodem Capitulo, donec aliud fuerit ordinatum, solvendorum, abbatibus Ordinis universi pro necessitatibus Ordinis sublevandis generale Capitulum ordinat et imponit abbatibus Ordinis universi, praecipiens et iniungens quatinus quottas sibi impositas terminis constitutis annis singulis solvere non omittant absque alia intimatione. Abbates autem, qui quottas quas dictis terminis non solverint cum effectu, sententias et poenas in diffinitionibus contentas se noverint incurrisse. Cellerarios vero et bursarios deponit idem Capitulum generale nullum deinceps officium habituros, nisi de licentia Capituli generalis. Et cum semel certus certiorari amplius non debeat, nec sit opus, abbates quottas de sex millibus florenorum sibi per patres abbates semel impositas semper et omni anno solvere termino constituto teneantur absque expectatione alterius impositionis faciendae, quamdiu impositio dictorum sex millium florenorum duraverit et non fuerit revocata, si sententias in diffinitionibus contentas voluerint evitare. Abbates vero qui non miserunt, nec se apud Cistercium excusaverunt, nec dilationem petierunt super defectum solutionis, denuntiat eos Capitulum sententiam excommunicationis incurrisse, mandat patribus abbatibus quatinus eos in suis visitationibus excommunicatos denuntient aut per suos commissarios excommunicatos faciant nuntiari. Illi autem qui miserunt vel se apud Capitulum excusaverunt, vel dilationem petierunt, assignatur eis terminus solutionis annorum praeteritorum in sequenti Capi-

tulo generali ; pro solutione vero anni praesentis in Natali Domini eis terminus assignatur cum intimatione quod Capitulum nullam dilationem dabit alicui super contributionibus impositis ac etiam imponendis temporibus affuturis.

COMMISSIONES.

5. Cum sit periculosum admodum sub suspecto iudice permanere, et abbas de Chierreto abbatem de Caravalle Mediolani patrem immediatum monasterii de Chierreto voluerit alias recipere ad actum visitationis in suo monasterio celebrandae, ipsum ex causis pluribus per eum propositis suspectum habens et ex verisimilibus coniecturis, cuiusmodi factum aliis certis commissariis commissum extitit per Capitulum generale, licet relatum fuerit minus plene. Eapropter generale Capitulum nolens huiusmodi negotium deserere indiscussum, abbatibus de Thilieto et de Ripalta Terdonensis dioecesis committit quatinus una cum ommissariis domini Claraevallis ad monasterium de Chierreto accedentes super dictis suspicionis causis propositis et aliis proponendis inquirant seriose et diligentia qua convenit veritatem et quid inde fecerint referre studeant sequenti Capitulo generali. Interim autem visitationem et iurisdictionem dicti monasterii de Chierreto ad dominum Claraevallis, tamquam ad superiorem immediatum, per se vel alium devolvit Capitulum generale.

6. Item, cum facta nocentium expediat esse nota ut inde correctio subsecuta ceteros retrahat ab errore, et sorores Catherina de Borbe, Maria de Sirrichze et Agatha de Sirrichze, moniales monasterii monialium de Lausdunis, dum in eodem abbas de Loco Sancti Bernardi commissarius domini Cistercii visitationis officium exerceret, ipsam impediverunt, fratri Stephano monacho monasterii Sancti Bernardi et confessori ibidem nequiter adherendo et alia plurima irreverenter et impudice committendo, in praeiudicium iurisdictionis domini Cisterciensis in monasterio monialium praelibato, Ordinis opprobrium et scandalum plurimorum. Propter quod generale Capitulum abbati de Bodelo per se vel alium committit quatinus de praemissis excessibus se informet, et si ita, ut praemittitur, repererit, praedictam Catherinam per substractionem camerae ac duplicis ac simplicis praebendarum, dictas autem Mariam et Agatham per emissionem ad alia monasteria puniat auctoritate Capituli, super praemissis nullam sperantes veniam nisi de licentia Capituli generalis.

7. Item, gratiam alias factam abbati de Volkalrode super ingressu mulierum in anniversario dedicationis ecclesiae, ne cedat in scandalum, ex nunc revocato Capitulum generale.

8. Item, domino Cisterciensi et quatuor primis cuilibet in generatione sua committit Capitulum generale quatinus ipsi perquirant vel ad perquirendum certos commissarios deputent qui abbates contributiones Ordinis non solverunt ab ipsisque quottas in quibus tenentur Capitulo recipere valeant, litteras quittatorias de receptis tradere eosque absolvere a sententiis contra non solventes latis, et eisdem astallare seu iuxta facultates suorum monasteriorum terminos praefigere ad solvendum super omnibus et singulis supradictis, relationem congruam et fidelem generali Capitulo facientes.

9. Item, abbati de Villario propre Metim committit Capitulum generale, quatinus abbatem de Castellione, qui abbati Pontis Tieffredi Metensis [dioecesis] tenetur in viginti quinque libris turonensium parvorum sub litteris authenticis efficaciter obligatus ad solvendum dicto abbati de Pontetieffridi per censuram Ordinis vel alias compellat auctoritate Capituli generalis.

10. Item, quaestionis materiam quae vertitur vel verti speratur inter abbatem de Sancta Corona ex una parte et de Altovado ex altera super quibusdam nemoribus et limitibus generale Capitulum abbatibus de Pomounc et de Scedelich committit pace vel iudicio terminandam in plenaria potestate.

11. Item, reformatio monasterii Altaesilvae, in quo dicuntur plurima spiritualiter et temporaliter deformata, domino Morimundi per se vel alium committitur per Capitulum generale in plenaria potestate.

12. Item, cum abbates de Wondburnia et de Loco Regali, quilibet unum monachum propter culpam et demerita propria, ad monasterium de Boxleya emisisse dicantur, et in dicto monasterio de Boxleya in expensis ipsius moram per annum integrum contraxisse, petatque idem abbas de Boxleya quatinus expensae dictorum monachorum sibi ad utilitatem monasterii iuxta taxationem generalis Capituli refundantur. Eapropter generale Capitulum de Velloc et de Auxonia abbatibus vel eorum alteri committit quatinus, si praemissa veritate nitantur, dictos abbates ad satisfaciendum de dictis expensis memorato abbati de Boxleya, per censuram Ordinis vel alias debite iuxta Ordinis instituta, coerceat et compellat auctoritate Capituli generalis.

13. Item, cum prout ad audientiam Capituli generalis quorumdam querulosa insinuatione est delatum in monasteriis nostri Ordinis in Angliae, Walliae, et Scotiae partibus constitutis et in studio Oxoniensi, multa dicantur notabiliter deformata, quae ad utrumque profectum spiritualem scilicet et temporalem noscuntur, promptis et celeribus reformationum remediis indigere. Eapropter generale Capitulum volens et desiderans ut in dictis monasteriis ac studio per providorum cultorum salculum vitia extirpentur, inserantur virtutes, ac secundum Deum et Ordinis instituta corrigantur excessus moresque et alia ad actum praedictae reformationis pertinentia salubriter reformentur, reformationem monasteriorum et studii praedictorum, tam in capitibus quam in membris, abbatibus de Wallee et de Auxonia per continuum triennium committit idem Capitulum in plenaria potestate, eisdem attente praecipiens et iniungens quatinus de et super reformatis et actis anno quolibet durante triennio generale Capitulum non differat informare. Abbates autem ad quorum monasteria dicti commissarii tute accedere non poterunt, ad loca tuta auctoritate praedicta poterunt evocare.

14. Item, cum transferentur abbates de monasteriis ad monasteria Ordinis sine licentia et translati, secundum Ordinis instituta, pro depositis habeantur, et abbas de Strataflorida transferre praesumpsit abbatem de Cumhir ad monasterium de Stratamarcella, non petita praedicta licentia nec obtenta. Eapropter generale Capitulum abbatibus de Velleye et de Auxonia committit, quatinus praedictos transferentem et translatum pro depositis nuntient auctoritate Capituli generalis.

15. Item, cum frater Donatus, quondam abbas de Buellio, suis exigentibus demeritis, depositus fuerit ab administratione et regimine ipsius monasterii de Buellio per abbatem de Mellifonte commissarium domini Claraevallis, et alius abbas auctoritate domini Claraevallis in dicto monasterio institutus, et adhuc dictus Donatus elatione praesumpta se gerere pro abbate de Buellio minime vereatur ; eapropter generale Capitulum huiusmodi praesumptionem compescere cupiens de Casello et de Geriponte monasteriorum abbatibus committit, quatinus una cum domino archiepiscopi Tuamensi super praemissis et aliis obiiciendis contra dictum Donatum inquirant diligentia qua convenit rationem eumque puniant iuxta suae praesumptionis audaciam suorumque exigentiam delictorum.

16. Item, cum abbas Beatae Mariae de Dublinia, prout Capitulo extitit intimatum, anno nuper praeterito abbatem de Mellifonte Ordinis zelatorem falso et mendaciter accusaverit erga iustitiarios domini regis Angliae, quod per septem annos de anno in annum magnam florenorum quantitatem asportaverat ad regnum Franciae in proditionem regni et regis Angliae et subsidium regi et regno Franciae, propter quod idem abbas de Mellifonte per dictos iustitiarios athachiatus extitit contumeliis et iniuriis laniatus, in Ordinis vituperium et scandalum plurimorum. Eapropter generale Capitulum dicti abbatis ausum temerarium nolens conniventibus oculis pertransire, abbatibus de Ynes et de Beatitudine, adiuncto sibi domino archiepiscopo Dubliniae, si sit opus, committit quatinus de praedictis cum diligentia se informent, vocatis qui fuerint evocandi. Et si abbatem de Dublinia sic invenerint, ut praemittitur, excessisse, ipsum puniant severitate condigna, quod ceteris transeat in terrorem, reformandaque in dicto monasterio de Dublinia reformare studeant in plenaria Ordinis potestate.

17. Item, cum ad aures Capituli generalis fide digno relatu pervenit, quod fratres... de Tutavalle et Thomas de Loco Dei monasteriorum abbates, postquam fuerint nominatim renuntiati per abbatem de Esrom, commissarium Capituli generalis, excommunicationis sententiam incurrisse ob defectum contributionum constitutis terminis minime solutarum, nihilominus tamen in contemptum clavium celebrare missarum solemnia minime formidarunt. Eapropter generale Capitulum reprobans et abhorrens huiusmodi abusum per quem censura vilescit ecclesiastica, et clavium Ecclesiae auctoritas deducitur in contemptum, patri abbati de Herivado committit Capitulum quatinus de praemisso contemptu diligenter inquirat, et si dictos abbates post dictam nuntiationem nominatim factam invenerint, ut praemittitur, celebrasse, eos deponat et depositos nuntiet auctoritate Capituli generalis, et nihilominus ad electionem et substitutionem novi pastoris in dictis monasteriis procedat, secundum Ordinis instituta.

18. Item, reformationem studii Tholosani abbati de Ardurello committit Capitulum in plenaria potestate, eidem praecipiens quatinus sub praetextu alicuius procuratorii scolares non contrahant moram in villa, vel audiant iura contra papalia et Ordinis instituta.

19. Item, cum sit dignum et iuri consonum ut temerarie commissa, ne in exempli perniciem protrahantur congrua ultione plectentur, et prout Capitulo apparuit frater Stephanus Heche, monachus de Boxleya et professus, cum suis complicibus abbatem proprium usque ad civitatem Cantuariae fuerit insecutus, in eum ausus sacrilegos et quamplures excessus nefarios contra paternalem reverentiam committendo, qui cesserunt et cedunt in dicti abbatis vituperium et Ordinis opprobrium et iacturam, prout super hiis dictus frater Stephanus tempore visitationis in suo dicto monasterio celebratae convictus extitit apertissimis documentis et ob hoc ad monasterium de Margan per suos visitatores emissus, certas ibidem poenitentias peracturus. Deinde abbas de Strafordia commissionem domini Claraevallis male intelligens, seu fines eiusdem domini minus diligenter observans, cum in eo caveretur expresse si sine scandalo poterat revocari dictum Stephanum de monasterio de Margan revocaverit eumque licentiaverit cum Refordiensi episcopo moraturum. Generale Capitulum tantae temeritatis audaciam nolens remanere impunitam, abbatibus de Wallee et de Strafordia praecipit et iniungit dictum fratrem Stephanum ad monasterium de Margan sub iniunctis aliis poenitentiis remittere studeant indilate, et si, quod absit, obedire noluerit, ad hoc per dictos commissarios compellatur per censuram Ordinis vel alias poenis et poenitentiis acrioribus feriendus, prout suae rebellionis protervitas suadebit, non revocandus sine licentia Capituli generalis.

1353

Lan [M CCC] LIII nus abbeis eluis ne pris fors de son abbie ne autre personne, qui fach alleurs profession desormais ne doit riens porteir avec li ne retenir des biens delle abbie soit il soy partent que pou que ce soit sens le volenteit del propre abbeit. Cils qui feront le contraire soyent escomignez de leur feit meisme, non obstant quil donnent for chu lettres que nient ne suffie al capitre general.

1353. *Fontes* : *B*[1]*W*.

1354

Anno Domini millesimo trecentesimo quinquagesimo quarto statuta sunt haec in Cistercio.

In primis, ne abbates Ordinis excommunicationis laqueis involvantur, generale Capitulum articulum *Novellarum* continentem ne portiones panis et vini monachis et conversis in infirmitoriis et refectoriis quotidie ministrentur, si secus factum fuerit, ultra poenam papalium statutorum incurrunt abbates excommunicationis sententiam ipso facto. Item generale Capitulum praefatum articulum intelligit secundum rationem statuti papalis, ad quod statutum, sublata praedicta excommunicationis sententia, praedictum articulum duxit merito reducendum.

1355

Anno [a] Domini millesimo trecentesimo quinquagesimo quinto statuta sunt haec apud [b] Cistercium tempore Capituli generalis.

1. In primis [c], ut nostri Ordinis professores melius abstineant a vetitis et ad salutaria dirigantur, generale Capitulum ordinat et diffinit, ut quotienscumque contigerit aliquem professum Ordinis pro suis excessibus facere panis et aquae poenitentiam, vel etiam levem culpam, diebus quibus fecerit dictas poenitentias, nulla temporalia negotia, administrationes seu officia exsequatur, sed in claustro residens, omnibus horis canonicis interesse teneatur, nisi prudenter super hoc fuerit dispensatum.

2. Item, cum effrenata cupiditas malorum requirat novitatem statutorum, et alias per generale Capitulum extitit diffinitum sub poenis appositis ne religiosi nostri Ordinis pro impedimentis, correctionibus, electionibus et aliis in nostro Ordine faciendis, consilia, auxilia, preces, minas, seu litteras principum, vel aliquarum aliarum quarumcumque personarum quae non sint de

---

1354. *Fons unicus* : R^1.

1355. *Fontes* : B^1 : 1, 5 ; *By* : 5 ; R^1 : 1-4 ; T^5 : 4 ; *W* : 1, 5, 6. [a] *Titulus apud By* R^1. [b] in Cystercio, etc. : R^1. [c] *apud* B^1W : Item, quant nulle professe de notre ordene est al pain et alle eiawe ou il feit le legier coupe, il ne doit feir songne ne administration temporeement. Ains remainge en lecloustre et voist à touttes les heurs, sil nat sor chu despensation de part le president.

Ordine nostro, procurare et impetrare debeant, ac uti praesumant impetratis, monasteriis ordinis retardetur ; idcirco patribus abbatibus iniungit et praecipit Capitulum generale, ut ipsi cum exacta diligentia inquirant in suis visitationibus, et si aliquos super huiusmodi transgressores culpabiles invenerint, eos per poenas in diffinitionibus contentas puniant et corrigant taliter quod ceteris talia attentantibus transeat in terrorem. Et haec diffinitio extenditur ad moniales Ordinis universi.

3. Item, cum ubi bona fide agitur, subtilitatibus iuris non sit insistendum, et ad aures generalis Capituli sit deductum, quod quando causae committuntur iudicibus Ordinis, ut est moris, partes ad invicem litigantes adducunt advocatos, contra diffinitiones Ordinis, propter quorum subtilitates lites fiunt innumerabiles, et expensae multae graves ; idcirco Capitulum generale, huiusmodi gravaminibus cupiens obviare, statuit, ordinat et diffinit, quod de cetero actor et reus coram iudicibus Ordinis in causis suis non convocent advocatos. Quod si actor contrarium attentaverit, causam suam amittet. Reus vero, si eos adduxerit, pro convicto totaliter habeatur ; et iudices super dictis causis dati aliter dictas nullatenus terminant, nisi per modum superius declaratum. Et si iudices aliter processerint, ingressum ecclesiae sibi noverint interdictum. Si vero ambae partes, videlicet actor et reus, praedictos advocatos adduxerint, iudices omnem audientiam partibus teneantur denegare.

4. Item eodem anno, ne ingratitudinis vitium, quae velut aerugo et tinea virtutum noscitur corrosiva, erga benefactores suos et zelatores praecipuos Ordo noster valeat incurrere ; et ut illi qui nobis bona sua temporalia dispergunt, spiritualia nostra metant, in memoriam sempiternam beneficiorum immensorum a reverendissimo in Christo patre et domino domino nostro praecipuo domino Guillelmo [d], Tusculano episcopo sanctae romanae Ecclesiae cardinali, nobis et Ordini collatorum, et maxime quinque millia florenorum, quod pro emendis redditibus ad sustentationem, reparationem et continuationem fabricae communis ecclesiae Ordinis studii Sancti Bernardi Parisius nuper obtulit et donavit, concessionem unius missae de Spiritu Sancto dum viveret, et unius post felicem obitum pro defunctis, pro salu-

---

[d] *hic incip.* T^5 : Guillelmus... dedit... qualibet hebdomada in perpetuum. *sic desin.*

bri et prospero statu ac remedio animae dicti domini cardinalis, in eadem ecclesiae et conventu, qualibet septimana ad hoc vacante perpetuo celebrandae, necnon plurium collectarum in missis conventualibus et de Beata Virgine dicendarum, generale Capitulum cupiens tam sanctum et laudabile propositum confovere, approbat et confirmat, volens et statuens ut omnes scolares ad dictam missam debeant interesse. Haec diffinitio, quamvis solum respiciat studii Parisiensis scolares, sive studentes, nihilominus tamen propter formam litteras super beneficia spiritualia pro temporalibus recompensanda conficiendi, haec diffinitio huc posita est.

5. Item, cum [e] ad generalis Capituli notitiam nuper fide dignorum relatibus sit deductum quod in nonnullis monasteriis monialium Ordinis in sanctorum Innocentium et quibusdam aliis festivitatibus solet non innocenter fieri quaedam festa sive spectacula apud quosdam bordona vulgariter nuncupata, in quibus spectaculis sive festis multa committuntur enormia quae virginalem laedunt pudicitiam et monasticam dedecent honestatem, cum, ut asseritur, plurimae moniales quae sua corda et corpora Domino cum omni sanctimonia devoverunt, quae ad omnes viri pavere deberent affatus, choreis et aliis ludis inhonestis se turpiter immiscentes viriles et alios saeculares habitus temere mundo placiturae deferunt, quae se deberent potius placabiles suo sponso exhibere. Tales igitur ac tantos excessus a claustrorum nostrorum monasteriorum accessibus generale Capitulum eliminari cupiens et excludi, talia festa sive spectacula de cetero fieri in quibuscumque monasteriis Ordinis districtius inhibet, consuetudine vel potius corruptela qualibet non obstante. Patres abbates circa hoc cautius invigilent et quas invenerint transgressores puniant severitate condigna. Quaecumque vero monialis in talibus spectaculis sive festis habitum gestaverit saecularem, per earum patres abbates vel eorum commissarios excommunicatae publice nuntientur.

---

[e] *Apud* B^1W : Comme en aucuns abbies de nonains soit useis contre le pureteit del ordene de feir fiestes ou ieus le iour des Innocens et en autres fiestes en quels aucuns seulent iuweit et danseir et porteir habit de siècle dehonestement. On defende que teil fiestes ne ieux ne soyent desormais feites en abbies de nonains, nonobstant quelconque usaige ; le peres abbeis les destraint a chu. Quelconque nonain porteront en teils fiestes ou ieux habit seculeir soyent par les peres abbeis ou les comissaires publement denonchys escomgniez.

6. Abbas de Riddageshusen petit ut sibi liceat diem dedic a tionis ecclesiae, qui usquedum tempore messis celebrabatur, propter multa incommoda et scandala, in dominicam post festum sancti Martini transferre, exauditur ; Capitulum generale rogat episcopum Hildesiensem ut festum transferat.

1356

Anno [a] Domini millesimo trecentesimo quinquagesimo sexto statuta sunt haec apud Cistercium tempore Capituli generalis.

1. In primis, quoniam perscrutabilis altitudo divini consilii sicut ab aeterno, etc. Si omnes artus humani verterentur in linguas, et cuncti sensus solverentur in voces, nequaquam sufficeret humanae fragilitatis conditio Virginem gloriosam dignis efferre laudum praeconiis, nec ei etiam congruum impendere famulatum ; verumtamen si eam laude dignissimam nequamus iuxta suae sanctitatis merita collaudare, generale tamen Capitulum gerens in votis ut in signum dignitatis eximiae, pro nostro parvitatis modulo, laudes debitae, maxime in ipsius Beatae Virginis solemnitatibus, ab Ordinis professoribus exsolvantur ; sacrosanctae romanae Ecclesiae, quae caput est omnium et magistra, vestigiis inhaerendo, ac devotionem fidelium ad reverentiam et honorem ipsius Beatae Virginis excitando, statuit, ordinat, diffinit, quatinus [b] festum Conceptionis ipsius Virginis gloriosae cum duabus missis et officio festi Nativitatis ipsius, assignato nomine Conceptionis loco Nativitatis ubi oportuerit adoptato, et octo primis lectionibus de historia institutionis festi Conceptionis eiusdem, cum haberi commode poterit, die octava mensis decembris per universum Ordinem sine octavis deinceps solemniter celebretur, ut Ordo qui eiusdem Virginis glorioso vocabulo noscitur insignitus, quique ipsam gaudet habere specialem patronam in terris, suffragantibus meritis eamdem sentiat propitiam advocatam habere in coelis.

1356. *Fontes* : B^1 : 1 ; R^1 : 1 ; *W* : 1, 2. [a] *Titulus apud* R^1. [b] *hic incip. W* ; *desin* : celebretur. *Apud* B^1 : Lan [MCCC] LVI fut ordineit que on fach fieste del conception notre dame a ij messes et en loffis de la nativiteit muweit le non nat. en non conception la il converat, le viij[me] iour de moi de decembre, les viij lechons prise en listoir del son institution la on les porat avoir, sens octave, a feir par toute lordene.

2. Abbatibus contributiones in usum Ordinis imponuntur. Abbas Morimundensis receptor contributionum per Germaniam constituitur.

1357

Anno [a] Domini millesimo trecentesimo quinquagesimo septimo statuta sunt haec apud Cistercium in Capitulo generali.

1. In primis, quoniam [b] facilitas veniae incentivum tribuit delinquendi, et alia[s] [per] generale Capitulum ad refrenandam in personis Ordinis ambitiosam audaciam provide fuit diffinitum, ut quaecumque persona quae non sit de Ordine impetraverit seu impetrari procuraverit [litteras] quarum praetextu ad officium Ordinis promoveatur aut promota non deponatur, seu quod a poena relaxetur, in excommunicationis sententiam incidat ipso facto, quam multi professi Ordinis propter facilitatem veniae incurrere non formidant. Eapropter generale Capitulum dedit statuendo ne quis transgressores huiusmodi, praeterquam in mortis articulo, praesumat absolvere, absque dicti Capituli licentia speciali.

2. Item, quia dignum est iurique consonum, ut qui pares sunt in culpa consimilis poena constringat, et nonnulli priores, cellerarii, bursarii, rentarii, in solutione contributionum Ordinis se reddunt visibiliter inhabiles ac etiam minus curantes ; eapropter generale Capitulum statuit, ordinat et diffinit ut dicti priores, cellerarii, bursarii, rentarii, de solutione dictarum contributionum minus solliciti vel etiam negligentes, sicut et abbates eorum contributiones huiusmodi non solventes, excommunicationis vinculo se noverint irretitos, et nihilominus pro depositis a suis officiis teneantur, prout alias contra tales per generale Capitulum extitit diffinitum.

3. Item, quia dubitationis scrupulum cupit generale Capitulum de cordibus simplicium amovere, ideo diffiniendo declarat,

---

1357. *Fontes* : B^1 : 1, 4 ; R^1 : 1-4 ; W : 1, 4, 5. [a] *Titulus apud* R^1.

[b] *apud* B^1W : Comme il ait esteit diffineit et statueit que qeilconque persone del ordene empeterat ou ferat empetreir lettres pryers ou manaches a queilconque persone qui ne soit de notre ordene queil soit promus as offis ou quil nen soit ostee, ou quon li alige se penanche soit excomgniet de son feit meisme. Pluseurs professe de notre ordene ni acontentriens por tant quil ont legierement absolution ; par tan i aiont le chapitre que nus ne puis teils transgresseurs assoure del dit setenche sens le congier de chapitre se che nest en lartecle del mort.

quod sententiae excommunicationis latae VII[a] distinctione, cap. *Abbatibus*, etc., *inhibetur omnibus abbatibus*, non ligantur abbates convocationes in Hybernia vel alibi facientes pro requirendo consilio super negotiis monasteria sua tangentibus, maxime in libertatibus Ordinis defendendis ; dum tamen in istis convocationibus dicti abbates nullas ordinationes faciant et statuta.

4. Item, cum [c] propter detestabile gastrimargiae vitium in laborintum vitiorum descendatur, et in plerisque Ordinis monasteriis nonnulli monachorum super cibis et potibus minus discrete abbates proprios inquietent, adeo quod super hoc faciant congregationes et conventicula, inter se tractantes qualiter ab abbatibus suis maiora vel meliora cibaria valeant extorquere, ad ipsosque abbates accedant fronte infrenabili et indomita ac in multitudine copiosa, petentes victualia eis procaciter ampliari ; ipsique abbates, visa tali multitudine, perterriti sibi metuentes, ne in eos desurgant de facto manusque in eos iniciant violentas, concedunt eis aliqua, quae cessante tali metu denegarent et deberent rationabiliter denegari. Capitulum generale, talem ausum totis conatibus cupiens refrenare, diffinit, ordinat et statuit, quatinus in nullis nostris monasteriis fiant tales convocationes nisi in communi parlamento et in audientia praesidentis, nec ad abbates in magna multitudine, sed ex ipsis eligant unum vel duos, et non plures, qui ab abbate cum reverentia quae rationabiliter fuerint supplicanda. Quod si eis repulsam iniuriam dederit, expectent adventum visitatoris, qui ad eorum insinuationem de eorum petitionibus rationabiliter habeat ordinare. Qui vero tam salutiferi statuti transgressor inventus fuerit, poenis conspiratorum subiaceat auctoritate Capituli generalis.

5. Cum multa monasteria Ordinis nostri in partibus Hyber-

[c] *apud* B^1W : Item, comme en pluseurs abbies aucuns moins indiscreitement inquietent leur abbeit de boir et de maignier et font treities et assemblees et en grande multitude vont auz abbeis demandant quon agrandist leur vitailhe, et li abbeis quant il voient teil multitude se douctent quil ne mettent main a eauz violenment se les otroyent chu quil devrient rasoinablement escondir. Li chapitre general ordine que on ne fache desormais en nulle abbie teil convocation se ce nest en comon parlement et audiench del president, ne ne voisent nient auz abbeis en grande multitude, mais senlisent une de auz ou dois et nient plus que demandent a labbeit en revereche chu qui serat a demandier. Et se li abbeis les escondist a tort satendent le viseteur li queis a leur request deverat de chu rasoinablement ordineit. Qui ferat le contrair se soit punies ensi que conspirateurs.

niae constituta propter guerras in dictis partibus ingruentes nequeant, ut decet, tute et salubriter visitari, statuit generale Capitulum et diffinit, quod abbates dictorum monasteriorum per patres abbates ipsorum vel eorum commissarios cum saniori parte suorum conventum ad monasteria propinqua et tuta valeant evocari, ibidem visitationis beneficium recepturi, diffinitione quacumque in contrarium edita non obstante.

1358

Anno [a] Domini millesimo trecentesimo quinquagesimo octavo statuta sunt haec apud Cistercium, etc.

1. In primis, cum secundum canones, canonicas sanctiones ac etiam Ordinis instituta, quilibet debite requisitus in iuris subsidium debeat veritati testimonium perhibere omni timore, odio, vel favore inordinato reiectis, prout fide dignis relatibus generali Capitulo extitit relatum, quoniam plures abbates Ordinis, veritatem [ne]que Deum prae oculis non habentes, cum per commissarios patrum abbatum ad partes remotas destinatos ad assessoris officium assumuntur, nonnumquam de hiis quae coram ipsis fiant per ipsos commissarios vel alios, licet pluries requirantur instanter et debite, sub eorum sigillo testimonium perhibere recusant, propter quod saepe dictorum commissariorum iurisdictio deluditur, enervatur iustitia, negligiturque regularis disciplinae censura. Cupiens igitur Capitulum generale quatinus dicti abbates tantis malis pro viribus obviare, statuit, ordinat et diffinit, quatinus dicti abbates per dictos commissarios, vel etiam ipsos patres abbates, ad dictum assessoris officium in posterum assumendi vel in testimonium invocandi de hiis quae coram ipsis acta, gesta dictave fuerint, sub eorum sigillo fidele testimonium perhibeant, si et quando praefati patres abbates vel eorum commissarii eos duxerint requirendos ; alioquin suspensionis ad minus sententias se noverint eo ipso incursuros ; quoniam si per mensem sustinuerint animo indurato, ex tunc prout ex tunc excommunicationis sententiam se noverint incursuros.

2. Lan [M CCC] LVIII fut ordineit comme pluseurs persones delle ordene, hommes et nonains, que ons at per aventure con-

---

1358. *Fontes* : B^1 : 2 ; R^1 : 1 *W* : 2. [a] *Titulus apud* R^1.

cedeis aucuns biens, mubles ou immobles de leurs amis ou de part souverains por leur propre usaige, quant leur abbeis au abbeist veulent chest dis biens convertir en autre usaige, ensi que li comons profit del abbie le demande, cilh ni veulent obeir ; li chapitre general qui veut cest inobedienche detestable corriger et procureir le salut des aimes, commande en viertut de saint obedienche a tous subgis del ordene soit hommes soit femmes de queilconque condition quil soyent que toutes fois que leur abbeis ou abbesses voront de biens et chouz concedees priveement a aucuns ensi que dit est ordineir autrement por cause rasonable ou necessiteit et convertir en plus grande utiliteit quil ni soient nient rebelles ans leur ramenbre de leur profession et de leur promission eauz meisme se mettent en la disposition de leur soverans en touttes chouse convenables.

1360

Anno [a] Domini millesimo trecentesimo sexagesimo statuta sunt, etc.

1. Cum non debeat in contrarium reportare, si iuxta varietatem temporum statuta etiam variantur humana, maxime cum urgens necessitas aut evidens utilitas id exposcit et propter [b] paucitatem personarum regularium et insufficientiam nonnullorum necessarium sit et utile, potissimum his diebus, ut uni personae interdum plures administrationis et officia committantur, ea gratia generale Capitulum certis ex causis indultum statuit et diffinit, quod priores, suppriores et cellerarii ceterique officiales Ordinis nostri infra clausuras ipsorum monasteriorum, quotiens eorum abbatibus placuit, foreque utile suis monasteriis decernunt, possint officium prioratus cum uno alio officia exercere, diffinitione quacumque alia in contrarium edita non obstante [c].

1360. *Fontes* : B^1 : 1, 2, 4, 5 ; R^1 : 1, 2, 4 ; *W* : 1-5. *Nota quod W citat sub anno* 1359 *quatuor statuta ex ms. Bruxell.* (B^1) *quae revera ad annum* 1360 *pertinent.* [a] *Titulus apud* R^1. [b] *hic incip.* R^1 *et formulam refert abbreviatam.* [c] *apud* B^1W : Lan MCC et LX fut ordineit en chapitre general a Cysteaus que li prieus, li supprieus, cellerires et li autres officiauz pussent devens lenclouz delle abbie totes fois quil plairat a leurs abbeis et li profis delle eglies iserat feir loffis tel priorie et del borserie avecque une autre offis non obstant queilconque diffinition al contrair feit.

2. Ut in bonis moribus conformitas teneatur, generale Capitulum duxit laudabiliter ordinandum, quatinus in [d] provinciis, in quibus vigiliae sanctorum cum ieiunio observantur, in eisdem provinciis a personis Ordinis nostri devotione debita studeant ipsas vigilias observare [e].

3. Ad aures Capituli generalis fideli relatione pervenit, quod nonnullae abbatissae Ordinis, in quarum monasteriis sunt parochiales ecclesiae et altaria privata a Christi fidelibus erecta et redditibus sufficienter dotata, ad quas ecclesias et altaria opportunis temporibus dictorum monasteriorum abbatissae sacerdotes saeculares in capellanos perpetuos eligunt et recipiunt pro suae libitu voluntatis, per quos aliquando gravia scandala in ipsis monasteriis sunt exorta, cum praedicti saeculares sacerdotes non subiaceant Ordinis regularibus institutis, praedictis scandalis et futuris periculis possibilibus causis cupiens obviare, Capitulum generale abbatissis et conventibus Ordinis universi inhibet sub poena depositionis, quatinus de cetero talia beneficia aliquibus saecularibus conferre non praesumant, patribus abbatibus eorum inconsultis.

4. Ut [f] commemoratio sancti Adriani in vesperis et in laudibus in Nativitate Beatae Mariae Virginis absque scrupulo fiat per Ordinem universum.

5. Item, il est par le raport de notables persones pervenut en audiench de chapitre general que maiement en aucuns partie d'Almange aucuns nonains quant el vont parmi villes et citeis quelle usent daucuns manteauls dont les femmes seculeirs usent publement en hontages scande de lordene et en perille de leurs aimes. Li capitre general forcomande a toutes abbest et nonains en telle partie tell habit entirement. Et se nulle port teil manteal se soit por chascune fois un mois entier privee del habit reguleirs et derain de toutes.

---

[d] *hic incip.* R^1. [e] *apud* B^1W : Item por esquiweir les scandeles de simple gens li capitre ordine que en le provinche la on june les vigiles de tous les apostelez que les persones del orden les iunent ansi. [f] *apud* B^1W : Item, il est declareit quon fach le commemoration s[t] Adrian a vespre et a laus delle nativiteit Notre Dame sen dout toudis.

1361

Anno [a] Domini millesimo trecentesimo sexagesimo primo statuta sunt haec, etc.

1. Quoniam [b] nonnullae personae Ordinis in hiis quae minus expediunt inutiliter disputantes, vertunt in dubium utrum monachi et conversi nostri Ordinis in creatione novi abbatis post cessionem praedecessoris sui, si aliqui profiteri noluerint, possint ad hoc per ipsum novum abbatem compelli. Generale Capitulum dubitationes huiusmodi cupiens amputare, declarat quod quotiens in Ordine novum abbatem creare contigerit, si qui monachi vel conversi profiteri renuerint, post octo dies idem abbas ad profitendum sibi iuxta morem Ordinis per censuras Ordinis poterit coercere, maxime cum non solum personae sed etiam stabilitatem suam, morum conversionem et obedientiam promiserint in sua professione primaria et solemni.

2. Item, cum propter malitiam et nativam mutabilitatem temporis, saeculi vanitate pauci relicta ad annos discretionis pervenerint velint et affectant ad religionis habitum convolare, hinc est quod ad tollendum dubium aliquorum declarat generale Capitulum et diffinit ut, cum aliqua persona Ordinis nostri ad professionem recipienda fuerit, si maioris aetatis non extiterit sufficere non debebit sibi annum quintum decimum attigisse.

3. Item, multorum monachorum et conversorum praesumptuosam audaciam generale Capitulum perhorrendo detestans, qui gladios seu cultellos acuminatos, peras seu tassas ocreas rostratas et alios habitus inordinatos contra canonum et Ordinis instituta deferre praesumunt more personarum saecularium putantes placere, unde displicent impudentia, generale Capitulum eorum cupiditatibus cupiens obviare, statuit, ordinat et diffinit quod qui monachi et conversi tales cultellos et praemissa alia in antea praesumpserint portare per biennium, si officiales fuerint inhabiles ad quaecumque officia in Ordine obtinenda, si autem non fuerint officiales ablato eis habitu ultimi omnium erunt ac habeantur.

4. Eodem anno. Item, diffinitionem anno praeterito factam

1361. *Fontes* : B^1 : 5, 6 ; R^1 : 1-4 ; *U* : 1 ; *W* : 5, 6. [a] *Titulus apud* R^1. [b] *apud UW legitur hoc statutum sub anno* 1362.

ut abbates Ordinis universi monachos scolares suos ad studia Ordinis iuxta formam et tenorem papalium statutorum et sub poenis in eis contentis debeant mittere, generale Capitulum innovando confirmat, et licentias seu dispensationes per patres abbates seu quoscumque alios factas et datas de non mittendis scolaribus, generale Capitulum declaravit fuisse et esse nullas et in quantum de facto processerint revocat, annullat, etc.

5. Lan [c] M CCC et LXI fut ordineit que tottes les lettres impetrees ou a impetreir a chapitre general de part quelconque persone del ordene dorenavant de grasce, liberteis, indulgench, congier et punission, despensation ne tengnent ne ne soient de valeur ne ayent firmiteit se leurs prelaus ne si assentent expressement.

6. Item, que on fach le fieste del annonciation notre signour en partie dalemange ens abbies de moines et de nonains teil iour que li seculiers clers et laïs le feront.

1362

Anno [a] Domini millesimo trecentesimo sexagesimo secundo statuta sunt haec in Cistercio, etc.

1. Quoniam mendax precator carere debet merito impetratis et ad audientiam generalis Capituli pervenit quod nonnunquam pro diversis personis super dispensationibus, gratiis et variis indulgentiis subreptitie et obreptitie et tacita veritate vel suggesta falsitate litterae multoties impetrantur, et absque eorum consensu, scitu et licentia praelatorum, quamobrem cupiens generale Capitulum talium malitiis obviare statuit, ordinat et diffinit quod omnes et singulae a quibuscumque personis impetratae vel impetrandae in antea super quibuscumque gratiis et libertatibus, indulgentiis, dispensationibus, licentiis seu aliis concessionibus et permissionibus a dicto Capitulo generali adsit expressus consensus suorum praelatorum non teneant neque valeant nec alicuius roboris habeant firmitatem.

2. Quum nonnullae personae... *etc. ut ann.* 1361, *n.* 1.

---

[c] *apud* R^1 *hoc stat. sub anno* 1362.

1362. *Fontes* : R^1 : 1 ; *UW* : 2. [a] *Titulus apud* R^1.

1363

Anno [a] Domini millesimo trecentesimo sexagesimo tertio statuta sunt, etc.

1. Multi abbates minus tamen sufficienter per litteras c[l]ausas, non per procuratores, non iuxta seriem statutorum papalium institutos, et alias se debite excusant, generale Capitulum statuit, ordinat et diffinit quod de cetero nullus abbas absens reputetur legitime excusatus, nisi alias iuxta tenorem statutorum papalium, per procuratorem idoneum constitutum ad hoc specialiter, se excuset.

2. Item, diffinitionem factam ab olim ut patres abbates super missis concedendis [b] et cantandis in monasteriis quae visitant, valeant dispensare, generale Capitulum revocat et annullat, sibi huiusmodi dispensationem seu licentiam reservando.

3. Item, ad conservandam antiquam Ordinis nostri honestatem, Capitulum generale inhibet personis Ordinis universi ne in monasteriis et locis Ordinis, carnes personis saecularibus audeant ministrare absque visitatoris vel abbatis licentia speciali. Et comminationem sententiae excommunicationis alias contra tales ab Ordine factam, revocat Capitulum generale.

4. Item, cum alias per generale Capitulum fuit diffinitum et in nonnullis diffinitionibus expressum ut in criminalibus contra personas Ordinis nostri possint admitti in testimonium saeculares, declarat generale Capitulum hoc fore intelligendum dumtaxat de personis bonae famae, fide dignis, notabilibus et honestis, de quibus non est verisimile quod audeant faciliter deviare.

5. Item, diffinitionem datam de translatione abbatum, generale Capitulum declarat in hunc modum : quod si filium ad domum maternam eligi contigerit, pater abbas translationem facere potest absque Capitulo generali.

6. Item, eodem anno statuta sunt in Divione cum superioribus proxime scriptis. Cum nihil videatur actum dum aliquid superest agendum, et nonnulli abbates scolares suos ad studium missos nimis intempestive revocant, non permittentes ipsos quantumcumque habiles ad prosecutionem scientiae pervenire, generale

---

1363. *Fontes* : R^1 : 1-11 ; *UW* : 2, 12. [a] *Titulus apud* R^1. [b] cantandis et habendis : *W*.

Capitulum huiusmodi temerariis ausibus cupiens obviare abbatibus Ordinis universi, in virtute sanctae obedientiae, praecipit et iniungit, ut scolares monachos suos ad studia missos vel mittendos ante quatuor annos completos non audeant revocare. Et patres abbates ad hoc observandum compellant per censuras Ordinis, in plenaria potestate.

7. Item, generale Capitulum iustissimis rationibus permotum renovat, ratificat et confirmat diffinitiones de studentibus iam dudum et multotiens editas, mandans districtissime omnibus et singulis abbatibus Ordinis universi, secundum Benedictinas et alias diffinitiones super hoc editas scolares suos ad studium habiles, sine occasione quacumque quantocius ad Ordinis studia cum bursa competenti, mittant. Et ut hoc fiat, idem Capitulum generale patribus visitatoribus, in virtute sanctae obedientiae, quatinus de hoc in suis visitationibus diligenter inquirant, negligentes et remissos ad mittendum compellant, sub poena in praedictis statutis papalibus contentis, vel maiori, si eorum protervia hoc exegerit, sine remissione donec miserint habiles ad Ordinis studia indilate, a quo etiam ante quadriennium, nisi iusta et rationabilis subsistat causa, minime sunt revocandi. Capitulum etiam generale indignos et praesumptiores vehementer existimans Ordinis abbates istos qui huiusmodi salubri ac apostolico et Ordinis mandato non parentes, nec ad ipsum Ordinis Capitulum veniendo, et se audent dominici corporis et sanguinis consecrationi immiscere, et divinis, cum sint tot excommunicationum laqueis in suae animae grande periculum irretiti ; cum etiam ab istis duobus praedictis tota salus nostra et honor dependeat ; nam si caecus caecis praebere ducatum vult utique improvide cadunt in laqueum, heu heu, ut patet, in multis. Quippe cum parum sit legem condere, nisi sint qui eam prosequuntur, porro monitione minime indigerent huiusmodi negligentes, si intus conspicerent conscientiam accusantem, sed proh dolor, adamante quidam duriores qui monitione a foris nec conscientia deintus possunt ullomodo emolliri.

8. Item, cum saepius in fraudem Capituli generalis producuntur remanentium excusationes, et quarum praesumunt quam plurimo nimis fallat testimonium, statuit Capitulum generale et diffinit quod de cetero nullus abbas pro excusato habeatur suo solo subsigillo, sed ad minus suo et conventus littera excusatoria roboretur sigillis.

9. Item, considerans Capitulum generale defectum in personis graviter sustinere et paucos iam ad sacram religionem convolare, ex hoc permotum Capitulum generale permittit et dispensat, ut novitii ante finem infra annum ad professionem suscipi valeant, non obstantibus in oppositum editis statutis.

10. Item, ad notitiam Capituli generalis fama pervenit videlicet quod aliqui fratres Ordinis nostri in Ordinis scandalum et suarum detrimentum animarum, carnes in saeculo comedant. Cum igitur id arctius sit antiquitus prohibitum et contra hoc diffinitum, Capitulum generale huiusmodi prohibitiones et diffinitiones innovat, confirmat et praecipit seriosissime atque mandat patribus abbatibus poenas huiusmodi infligere transgressoribus et in singulis visitationibus specialiter de hoc inquisitionem habere; et si ita invenerint transgressores, puniant sic iuxta statuta papalia et diffinitiones de tali, non transeant immunes.

11. Item, Capitulum generale honestati Ordinis superintendens lamentabili propositione suscepit qualiter mulieres de monasteriis non excludantur, sed aliquando intromittantur, imo, quod nequitius [est], in aliquibus morantur; cum igitur efficienti et ardua contra tale nefas provisum est poena, eamdem poenam innovat et confirmat, sub debita obedientia, animarum salute, mandans huiusmodi poenas per omnia et in omnibus monasteriis observari.

12. Quoniam propter multiplicitatem anniversariorum personis pluribus a generali Capitulo concessorum Ordo multipliciter oneratus, statuit et ordinat Capitulum generale, ut in qualibet ecclesia abbatiae Ordinis singulis mensibus unum anniversarium celebretur die vel hebdomada, qua abbas quilibet in domo propria viderit oportere; et praeferatur in eodem anniversario quaecumque persona, quam abbas quilibet voluerit, adiunctis aliis personis, quibus anniversarium ab Ordine est concessum. Et celebrant eadem die, qui poterunt celebrare, antiqua ordinatione de quatuor praecipuis anniversariis observata. Et si aliqua anniversaria concessa fuerint, istis adiungantur. Ista anniversaria fiant cum tribus responsoriis, et tertium cum tribus versibus a cantore dicatur; prima collecta *Praesta* pluralis; secunda *Fidelium*; missa cum duobus ministris; responsorium *Si ambulem* et *Absolve* dicatur.

1365

Anno Domini millesimo trecentesimo sexagesimo quinto statuta sunt haec apud Divionem in Capitulo generali, ubi propter guerrarum turbines dictum Capitulum extitit celebratum.

1. In primis, cum pro libertatibus Ordinis defendendis olim fuerit provisum per plura ipsius statuta, ut videlicet tres primi abbates cuiuslibet [provinciae], evocatis aliquibus de senioribus secum eiusdem provinciae abbatibus ad abbatum afflictorum instantiam, inquisita prius causa et causae merito, si invenerint quod praedicti afflicti bonam causam habeant et quod contra Ordinis privilegia inquietantur, possunt contributionem competentem ordinare ; quemlibetque abbatem dictae provinciae partem dictae contributionis sibi impositae solvere recusantem cogere per censuram Ordinis ad solvendum. Quia tamen saepe contingit quod propter guerras ac plura alia impedimenta dicti tres primi nequeant insimul pro huiusmodi negotio congregari ; ne igitur propter ipsorum absentiam causas afflicto deperire contingat, generale Capitulum statuit, ordinat et diffinit quod quolibet trium abbatum iuste et legitime impedito alium abbatem de discretioribus dictae provinciae facta primitus sibi fide et iuramento intermedio de ipsius iusto, impedimento, loco sui et non alias substituere valeat qui similem in omnibus habeat potestatem.

2. Item, Capitulum generale licet iustis petentium desideriis se consueverit satis liberale exhibere, ac omnes petitiones rationabiles exaudire, ne tamen ipsum Capitulum de cetero petitionibus vel supplicationibus minus iustis onerari contingat, per praesentem diffinitionem declarat quod nulla Ordinis persona de cetero dispensationem vel rehabilitatis gratiam ad honores Ordinis et gradus obtineat, nisi de ipsius emendatione per litteras sui abbatis et conventus generali Capitulo faciat plenam fidem.

3. Addit etiam dictum Capitulum quod super venditione et alienatione bonorum Ordinis per abbates et conventus in posterum faciendis nulla petitio admittatur, nisi valor et quantitas pecuniae dictarum venditionum vel alienationum in petitione exprimatur.

1365. *Fons unicus* : *R*[1].

4. Addit ulterius Capitulum generale quod in quibuscumque concessionibus in quibus continetur ad vitam vel plurium, illa additio « plurium » ultra duos se non extendat.

1366

Anno [a] Domini millesimo trecentesimo sexagesimo sexto statuta sunt, etc.

1. In primis, attendens generale Capitulum ex fructuum amenitate serenitatem stipitis notabiliter commendat, sacratissimae partus sanctae Annae magnificendae incitus veneratione totus Ordo Cisterciensis fundatus est, spiritali quodam iucunditate cupiens idem Capitulum ipsius intemeratae Virginis nonnullis laudibus et obsequiis prevenire, statuit, ordinat et diffinit quod de cetero festivitatem ipsius felicissimae parentis beatae Annae fiat commemoratio prout de aliis sanctis non habentibus XII lectiones est consuetum, et ipsa die festivitatis suae missa in conventu per singula monasteria Ordinis cum devotione solemniter celebretur.

2. Item, cum fide dignorum relatione generali Capitulo insinuatum fuerit quod nonnulli abbates et monasteriorum officiales integram et veram de receptis et expensis et de hiis quae prae manibus habent in praesentia visitatorum negant facere computationem, asserentes se ad hoc ex aliquo Ordinis statuto non teneri, generale Capitulum, matura super [hoc] deliberatione praehabita, statuit, ordinat et diffinit quod sub debito praestiti iuramenti huiusmodi computationes realiter, veraciter et integre in praesentia visitatorum et seniorum domus quae visitantur fiant, ut patres abbates statum filiarum suarum, sicut tenentur, ex integro cognoscant, et fraudibus et damnis monasteriorum salubrius caveatur in futurum.

3. Item, cum fraus et dolus nulli patrocinari debeant, sed quisque de fraude commissa debitam reportare debeat ultionem, et ad audientiam Capituli generalis fida relatione pervenit, quod nonnullae personae Ordinis licentiam permutandi aliquas hereditates cum aliis a Capitulo obtineant ; in istis permutationibus fraudem committant non modicam, tradendo bonas possessiones

---

1366. *Fontes* : R^1 : 1-7 ; *W* : 8. [a] *Titulus apud* R^1.

et fertiles ad sua monasteria pertinentes pro malis et sterilibus et modica pecunia cum eis recipienda, in suorum monasteriorum detrimentum non modicum et gravamen ; huic morbo pestifero gerens in votis Capitulum generale providere salubri medicina, inhibet ne tales permutationes fieri de cetero permittantur, sed cor ad cor hereditates in hereditatibus equivalentibus et mortizatis absque traditione pecuniae commutentur, statutis papalibus in praemissis observatis. Quaecumque persona Ordinis in contrarium attentare praesumpserit ultra notam periurii sententiam excommunicationis incurrat ipso facto.

4. Item, abusum detestabilem qui in nonnullis monasteriis non solum contra regularia nostri Ordinis verum etiam contra canonica instituta dicitur observari, videlicet quod de proventu aliquarum missarum fundatarum pecunia inter monachos dividitur, et quilibet suam recipit et apud se retinet portionem, cum hoc non sit aliqualiter proprietatis alienum, tanto efficacius reprobat Capitulum generale quanto in periculum redundat animarum, districtissime inhibens ne de cetero talis pecunia aliquo modo praedicto dividatur, sed ad voluntatem et dispositionem patrum abbatum per communes bursarios monasteriorum recipiatur et expendantur. Nec recipiantur tales missae quarum proventus inter celebrantes dividi oporteat, sed omnia in communes usus reducantur. Quicumque vero aliter attentare praesumpserit ac procuraverit, poenam proprietariorum per omnia puniatur.

5. Item, cum dudum per generale Capitulum fuerit diffinitum quod quicumque monachus vel conversus pro abbatis creatione, visitatione, correctione, vel aliqua monasterii ordinatione principes vel potentes adierit et eorum auxilium, preces vel litteras impetraverit, ac personas quascumque quae non sit de Ordine nostro ad hoc vocaverit, vel vocare consenserit, sint eo ipso excommunicati et deprehensi a domo propria eliminentur sub poena conspiratorum, non nisi per generale Capitulum reversuri ; nec patres abbates seu illi quibus commiserint vices suas, quamdiu tales qui sic notati praesentes fuerint, iam coeptum officium ulterius exsequantur. Abbates etiam qui similia fecerint vel fieri consenserint eo ipso pro depositis habeantur. Et nihilominus abbates et monachi tempore visitationum et electionum et aliarum ordinationum monasteriorum fiendarum, notarios publicos et alias personas quae non sunt de Ordine nostro infra septa monasterii introducunt, statuta Ordinis contemnendo Ordinis-

que libertatem atque statuta multipliciter impediendo, sententias superius latas incurrere minime formidantes ; tantae temeritatis effrenatam audaciam Capitulum generale cupiens refrenare et de remedio opportuno providere in praemissis, iniungit, praecipit et mandat omnibus patribus abbatibus et visitatoribus Ordinis universi, quatinus in praemissis delinquentes puniant viriliter secundum continentiam statutorum antiquorum. Ad hanc poenam obligat Capitulum generale omnes Ordinis moniales.

6. Item, cum quamplures Ordinis Cisterciensis monachi et professi, frivolis occasionibus exquisitis, et quas subter signum disciplinae regularis, de curis saecularibus et capellaniis in diversis episcopatibus, sub spe lucri peculiaris, non salutis, desiderant deservire, consueverunt ab abbatibus per potentium preces importunas litteras extorquere, ex quorum damnosis evagationibus scandala multotiens in Ordine sunt exorta, et quod deterius est in multis per dioeceses talium mercenarii opere pretextu libertas et exemptio Ordinis extitit pluries perturbata. Quod est in totius Ordinis praeiudicium non modicum et divini officii maximum detrimentum. Attendens generale Capitulum quod ex hiis et similibus posset magna perturbatio in Ordine provenire, ad obviandum periculis et ne propter hoc quomodolibet in posterum infringantur Ordinis libertates, idcirco generale Capitulum statuit et diffinit quod de cetero nulli monachi de Ordine et professi de praetactis servitiis capellaniarum et curarum seu parochialium ecclesiarum, absque Capituli generalis licentia speciali nullatenus se intromittant. Quoscumque autem de praesenti ad talia destinatos ex nunc ipsos revocat Capitulum generale, et si recedere et ipsas (?) contempserint, quod absit, taliter per proprios abbates corrigantur quod ceteris merito transire debeat in terrorem.

7. Item, cum ex mendacio et varietatibus cautelosis nonnullorum saepe ad monasteria Ordinis declinantium inferuntur ipsis monasteriis saepissime spiritualiter et temporaliter damna seu detrimenta, generale Capitulum statuit, ordinat et diffinit quod de cetero personae non teneantur ad receptionem monachorum, conversorum, famulorum Ordinis quorum notitiam non habuerint, nisi viaticum vel litteras commendatitias habuerint, vel ostendant quarum praetextu possint conscientiae recipientium ob inde talium statu et notitia sufficienter informari.

8. Abbates de Colbaz et de Oliva iubentur de alienatione bonorum in Pelplin inquirere.

1367

Anno [a] Domini millesimo trecentesimo sexagesimo septimo statuta sunt haec, etc.

1. In primis, cum anno praeterito a Capitulo generali extiterit [diffinitum] quod de beata Anna gloriosa Virginis Mariae genitrice fiet commemoratio die festivitatis suae in vesperis et matutinis et una missa, prout fit de sanctis commemorationem et missam habentibus, per Ordinem universum, et tamen in diffinitione super hoc edita quale officium diceretur non fuerit declaratum, et de die ipsius festi dubitent aliqui cum in kalendario Ordinis minime habeatur, super praemissis declarationem faciens Capitulum generale, ut in Ordine uniformitas teneatur, ordinat et statuit quod in crastino beati Iacobi apostoli festum ipsius celebretur, et in kalendario Ordinis celebretur *(sic)* et conscribatur ; commemoratio in vesperis *Veni sponsa,* etc., versus *Diffusa est,* collecta *Exaudi nos* ; in vigiliis *Veni electa,* versus et collecta ut supra. Officium missae sicut de beata Maria Magdalene, exceptis quod [loco] *Alleluia* dicitur *Diffusa est* ; evangelium *Liber generationis,* per Ordinem universum.

2. Abbates de Colbaz et de Oliva referunt Capitulo generali de alienatione bonorum in Pelplin.

3. Petit abbas de Sancta Cruce in Austria, quatinus sibi et monasterio suo de speciali licentia concedatur, ut mulieres et feminae magnatorum et potentum in exequiis funerum suorum ipsum monasterium ingredi valeant libere et impune ; quae petitio per generale Capitulum exauditur.

1368

Anno Domini millesimo trecentesimo sexagesimo octavo statuta, etc.

1367. *Fontes* : *R*[1] : 1 ; *W* : 2, 3. [a] *Titulus apud R*[1].

1368. *Fons unicus* : *R*[1].

1. In primis, ut in omnibus actibus et concessionibus quibus per Ordinem universum agendis et fiendis cessis damnandae ambitionis improbitas et detestandae simoniae labes radicitus extirpetur, generale Capitulum pie statuit, ordinat et diffinit ut quotiens alicui monasterio ipsius Ordinis dari, legari, offerri vel relinqui a quibuscumque personis bona temporalia contigerit, ac continget, missae vel alia suffragia spiritualia sive bona a dicto monasterio cui talia dona oblata legata vel relicta fuerint, occasione huiusmodi hiis qui ea contulerunt, obtulerunt vel legaverunt, ac eorum heredibus in perpetuum vel ad vitam nullatenus deducantur ; seu etiam sub obligatione, conditione ac modo approprientur vel repromittantur aliquali ; sed ubi missarum vel spiritualium bonorum ac suffragiorum bonorum concessiones fieri contingent sincera et pura fiant devotione sub forma inferius annotata, quae in concessione talium teneatur perpetuo et observetur per Ordinem universum. « Visuris praesentes litteras, visuris ac audituris. Nos frater talis, abbas monasterii totusque eiusdem loci conventus Cisterciensis Ordinis, talis dioecesis. Notum facimus quod talis fervore sincerae devotionis accensus in honorem Dei et Beatae Mariae omniumque sanctorum ad sustentationem et augmentationem divini cultus, de bonis temporalibus a Deo sibi collatis, Deo et Beatae Mariae nobisque et nostro monasterio in puram ac liberam eleemosynam dedit seu devote obtulit perpetuo cum effectu quem per efficacem experientiam sentimus et reputamus nobis et dicto monasterio nostro fuisse et esse plurimum fructuosa. Nos devotionis eius puritatem propensius attendentes affectantesque quantum possumus ipsum cum dignis et devotis prosequi favoribus, ut tenemur, statuimus et ordinamus volumusque, ac pure et libere concedimus unam missam perpetuam vel talia etiam in perpetuum ad vitam praedicto N. benefactore nostro eiusque praedecessoribus, successoribus et devotis, pro ipsorum remedio animarum et salute fore deinceps in dicto nostro monasterio celebrandam, dum tamen nostri generalis Capituli assensus et consensus accedat. Datum, etc. » Conferentes quoque vel collaturi dicta bona ipsis locis Ordinis modum loquendi teneant infra scriptum ; qui, datis vel oblatis per eos de bonis suis, ante donationem vel oblationem, seu in ipsa donatione vel oblatione aut post, requirant et supplicant humiliter et devote religiosis monasterii cui sic sua contulerunt aut offerunt ut ipsos in divinis suffragiis associare velint

et pro eis et pro eorum praedecessoribus, successoribus et devotis attenta oblatorum qualitate et quantitate monasteriique possibilitate unam missam vel prout voluerint supplicare cum devotione debita celebrari.

2. *Item*, cum exiit perversorum effrenata malitia ut non solum prohibitione superiorum non sint contenti, sed etiam suis constitutionibus poenae debitae apponantur ut per institutionem poenarum ad observationem statutorum coarctentur subditi, et a transgressione damnabili arceantur ; sed cum ab antiquo fuerit per generale Capitulum institutum ut nulla persona quae non esset de legitimo thoro procreata vel de cuius dispensatione non liqueret, aliqualiter reciperetur vel admitteretur ad nostri Ordinis habitum regularem ; quod statutum dicitur in nonnullis monasteriis Ordinis utriusque sexus huc usque minime custoditum, in totius Ordinis damnum, opprobrium non modicum et gravamen, cum per ineptitudinem talium personarum quae de facili turpitudines imitantur, in fama laesiones et in bonis dispendia gravissima Ordo sit oppressus. Huic morbo tam pestifero salutiferum remedium cupiens adhibere Capitulum generale antiquum statutum innovans districtissime inhibet omnibus abbatibus et abbatissis Ordinis universi, ne aliqua persona quae non sit legitimi thori, vel cum qua non fuerit per Sedem Apostolicam dispensatum de cetero ad habitum quemcumque Ordinis regularem recipere seu admittere audeant vel praesumant. Abbates vero et abbatissae tales scienter recipientes vel huiusmodi receptos praebentes consensum, vel ut tales recipiantur procurantes, sententiam excommunicationis incurrant ipso facto, a qua non possunt absolvi nisi in mortis articulo per Capitulum generale.

1369

Anno Domini millesimo trecentesimo sexagesimo nono, statuta sunt haec, etc.

1. In primis, Capitulum generale statuit, ordinat et diffinit praecipiens abbatibus Ordinis universi quatinus nullum propter esum carnium supportent a missarum celebratione et chori

---

1369. *Fons unicus* : *R*[1].

frequentatione qui alias causas absentantes a choro vel abstinentes a missa noluerint assignare, sed ad minus intersint vigiliis et missis conventualibus et vesperis et completorio. Qui secus fecerint per unum mensem priventur solatio et recreatione carnium.

1370

URBANI V EPISTOLAE AD CAPITULUM GENERALE CISTERCIENSE DIRECTAE [a].

Dilectis filiis monasterii Cisterciensis, Cabilonensis dioecesis, et ceteris abbatibus et diffinitoribus necnon aliis fratribus ordinis Cisterciensis in generali eorum Capitulo in proximo celebrando convenientibus, salutem, etc.

Cum, sicut audivimus, ex more vestro laudabili debeatis de proximo vestrum generale Capitulum celebrare, de reformatione et conservatione statu[s] vestri ordinis tractaturi; universitatem vestram monemus et hortamur attente per apostolica scripta vobis mandantes quatinus sicut uni, devoti et providi zelum fervidum habentes ad Deum et bonum statum ordinis praelibati sitis solertes in extirpandis vitiis et virtutum germinibus conserendis, et si quam inter vos inimicus homo zizaniam seminasset, illam prudenter eradicare curetis et quae ad salubrem statum dicti ordinis pertinere noveritis statuatis et efficaciter exsequi studeatis, rogaturi devote Altissimum pro statu unius et universalis Ecclesiae sanctae Dei. Et ut ad praedicta tanto reddimini promptiores quanto uberiori Sedis Apostolicae gratia senseretis vos refectos, de omnipotentis Dei misericordia et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi omnibus vobis in generali Capitulo ipso praesentibus et hiis fratribus ordinis ipsius qui venientes ad illud aut impedimento legitimo praepediti in eo praesentialiter interesse nequiverint, qui estis et sunt in statu gratiae vel post dictum Capitulum eritis et erunt infra octo dies, septem annos et septem quadragenas de indulgentiis, vobis et eis poenitentiis misericorditer relaxamus.

Datum apud Montemflasconem, xij kalendas junii, anno **VIII°**.

1370. [a] *Ex registr. Vatican.* 250, *fol.* 82.

STATUTA EIUSDEM ANNI.

Anno [b] Domini millesimo trecentesimo septuagesimo, statuta sunt, etc.

1. Diffinitionem anno praeterito editam de et super quod monachi existentes in infirmitoriis teneantur chorum et etiam prout alii frequentare, generale Capitulum certis causis permotum ad amovendum dubietatis scrupulum vult sic intelligi a personis Ordinis universi, quatinus in abbatum arbitrio sit ordinatio praelibata.

2. Item, quoniam pro constitutione privatarum camerarum multotiens in Ordine scandala sunt exorta, cedantque tales camerae in consumptionem detestabilem et diminutionem non modicam substantiae temporalis monasteriorum et locorum conventualium Ordinis per commessationem inordinataque conventicula, esus carnium, murmurationes, interdum conspirationes contra praelatos et Ordinis instituta ; idcirco generale Capitulum ad damnosam insinuationem quorumdam tantae abusionis audaciam cupiens refrenare, statuit, ordinat et diffinit quatinus in monasteriis Ordinis omnes cellae in dormitoriis penitus diruantur, et camerae privatae omnium quarumcumque personarum [secundum] statuta papalia antiquasque consuetudines Ordinis ; exceptis illis quibus ab antiquo camerae conceduntur ad iussum et ordinationem abbatum, communitatum, et infirmorum usibus applicentur, quacumque consuetudine, imo verius corruptela, in contrarium non obstante. Et nihilominus dictum Capitulum universis et singulis abbatibus Ordinis, in virtute sanctae obedientiae et sub poena excommunicationis, praecipit et iniungit quatinus infra duos menses a publicatione praesentium computandos cellas in dormitorio dirui procurent, et ad statum pristinum reduci faciant, camerasque privatas ac dirui faciant si sint inutiles ac communitatum usibus, prout dictum est, faciant totaliter applicari, nec novas construi permittant in suis monasteriis a quocumque, nec etiam in eisdem cameris cuiquam ministrare carnes audeant nisi in locis et talibus ab antiquo in Ordine consuetis.

---

[b] *Fons unicus* : R^1.

1371

Anno Domini millesimo trecentesimo septuagesimo primo statuta sunt haec, etc.

1. In primis, cum secundum ordinem rationis parum fuit ordinationes vel statuta condere nisi sit qui eas seu ea studeat adimplere ; certumque est quod a prima Ordinis institutione et deinceps tam textus sanctae regulae quam sanctorum patrum sub iugo ipsius successive degentium, ordinationibus desuper esu carnium et delatione habituum regularium tot et tanta fuerint, praecepta, prohibitiones et statuta quod moderno tempore a plerisque personis regularibus Ordinis utriusque sexus, nedum impedimentum diffinitiones olim sunt latae et decretae, ex tunc eiusmodi contumaces et rebelles merito censentur incidisse sententias contra eos dudum latas ; si vero personae Ordinis non monitae nec prohibitae a suis superioribus, ut praefertur, convicti fuerint de excessibus pro quibus per Capitulum generale de facto sunt denuntiatae vel excommunicatae excessus per se sponte confessae fuerint, decrevit Capitulum generale easdem personas per graviorem et leviorem culpam ac habitus seu gradus vel officiorum privatione ac alias poenas Ordinis ad nutum abbatum et seniorum domus iuxta excessus qualitatem et quantitatem condigna severitate fore plectendas. Quas poenas vel aliquam ipsarum quae se personae Ordinis subire contempserint, vel dictos excessus, quod absit, post peractam poenitentiam reiterare praesumpserint, easdem personas Capitulum carceri mancipari declarat usque ad nutum suorum superiorum. Abbates vero dictis excessibus pro quibus, ut praefertur, sententiae sunt latae, reperti et notati, per Capitulum generale vel patres abbates iuxta modum culpae graviter puniantur. Quod si sic correcti vel puniti ac moniti non emendaverint, exinde sine medio et mora per suos superiores ab officiis deponantur. Sententias vero latas contra abbates non mittentes scolares, et non solventes contributiones debitis terminis, nec visitantes Capitulum generale per se vel procuratores, vult idem Capitulum in suo robore perdurare.

2. Item, licet de inclusione monialium Ordinis tam per sacros

---

1371. *Fons unicus* : *R*[1].

canones quam Ordinis statuta sufficienter sit provisum et ordinatum, dum tamen episcopi et abbates, executores et commissarii ad hoc specialiter deputati, in huiusmodi executionem hucusque negligentes extiterunt ; et dictae moniales, honestatis laxatis habenis et monachali modestia sexusque verecondia imprudenter abiectis, extra sua monasteria nonnumquam per habitacula saecularium et religiosarum personarum discurrere ac balnea naturalia impudenter visitare, et frequenter intra sua monasteria personas suspectas admittere, minime verentur. In illius suam integritatem spontanea voluntate devoverunt gravem offensam et religionis opprobrium et scandalum plurimorum. Quibus malis Capitulum generale obviare cupiens, ordinat, statuit et diffinit ut portae monasteriorum monialium nocte ac die firmiter obfirmentur, et obfirmatae maneant sic quod ulli virorum cuiuscumque conditionis, status vel eminentiae existat ingressus vel accessus pateat ad easdem moniales, principibus dumtaxat et abbatibus exceptis. Et verum etiam, quod est magis dolendum, totaliter contemnunt totius Ordinis dedecus, disciplinae regularis enervationem ac scandalum plurimorum ubique locorum, tam intus quam extra monasteria propria, tam tempore debito quam prohibito ab Ordine, inhonestam et detestabilem corruptelam carnibus abutentes, et contra honestam Ordinis cum mantellis ocreis, sotularostratis et laqueatis, cultellis acuminatis, ceterisque habitibus inhonestis et decurtatis incedentes et multotiens equitantes, tantae abusiones audacia cupiens generale Capitulum totis viribus refrenare, statuit, ordinat et diffinit sub poenis in statutis papalibus et diffinitionibus Ordinis contentis districtissime inhibendo ne de cetero personae regulares Ordinis cuiuscumque status, sexus aut conditionis existat, extra loca ab Ordine esui carnium deputata, uti carnibus praesumant, nec cum mantellis ceteris habitibus inhonestis amplius incedere seu etiam equitare. Quaecumque vero persona regularis statutum huiusmodi transgrediendo reperta fuerit abutens, poena in dictis statutis papalibus contenta irremissibiliter puniatur. Talesque habitus inhonestos temere deferentes, si ter admoniti non emendaverint, priventur habitu regulari. De intentione autem Capituli non est privilegiis et gratiis felicis recordationis domini Innocentii Papae VI et aliis Summis Pontificibus super esu carnium concessis ut in aliquo derogetur.

1372

Anno Domini millesimo trecentesimo septuagesimo secundo statuta sunt, etc.

1. Cum effrenata cupiditas nonnullorum infringere privilegia et libertates Ordinis moliantur hiis diebus, novas facere exactiones imponendo et petendo, ut autem praedictae libertates sedulius et securius defendantur, Capitulum generale statuit, ordinat et diffinit quatinus quandocumque aliquod insolitum vel inconsuetum petetur sive requiretur ab aliqua nostri Ordinis persona, illud solvere non praesumat vel attentet, abbatibus illius povinciae inconsultis ; sed fiat provincialis convocatio ubi maturius pertractare debent quod super hoc pro meliori sit agendum, ut unanimes in suis factis reperiantur et concordes.

1373

Anno Domini millesimo trecentesimo septuagesimo tertio statuta sunt, etc.

1. In primis, Capitulum generale statuit ordinat et diffinit, [quod horae Beatae Mariae Virginis] [a] in choro ecclesiarum cum omni reverentia et honore stando in communi persolvantur et pro modo qui est in eodem Capitulo laudabiliter ordinatus.

1374

Anno [a] Domini millesimo trecentesimo septuagesimo quarto statuta, etc.

1. In primis, Capitulum statuit quod de cetero in quocumque monasterio Ordinis, tam monachorum quam monialium, non recipiantur ad quemcumque habitum regularem, plus quam duo fratres et duae sorores, et de una provincia atque villa plus quam

---

1372. *Fons unicus* : R^1.

1373. *Fons unicus* : R^1. [a] *Haec verba supplenda sunt ex stat.* 2 *ann.* 1374 ; *cf. etiam ms.* 716 *abbatiae cist. de Hilaria, de quo apud* Studien und Mittheilungen t. XVII, 1896, p. 88 *scripsit P.* OTTO GRILLNBERGER.

1374. *Fontes* : R^1 : 1-3 ; *W* : 4. [a] *Titulus apud* R^1.

tres, abbatibus et abbatissis Ordinis universi, in virtute sanctae obedientiae, praecipiens et iniungens hoc observari sub poena excommunicationis quam incurrunt ipso facto.

2. Item, de horis Beatae Virginis in choro, Capitulum confirmat sicut anno praeterito est statutum.

3. Item, generale Capitulum omnibus abbatibus Ordinis districte inhibet ne de cetero monachis ambitiosis Curiam romanam adeundi licentiam dent, si excommunicationis sententiam voluerint evitare.

4. Capitulum generale omnibus abbatibus in Bohemia et terris ad eam pertinentibus praecipit, ut singuli duos monachos ad studium Pragense mittant et ipsis in victu provideant.

1375

Anno Domini millesimo trecentesimo septuagesimo quinto, statuta sunt haec in Divione a Capitulo generali.

1. In primis, Capitulum statuit ut festum XII lectionum et unae missae fiat de beata Anna matre Dominae Mariae, si conventus voluerit.

2. Item, si commemoratio omnium personarum regularium evenerit in vigilia Pentecostes, et deinceps usque ad diem Trinitatis, ad vesperas et feria secunda in crastino celebretur, nisi festum XII lectionum sit in crastino celebrandum.

3. Item, gratiae concessae super esu carnium extra debita loca revocantur. Sequitur alia diffinitio valde optima.

1377

1. In primis, pertimescens Capitulum generale nimia multiplicatione statutorum et inhibitionum eius multiplicari transgressiones et delicta, cum hominum natura frequentius nitatur in vetita et ardentius cupiat denegata, diffinitiones et statuta per eum contra personas Ordinis comedentes carnes vel pulmenta cum carnibus condita vel decocta extra monasteria seu loca con-

---

1375. *Fons unicus* : *R*[1].
1377. *Fontes* : *UW*.

ventualia nostri Ordinis, et etiam infra monasteria seu loca praedicta aut in cameris et extra infirmitorium commune contra observantiam Ordinis diutius observatam, hactenus editas quocumque tempore, sub quacumque forma verborum, vel poenas corporales et spirituales in eis contentas penitus revocans, abbates et alios praesidentes Ordinis hortatur, in Domino praecipiens eis nihilominus firmiter et iniungens, ut transgressores regulae sanctissimi patris nostri et legislatoris Benedicti et ordinationum bonae memoriae domini Benedicti Papae XII circa praemissa et ea tangentia corrigant et puniant solito virilius per poenas debitas in dictis statutis papalibus ordinatas.

1387

Anno [a] Domini millesimo trecentesimo octogesimo septimo statutum [b] fuit hoc in Capitulo generali.

Desolationem [c] studiorum Ordinis generalium et praecipue Sancti Bernardi Parisiensis propter paucitatem imo quasi nullitatem studentium personarum dolenter intuens, et eidem subvenire totis viribus cupiens Capitulum generale, praecipiendo firmiter statuit, ordinat et diffinit, ut de quolibet Ordinis monasterio, cuiuscumque provinciae seu generationis, in cuius sunt, erunt vel esse poterunt, duodecim monachi, ad aliquod dicti Ordinis studium generale debeat unus monachus destinari, seu destinatus teneri, cum bursa et provisionibus ordinatis per papalia statuta, et qui mittendus fuerit, anno quolibet mittatur infra festum Omnium Sanctorum, alioquin abbates, priores, suppriores, cellerarii, bursarii et alii officiarii et conventus dictorum monasteriorum, qui in dicto termino monachum seu monachos, quemadmodum dictum est, non miserint seu missos non tenuerint cum

---

1387. *Fontes*: *JL*[1]*MP*[2]. [a] *Titulus apud JL*[1]. [b] statuta sunt haec: *L*[1]. [c] *apud JL*[1] *legitur nota sequens, quae in cod. P*[2] *tamquam statutorum textus extitit*:

Quod anno Domini 1316 fuit compilatus *Libellus diffinitionum*. Anno autem 1350 fuit facta additio quae dicitur *Novellae*. Et ita omnia quae habentur in Registris diffinitionum usque ad annum Domini 1350, sunt collecta in eisdem *Libello* et *Novellis*, et sic ipsa integra manent, sic ea quae habentur in isto et universis sequentibus bene examinanda et ponderanda sunt, quia derogatur contentis in eisdem *Libello* et *Novellis* ubi eis adversantur. Anno 1390 de sigillo Diffinitorum.

bursa et provisionibus supradictis, teneantur elapsis duobus mensibus duplum bursarum et provisionum huiusmodi mittere suis expensis ad studium supradictum, cuius quidem dupli medietas secundum papalia eadem statuta studenti, pro quo mitti debebant, pro libris applicetur emendis, et alia in usus commune aliorum studentium per cellerarium dictorum studiorum convertatur.

Et si dicti abbates, priores, suppriores, cellerarii, bursarii et alii officiarii dictorum monasteriorum praefatum duplum, ut praefertur, infra sex menses dictum terminum immediate sequentes non miserint, eo ipso, dictis sex mensibus elapsis, sententiam excommunicationis se noverint incurrisse. Quam sententiam excommunicationis, si diutius, quod avertat Deus omnipotens, sustinuerint animis induratis, ad ulteriores poenas contra ipsos procedet idem Capitulum generale. Patres autem abbates monasteriorum Ordinis, in quorum quolibet non sunt, erunt vel esse poterunt, ut praefertur, duodecim monachi, abbates, priores, suppriores, cellerarii, bursarii et alii officiarii ipsorum talium monasteriorum per inflictionem dictarum poenarum viriliter et debite compellant ad expensas dictorum sibi subiectorum monasteriorum, ut de duobus talibus monasteriis et expensis duorum monasteriorum talium pauperum, secundum praefatum modum, ad studium unus ipsorum monachorum alternandis per singulum quadriennium vicibus monachis destinetur.

Per praemissa enim dictum Capitulum non vult aut intendit sicut nec praetendit, praedicis statutis papalibus in aliquo derogari. Certis etiam ex causis dictum Capitulum permotum sub excommunicationis poena inhibet districte omnibus Ordinis monachis, ne Aureliani vel alibi extra monasteria et studia ipsius Ordinis generalia praesumant tum solius vel principaliter studii commorari, licentias per dominum Cistercii vel ipsum Capitulum generale forsitan concessas, vel ordinationes factas inde et super hoc, seu tali residentiae scienter penitus revocando per tenorem praesentis statuti [d].

---

[d] *P² haec habet in margina* : Urbano 6º Papa ; Gerardo abb. Cist. 35º ; Carolo 6º rege Franc. ; Vinceslao imp. Roman. — *Nota insuper quod apud MP² abbreviata tantum formula legitur.*

1388

Diffinitionem de et pro mittendis ad Ordinis studia generalia scolaribus, et tenendis, sustinendis ac procurandis in eisdem anno super elapso per generale Capitulum salubriter et viriliter editam, [et oblatam] Sanctissimo Domino nostro Summo Pontifici, ac praecipue reverendissimo in Christo patri domino cardinali Saluciarum, Ordinis nostri protectori, ac aliis reverendissimis dominis cardinalibus merito vel de gratia idem generale Capitulum ex abundanti ratificat, approbat et confirmat et adiiciens idem Capitulum omnibus et singulis monachis dicti Ordinis inhibet districte sub excommunicationis latae sententiae poena, ne alicubi loco quocumque extra monasteria vel loca conventualia extra ipsius Ordinis studia generalia praesumant causa solius vel principaliter studii commorari.

Patribus autem abbatibus Ordinis universi districtissime praecipit dictum Capitulum generale quatinus in suis visitationibus et alias prout commode poterunt, inquirant diligentius, an abbates sive mediate vel immediate subiecti dictae diffinitioni paruerint, ut quos non paruisse repererint et ad dicta studia scolares non misisse, et in eisdem non tenuerint, et debite procurare secundum diffinitionem attendant, poenas pro eadem quam non parentes eisdem inflictas decernant et denuntient incurrisse. Et ad exactionem poenarum pecuniariarum in eadem contentarum, et per ulteriores poenas, etiam depositionis ab abbatiali statu et aliis administrationibus si casus exigant, vigorosius procedant in Ordinis plenaria potestate, invocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis. Inhibet etiam abbatibus Ordinis universi districte in virtute sanctae obedientiae dictum Capitulum generale, ne monachos suos scolares ad lecturas praecipue Summarum vel Bibliae ordinatos a dicto studio praesumant aliqualiter revocare, donec lecturas Summarum compleverint in eodem.

1388. *Fontes* : *JL*[1]*P*[2]. *Unicum huius anni statutum apud JL*[1] *legitur sub anno* 1387 ; *apud P*[2] *autem, post marginalem notam* : Urbano 6° Papa ; Gerardo abb. Cist. 35°, *legitur haec abbreviatio* : Confirmat diffinitionem anni praecedentis de mittendis ad Ordinis studia generalia scolaribus.

1389

Anno [a] Domini millesimo trecentesimo octogesimo nono statuta sunt haec apud Cistercium, in Cisterciensis Ordinis Capitulo generali.

1. In [b] primis, guerrarum turbines, viarum discrimina et alia quamplurima tempestatum incommoda, quibus hodiernis diebus concutitur et comprimitur, proh dolor! totus mundus, et obedientiae filii a suis sanctis propositis retardantur, considerans madentibus oculis Capitulum generale omnes et singulos abbates Ordinis, qui praesentes Capitulo debuerunt personaliter interesse, et nihilominus se super hoc excusantes tenet ipsum Capitulum a via praesentis Capituli favorabiliter excusatos. Alios autem abbates super hoc negligentes et remissos reputat contumaces ipsis omnibus praecipiens et iniungens eos peremptorie citando, quatinus futuro proximo Capitulo generali suam personalem praesentiam exhibeant, alioquin contra ipsos per poenas in statutis papalibus et Ordinis contentas acrius procedetur. Universis autem patribus abbatibus ordinat districtius et iniungit generale Capitulum quatinus diffinitionem huiusmodi transmittere studeant suis filiis et subiectis.

2. Diffinitiones de scolaribus mittendis ad Parisiense studium et poenas in eisdem contentas, praesertim diffinitiones in duobus Capitulis praecedentibus editas renovat et roborat praesens Capitulum generale, abbati de Relec dans ipsum Capitulum in mandatis quatinus abbates Ordinis provinciarum Britanniae, Normandiae, Pictaviae et Andegaviae ad mittendum scolares secundum modum et formam diffinitionum praedictarum coerceat et compellat, in plenitudine ipsius Capituli potestatis.

3. Domino Claraevallis committit generale Capitulum ut videat et diligenter inquirat, an tractatus per abbatem et monasterium de Tribus Fontibus factus et initus cum domino Petro de Villaribus milite, super traditione molendinorum de Fragnatorum dicto monasterio pertinentium, mediante censu annuo ad vitam trium personarum dumtaxat, et informatione diligenti

---

1389. *Fontes*: *J*: 1-12; 14-58; *L*[1]: 1-58; *M*: 1, 8, 10, 26, 48, 49; *P*[2]: 1, 8, 10, 18, 26, 27, 32, 48, 49, 52, 57. [a] *Titulus apud JL*[1]. [b] *form. abbr. apud MP*[2].

praehabita, si dictum tractatum ad monasterii commodum repererit, ipsum confirmet auctoritate Capituli generalis.

4. Tractatum, transactionem, compositionem, pactum factos et initos inter nobilem virum dominum Guillemum de Granceyo, militem, dominum de Larceyo et de Villa Dei, ex una parte, et abbatissam ac conventum monasterii monialium de Caritate prope Lisinas, super eo quod dictae supplicantes requirebant, occasione legitima, ut credebant, 60 flor. turon. annui redditus super villam praedictam de Villa Dei, duos sextarios frumenti et totidem hordei ad mensuram dictae villae, quos redditus nunquam de alicuius memoria perceperunt, et dictus miles nihil eis debere asserebat ex adverso. Tandem inter partes concordatum extitit, quod dictus miles eisdem supplicantibus concedet et dabit eis pro semel triginta francos auri dictis dominabus pro emendis redditibus, ut in litteris super hoc confectis plenius continetur, ne dictum monasterium consumi contingat in litigiis et forte in finalibus sua intentione privari penitus et frustrari; Capitulum generale confirmat, ratificat et approbat.

5. Ad petitionem abbatis et conventus de Fonteneto, Capitulum generale cum fratre Haymerico [c] de Tonordo, monacho suo et sacerdote, gratiose dispensat, quod ad gradus et honores, et actus legitimos Ordinis, excluso abbatiali honore, promoveri et assumi valeat, non obstante quod per triennium vel quasi apostataverit per saeculum vagabundus.

6. Cum fratre Michaele, monacho de Bullencuria [d], qui, dudum inimici rugientis impellente saevitia, in dormitorium quamdam mulierem suspectam introduxit, dispensat generale Capitulum, quod non obstantibus praemissis ad actus legitimos Ordinis, honores et dignitates, abbatiatu excluso, dum aliud canonicum non obsistat.

7. Annuens generale Capitulum petitioni abbatis et conventus monasterii Igniaci dispensat cum fratre Ioanne de Woissigny [e], monacho dicti monasterii, quod suadente humani generis inimico per annum apostataverit, regulari habitu non dimisso, sed immiscendo se temere in divinis, quod non obstantibus praemissis ad omnes status Ordinis, administrationes et honores, abbatiali dignitate seclusa, promoveri valeat et assumi.

---

[c] Henrico : *L*¹. [d] Bullenetis : *L*¹. [e] Uboynssigny : *L*¹.

8. De[f] discretione domini Claraevallis plenarie confidens Capitulum generale, eidem duxit ex certa scientia committendum, ut cum quibuscumque suae generationis monialibus dispensatione seu habilitatione indigentibus, hoc anno durante, in Capituli plenaria potestate dispensare valeat, secundum dictamen conscientiae et merita personarum.

9. Desolationem lugubrem monachorum de Langonio et de Silva Melonii cernens generale Capitulum oculis compassionis, timens verisimiliter subsequi inconvenientia graviora, de Reliquiis et de Boquiano monasteriorum abbatibus duxit idem Capitulum provide committendum, eisdem ordinans et iniungens, quatinus ad dicta monasteria de Langonio et de Silva Melonii quamprimum commode poterunt, personaliter accedant, et vocatis illis qui interesse poterunt, et quos rationis iudicium praecipit evocari, auditisque hinc inde propositis corrigant, ordinent, statuant et reforment, tam in capite quam in membris, tam in spiritualibus quam in temporalibus, quaecumque ibi corrigenda, ordinanda, statuenda seu reformanda senserint, in Capituli generalis potestate, invocato, si opus fuerit, ad executionem omnium praemissorum tangentium et dependentium ab eisdem, auxilio brachii saecularis. Universis autem dictorum monasteriorum personis regularibus et aliis, quas praesens tangit negotium, dat dictum Capitulum firmiter in mandatis, quatinus memoratis commissariis humiliter obediant et devote; contradictores et rebelles vult dictum Capitulum per censuram Ordinis et alia quaecumque iuris remedia coerceri; et est intentionis quod omnia ad exemplum monasteriorum praedictorum reformandorum compleantur.

10. Cernens Capitulum generale oculis lacrimosis domini Petri de Juilly, quondam abbatis Pontigniaci, senium condolendum, pieque ad memoriam revocans vires eius in fructuosis laboribus Ordinis consummatas, de Quinciaco et de Scaleriis[g] monasteriorum abbatibus auctoritate qua potest, ordinat et iniungit, quatinus universos et singulos de Ordine praefati domini Petri quocumque titulo debitores, praesertim abbates de Ioyaco, de Sigilleriis, sive teneantur eidem in pecuniis, sive bladis, vel aliis quibuscumque de quibus informatio inveniri poterit, per testes, litteras, sive alia legitima[h] documenta, per censuram Ordinis

---

[f] *form. abbr. apud MP²*. [g] Escharleiis : *L¹*. [h] quaecumque : *MP²*.

et alia quaevis opportuna remedia coerceant et compellant inducendo et monendo pro parte ipsius Capituli dominum abbatem et conventum de Pontigniaco, ut sibi de pensione annua per dominum Cistercii bonae memoriae et in posterum repromissa in sua spontanea cessione tanquam benemerito satisfaciant integraliter et complete, ut honestius vivere possit et quietius finire valeat dies suos.

11. Reformationem monasterii de Crista omniumque singulorum monasteriorum utriusque sexus quae, sive mediate, sive immediate subsunt dicto monasterio de Crista, committit Capitulum generale domino Morimundi cum potestate plenaria reformandi, corrigendi, statuendi, instituendi, destituendi, ceteraque omnia et singula peragendi, quae in spiritualibus et temporalibus, in capite praesertim et in membris noscuntur reformationis beneficio indigere.

12. Institutionis confirmationem unius capellaniae sive missae quotidianae, quam generosa et potens domina Margareta de Cabillone, comitissa de Montebeligardo, in monasterio de Gratia Dei Bisuntinae dioecesis fundare et ordinare proponit, de et super quod praesenti Capitulo rescripsit, de Bellavalle et de Caroloco monasteriorum abbatibus committit generale Capitulum in ipsius plenaria potestate, eisdem ordinans et iniungens, quatinus advocato secum patre abbate in dicto negotio faciant quidquid ad Dei honorem, memoratae dominae beneplacitum, et praefati monasterii utilitatem faciendum cognoverint, suam relationem sequenti Capitulo faciendi.

13. Committitur abbati Sancti Urbani, quatinus abbatissae et monialibus monasterii Vallis Sanctae Mariae, domino Cistercii immediate subiecti, auctoritate Capituli generalis de confessore idoneo provideat usque ad adventum domini Cistercii, vel quousque dictus dominus duxerit alium ordinandum.

14. Cum fratre Iacobo de Claromonte, monacho de Caladia, Capitulum generale gratiose dispensat, quod, non obstante apostasia quam incurrit cum irregularitate non ex malitia sed ex simplicitate, ut asserit, eundo ad funus et exequias cuiusdam defuncti sine licentia, ad abbatialem dignitatem, si contigerit, assumi valeat, si aliud canonicum non obsistat.

15. Ad supplicationem abbatis et conventus monasterii Altaecristae dicentium quod frater Radulphus de Blinay, olim dicti monasterii monachus in abbatem monasterii de Tela postmodum

assumptus, de bonis monasterii Altaecristae usque ad valorem ducentorum florenorum auri secum tulit, Bonimontis et Altaeripae monasteriorum abbatibus committendo praecipit Capitulum generale ut in, de et super praemissis, inquisitione diligenti praehabita et invocatis evocandis, iustitiae complementum faciant in Ordinis plenaria potestate.

16. Cum inter abbates ac conventus monasteriorum de Altacrista et de Tela super quosdam aquaeductus sive conductus aquarum sit discordia grandis orta, praedictis de Altacrista dicentibus quod dicti de Tela debent contribuere missionibus et expensis necessariis ad deducendum aquam ad dictum locum, praedictis de Tela contrarium dicentibus ad praedicta minime se teneri, finem praemissis imponere cupiens Capitulum generale, de Bonomonte et Altaripa abbatibus committendo praecipit, quatinus in, de et super praemissis per eos inquisitione diligenti praehabita, vocatis quos rationis iudicium praecipit evocari, debitae iustitiae faciant complementum.

17. Cum abbas et conventus monasterii Igniacensis in multis pecuniarum summis, ratione contributionum sibi a multis annis citra impositarum Ordini eneatur, ad quarum solutionem propter guerrarum turbines, aedificiorum ruinas, sterilitates temporum, et alia infortunia sunt simpliciter impotentes, ut asserunt, propter quod est in sententiis latis ab Ordine involutus, quod generale Capitulum compassivo cernens intuitu, ex certa scientia cum ipso et suis officiariis usque ad sequens Capitulum generale dispensat.

18. Cum fratre Nicolao Le Mougnier [i], monacho de Voto, qui merito [j] formidat notam infamiae incurrisse, quod in eius camera, quam extra dormitorium ex officio tenebat, ipso in dormitorio dormiente suspecta mulier est reperta, generale Capitulum misericorditer dispensat, attento quod antea non fuerat de carnali contagio diffamatus.

19. Abbati de Sancto Urbano Capitulum generale praecipit atque mandat, quatinus fratri Henrico de Vesslingen [k], professo in monasterio Pelisii, sicut ceteris de suo conventu provideat de necessariis, quousque partes de quibus est dictus frater Henricus, redierint ad Ecclesiae et Ordinis unitatem.

---

[i] Lemouginet : L^1 ; Le Munier : P^2. [j] idcirco fornicationis : L^1.
[k] Offlingen : L^1.

20. Permutationes, tractatus, transactiones et pacta factos, habitos et initos inter nobilem virum Ioannem de Sachin, domicellum, ex una parte, et abbatem et conventum monasterii de Miratorio ex altera, super facto grangiae suae de la Maladerie, ad relationem de Balerna et de Roseriis monasteriorum abbatum, commissariorum Capituli, confirmat, ratificat et approbat idem Capitulum generale.

21. Domino Claraevallis committit Capitulum generale plenariam potestatem confirmandi concessionem unius anniversarii factam per abbatem et conventum monasterii Longivadi nobili Ioanni scutifero de Lignis, qui devotione motus centum solidos annui redditus de novo dedit monasterio memorato.

22. Domorum combustiones, pestes animalium, tribulationes et angustias, quae monasterium Longivadi sustinuit, proh dolor! anno isto, Capitulum generale compassionis cernens intuitu, contributiones huius anni sibi favorabiliter remittit de gratia speciali.

23. Ad petitionem abbatis Bellaevallis Capitulum generale dispensat cum fratre Stephano de Macenans super irregularitate contracta persistendo in apostasia per plures annos, et divina temere celebrando.

24. Domino Morimundi committit generale Capitulum potestatem plenariam compellendi quoscumque suae generationis abbates ad mittendum in Parisiensi studio scolares idoneos, eidem ordinans et iniungens quatinus contra remissos et negligentes sententias publicet quas incurrunt, incurrerunt, vel incurrent.

25. Supplicationi abbatis et conventus monasterii Clarimarisci annuens Capitulum generale fratrem Ioannem Cadaens, monachum suum, ad omnes actus Ordinis legitimos, abbatiali seclusa dignitate, restituit, quos apostatando et secum bona monasterii in saeculo deportando dicitur perdidisse.

26. Reformationem monasterii de Precibus, in quo quamplurima, prout ad generalis Capituli notitiam deductum est, sunt horribiliter perpetrata, abbati de Relec, sacrae theologiae professori, committit generale Capitulum in ipsius plenitudine potestatis, dans eidem firmiter in mandatis, quatinus ad dictum monasterium accedat personaliter, et quaecumque ibi visitanda, corrigenda, reformanda, sive etiam statuenda cognoverit, visitet, corrigat, reformet et statuat, servatis in omnibus et singulis papalibus et nostri Ordinis regularibus institutis, contradictores

et rebelles vult dictum Capitulum per censuram Ordinis coerceri, et per alia iuris remedia, etiam per invocationem saecularis brachii, si sit opus.

27. Insinuatione [l] quaerulosa ad generalis Capituli notitiam est deductum, quod abbas de Monasterio in Argonia pensionem quamdam assignatam domino Ioanni de Lompeyo immediato praedecessori abbatis moderni, factam per priorem et conventum dicti loci et per reverendae memoriae dominum abbatem Cistercii, fungentem reformatoris officio confirmatam, non solum in parte sed etiam in toto, quamvis saepius requisitus fuerit, persolvere recusavit et recusat, etiam per praestitum de solutione facienda, ut dicitur, iuramentum [m]. Nolens igitur generale Capitulum praefacta sub dissimulationis velamine pertransire, de Ripatorio et de Altofonte abbatibus dat dictum Capitulum firmiter in mandatis, quatinus memoratum abbatem per censuram Ordinis et alia quaevis iuris remedia ad solutionem dictae pensionis coerceant viriliter et compellant, frivolis [n] excusationibus quas forsitan dictus abbas obiiciet, non auditis.

28. Reformationem [o] monasterii de Campis bonis, in quo plurima prout ad generalis Capituli notitiam fide dignis relationibus est deductum, scilicet horribiliter deformata, abbatibus monasteriorum de Bonavalle, Ruthenenis dioecesis, et de Bona cumba [p] committit generale Capitulum, in ipsius plenaria potestate, dans eisdem firmiter in mandatis quatinus, excusatione remota, quamprimum commode poterunt, ad dictum monasterium personaliter accedant, ibidemque visitent, corrigant, statuant, ordinent, destituant, instituant et reforment tam in capite quam in membris, tam in spiritualibus quam in temporalibus, quaecumque in eodem visitanda, corrigenda, statuenda, ordinanda, instituenda, destituenda cognoverint, seu etiam senserint reformanda, servatis papalibus et nostri Ordinis regularibus institutis. Universis autem dicti monasterii personis regularibus et aliis, quos praesens tangit negotium, sub suae salutis incommodo et gravis Capituli indignationis offensa, dat ipsum Capitulum in mandatis, quatinus praefatis Capituli commissariis in executione praemissorum humiliter obediant et devote. Et est intentionis Capituli, quod omnia ad exemplum dicti monasterii de Campis bonis integraliter compleantur.

---

[l] In significatione : L^1. [m] in tantum nolens : L^1. [n] remotis : L^1.
[o] *form. abbr. apud J.* [p] Bella budea : L^1.

29. Committitur abbati de Valle Nostrae Dominae, quatinus cum diligentia se informet an permutatio eiusdem vineae sitae in jardino Car[dineti] inter scolares Sancti Bernardi et collegium Car[dineti], de qua anno quolibet controversia consuevit oriri, dicto studio sit utilis, et referatur sequenti Capitulo generali.

30. De facto petitionis abbatis et conventus monasterii de Vaucellis, continentis quod cum de novo quamdam grangiam sitam in Flandria recuperaverint, quam tamdiu abbas et contus monasterii de Dunis possederunt, et diversis ruinis et combustionibus occasione guerrarum, quae viguerunt in partibus, fuerunt exposita, propter quod cultores dictae grangiae fuerunt effugati, terris et possessionibus in solitudinem derelictis, et insuper per venditionem sive alienationem aliquarum terrarum, sive possessionum dictae grangiae succurratur in brevi cum aliud remedium non occurrat, dicta domus deveniet funditus ad ruinam, domino Claraevallis committit generale Capitulum quatinus de petitione praesenti faciat fieri tractatum per abbatem et conventum monasterii, et ipso inspecto, de negotio ordinet iuxta suae discretionis dictamen.

31. Cum prout per patentes litteras Capitulo exhibitas nominatus Haymo, dudum abbas Bonimontis, nunc vero abbas Montis Sanctae Mariae, teneatur domino de Firmitate in summa 24 florenorum, 23 solid. 4 denar. abbati de Altacrista committit generale Capitulum quatinus dictum debitorem ad solutionem dictae summae per censuram Ordinis et alia iuris remedia coerceat viriliter et compellat.

32. Assignat generale Capitulum nonno Ioanni de Martineyo [q] triginta francos super contributiones huius anni debitas et debendas per abbatem de Regalimonte, eidem abbati praecipiens atque mandans, quatinus dictam summam eidem persolvere non recuset, si indignationem Capituli voluerit evitare, attento quod [r] pro sermone nunc facto in ipso Capitulo generali, ipsum Capitulum eidem tenetur in decem francis auri [s].

ORATIONES PRO VIVIS.

33. Pro sanctissimo in Christo patre domino nostro domino Clemente divina Providentia sacrosanctae Romanae et totius

---

[q] Matignerio : *P*[2]. [r] quod pensione nunc : *L*[1]. [s] annuatim : *L*[1].

universalis Ecclesiae Summo Pontifice, ac pro statu felici eiusdem, et ut pestiferum schisma nunc in sanctam Dei Ecclesiam saeviens terminetur, celeriter dicantur tres missae una de Spiritu Sancto, altera de sancta Cruce [1] et reliqua de beata Virgine a singulis sacerdotibus Ordinis universi.

34. Pro reverendissimis in Christo patribus ac dominis, dominis Saluciarum, nostri Ordinis protectore, qui totum Ordinem et professores ipsius continuis favoribus prosequitur et pro aliis dominis cardinalibus, dicantur tres missae, ut supra, in singulis domibus Ordinis universi.

35. Pro reverendis patribus dominis Lugdunensi, Bisuntino, Remensi, Senonensi et aliis dominis archiepiscopis, ac pro dominis Cabillonensi, Lingonensi, Aeduensi aliisque dominis episcopis, dominisque Cluniacensi et Sancti Benigni Divionensis, aliisque abbatibus, prioribus, plebanis et aliis curam animarum habentibus, et clero universo, dicantur tres missae, ut supra.

36. Pro illustrissimo principe Carolo, regi Franciae et serenissima domina regina eius consorte, et pro bono et tranquillo statu regni dicantur tres missae, una de Sancto Spiritu, alia de Sancta Trinitate, et alia de Beata Virgine, a singulis sacerdotibus Ordinis universi.

37. Pro serenissimis principibus dominis regibus Allemaniae, Castellae, Portugalliae, Arragoniae, Navarrae aliisque dominis regibus et reginis christiani nominis titulo insignitis dicantur tres missae, una de Sancto Spiritu, alia de sancta Cruce, et alia de Beata Virgine a singulis sacerdotibus Ordinis universi.

38. Pro excellentissimo et potentissimo principe domino duce Burgundiae, in cuius dominio monasterium Cisterciense, caput totius Ordinis, est fundatum, domina ducissa, domino comite Intermiensis, eorum filio, aliisque liberis eorumdem, necnon dominis Turoniae, Bituricensi, Borbonii, Britanniae, Lotharingiae, Barrensi, aliisque dominis ducibus, comitibus, baronibus, militibus et aliis nobilibus, cum uxoribus ac liberis eorumdem, necnon pro omnibus fundatoribus et benefactoribus Ordinis, ceterisque christianis, dicantur tres missae, una de Spiritu Sancto, alia de sancta Cruce, et alia de Beata Virgine in singulis domibus Ordinis universi.

---

[1] Ecclesia : L^1,

PRO DEFUNCTIS.

39. Pro felicis recordationis Urbano V°, Gregorio XI°, aliisque dominis Summis Pontificibus defunctis dicantur tres missae a singulis sacerdotibus Ordinis universi.

40. Pro bonae memoriae reverendissimis patribus dominis Guillelmo Tusculano, domino Ioanne Cisterciensi, sanctae Romanae Ecclesiae cardinalibus, aliisque dominis cardinalibus defunctis, dicatur una missa de Requiem in singulis domibus Ordinis universi.

41. Pro reverendissimis patribus dominis archiepiscopis et episcopis, domino Ioanne Legentil de Rubeomonte, domino Gerardo ultimo defunctis, aliisque Cistercii et aliorum quorumcumque monasteriorum Ordinis abbatibus et aliis praelatis universis defunctis dicatur una missa de Requiem in singulis domibus Ordinis universi.

42. Pro inclitae memoriae domino Carolo, rege Francorum, ultimo defuncto, necnon aliis regibus et reginis christianis, dominis ducibus et ducissis, comitibus, comitissis, ceterisque nobilibus nostri Ordinis fundatoribus, dicatur una missa de Requiem in singulis domibus Ordinis universi.

---

43. Abbati de Bonoradio praecipit et in virtute sanctae obedientiae iniungit Capitulum generale, quatinus fratrem Petrum Subtineti de Donziaco, monachum suum recipiat et suae congregationi seu suo conventui aggreget, sibi sicut cum aliis de suis ac necessariis providendo, cum ibidem per vitae suae spatia cupiat Domino famulari, non obstantibus litteris dicto monacho per dominum suum abbatem datis alias et concessis, quibus ipse frater non vult in aliquo se iuvare [u].

44. Cellerario, bursario, ceterisque gubernatoribus studii Sancti Bernardi Parisiensis dat Capitulum in mandatis, quatinus fratrem Iacobum de Derio, monachum et scolarem Igniaci, qui pro suo monasterio hoc anno ad mandatum sui abbatis est romanam Curiam aditurus et morari perseverantia in ipso studio cupiat sive gliscat, ad imbursandum [v], nisi pro rata temporis non compellant, consuetudini seu statuto ipsius studii contrario non obstante.

---

[u] innovae : L^1. [v] inibi standum : L^1.

Modo et forma suprascriptis ordinat pro fratre Bartholomeo Lemaire, monacho Rigniaci et scolari ibidem, dictum Capitulum de gratia speciali certis et rationabilibus ex causis permotum.

45. Abbatibus de Bellavalle et de Charitate committit Capitulum et iniungit, quatinus abbatem de Bithania et priorem de Calomonasterio coram se faciant evocari, et partibus auditis super usufructu cuiusdam molendini siti in platea quae dicitur La Courbotte, quod dictus prior sub certis conditionibus aedificavit suis sumptibus, ut asseritur, et expensis, re cognita faciant partibus auctoritate Capituli et in eius plenaria potestate breve et compendiosum iustitiae complementum ; ipsumque abbatem compellant eadem auctoritate ad refundendum monasterio Cariloci viginti quinque quartas frumenti fratri Ioanni Martini, monacho suo, tunc firmario cuiusdam grangiae suae, qui abbas omnia bona ipsius grangiae accepit, dictum fratrem suis laboribus privando, dum tamen repererint rem sic esse.

46. Abbati monasterii de Ursicampo committit Capitulum generale ut de infortuniis monasterii Frigidimontis diligenter se informet, et informationem ipsam sequenti referat Capitulo generali, ut super ipsis possit ipsum Capitulum ad utilitatem eiusdem monasterii quod fuerit ordinandum.

47. Cum fratre Ioanne Bosco, de Bona Requie monacho dispensat Capitulum generale, ut non obstante defectu natalium quem patitur, de sacerdote et soluta genitus, ad omnes actus ordinis legitimos, citra abbatialem dignitatem, promoveri valeat et assumi, si alias sibi merita suffragentur, et de suorum processerit beneplacito praesidentium.

48. In [w] primis, attendens generale Capitulum ingentia Ordinis onera et debitorum sarcinas quasi importabilium, quibus ipse Ordo est diversis personis et locis multipliciter obligatus, si quidem debet necessario complere contributionem novem millium florenorum pro anno praesenti ordinat et imponit, universis et singulis ipsius Ordinis abbatibus, prioribus, cellerariis et bursariis et reddituum collectoribus monasteriorum Ordinis universi, districte praecipiens et iniungens quatinus summas et quotas ipsos et sua monasteria in, de et propter hoc concernentes solvant integraliter et complete terminis infrascriptis, videlicet medietatem in Resurrectione Domini proxime futura, et aliam medieta-

---

[w] *form. abbr. apud MP²*.

tem in subsequenti immediate Capitulo generali; alioquin poenas et sententias contra non solventes statutis terminis ipsas contributiones ab Ordine latas se noverint incurrisse. Receptores autem ipsarum contributionum ordinat Capitulum infrascriptos, videlicet dominum Cistercii ubique, Firmitatis usque ad summam centum florenorum, Claraevallis usque ad summam ducentorum, eisdem super ipsas contributiones, in romana Curia procuratorem Ordinis generalem, in Cistercio bursarium dicti loci, et Parisius cellerarium Sancti Bernardi, dans et concedens idem Capitulum ipsis et ipsorum omnibus potestatem ipsas contributiones a quibuscumque Ordinis personis recipiendi, et dandi litteras quittatorias de receptis et solventes ab excommunicationis sententia, si meruerint ex solutione non facta statutis terminis, ac cum eis super irregularitate forsitan contracta dispensandi auctoritate Capituli memorati. Verum cum nonnulli statuta ipsius Capituli minus iusto consueverunt ponderare, inde est, quod praedictum Capitulum receptoribus contributionum dictarum, et eorum cuilibet in solidum, dat, concedit et committit in mandatis, relinquendo auctoritatem et plenariam potestatem, ipsos contributionum debitores ad solvendum quotas suas compellendi per censuram ecclesiasticam et Ordinis ac per vias iuris alias ad solvendum, sententias contra non solventes, per ipsos receptores, approbans et ratificans Capitulum memoratum.

49. Item [a], pro scandalo vitando in futurum, Ordinis honestate firmanda, et periculis obviando generale Capitulum statuit, ordinat et diffinit quod scolares studii Sancti Bernardi Parisiensis tam praesentes quam futuri super monachos de novo venientes ad ipsum studium, vel alios cuiuscumque status intrantes domum seu studium praedictum Sancti Bernardi quacumque occasione vel causa manus non imponant, nec eos tractent sicut tractare scandalose et turpiter solebant, opportunum facientes, consentientes, aut consilium, favorem vel auxilium in huismodi excessibus impendentes, sententiam excommunicationis eo ipso a Capitulo latam incurrant ipso facto, et nihilominus dat provisori dicti studii tenore praesentium in mandatis, quatinus occasionibus omnibus cessantibus tales infractores de studio emittat, non reversuros ibidem nisi de licentia Capituli generalis. Et haec diffinitio in ipsius studii capitulo coram omnibus publicetur, ne quis valeat se de ignorantia excusare.

---

[a] *form. abbr. apud MP²*.

50. Cum sorore Ensely Lognese, moniali monasterii de Macre Augia, dispensat Capitulum generale misericorditer, ut non obstante quod humani generis inimico suadente de matrimonio et puerperio convicta exstitit, propter quod poenitentiam condignam devote peregit, ut ad omnes actus, gradus, officia, administrationes Ordinis legitimas, citra tamen abbatialem statum, de ipsius Capituli gratia speciali valeat promoveri, si tamen eius merita suffragentur, et canonicum aliud non obsistat.

51. Ad petitionem abbatis de Altaripa, patris immediati monasterii monialium de Filia Dei prope Rotundum Montem, Lausannensis dioecesis, petentis dispensari misericorditer cum sorore Iohanneta de Prinaco, dicti monasterii moniali, ut non obstante carnis lapsu unde puerperium est secutum, et proinde poenitentiam egit ad condignum, duxit misericorditer dispensandum, ut ad omnes Ordinis actus legitimos, citra abbatialem statum, de ipsius Capituli gratia speciali promoveri valeat, vocemque suam habeat in capitulo et alibi absque contentione quacumque.

52. Cum [v] per bonae memoriae dominum Gerardum abbatem Cistercii ultimum, cuius anima Deo vivat, auctoritate Capituli generalis fuerit ordinatum, ut monasteria de Rigniaco et de Rupibus vicissim unum scolarem Parisius mitterent ad ipsorum monasteriorum expensas communes per medium prout in litteris super hoc confectis per ipsum dominum Cistercii et Capituli potestatem plenius continetur, dictusque de Rupibus saepius requisitus, ut Capitulo est relatum, per ipsum abbatem de Rigniaco, ut contribueret vice sua et in portione per ipsum Capitulum ordinata, solvere neglexerit et sententiam excommunicationis per dominum Cistercii auctoritate qua supra damnabiliter incurrendo in suae animae salutis dispendium et iacturam, idcirco ipsum generale Capitulum nequiens tantam praesumptionis audaciam conniventibus oculis pertransire, ipsam sententiam approbans eumdem abbatem aggravando citat ad immediate Capitulum generale futurum, abbati de Callovio praecipiens firmiter et iniungens, quatinus ipsum abbatem auctoritate Capituli compellat ad solvendas duas dimidias bursas nedum per censuram Ordinis solam, sed etiam captionem temporalium bonorum et expletationem eorum usque ad summam praedictam cum dicti monasterii de Rupibus sumptibus et expensis et in Capituli

[v] *form. abbr. apud P².*

plenaria potestate. Verum cum dictus abbas de Rupibus se reddiderit et nunc se reddat impotentem, idcirco generale Capitulum scolares cupiens conferre, loco ipsius de Rupibus abbatis abbatem de Bonoradio, ad contribuendum constituit et ordinat, modo et forma in dicta ordinatione domini Cistercii contentis pro medietate sequentis biennii debitorem proviso quod abbas Rigniaci contribuat, et pro prius biennio in bursa scolarium praedictorum monasteriorum in unoquoque monasterio constitutionem praemissam et ordinationem ipsius Capituli generalis.

53. Abbati de Silva Melonii committit Capitulum et iniungit quatinus omnes et singulas Ordinis personas, quas abbati et monasterio de Relec per documenta legitima repererit obligatas in quibuscumque pecuniarum summis aut aliis debitis in quibuscumque rebus consistant, ad satisfaciendum sibi per censuram Ordinis coerceat et compellat auctoritate Capituli generalis.

54. Expositam verbotenus petitionem abbatis monasterii Mansiadae generale Capitulum ad gratiam exauditionis admittens, super eo quod grangias sua vice domos suas de Bitergiis, de Ligereto, et de Saccobursils, prata quoque pascua, agriculturas et alias quascumque ad domos spectantes possessiones accensare, arrendare, abmansiare et in emphiteosim perpetuam tradere, de conventus sui consilio et consensu possit et valeat, idem Capitulum eidem abbati favorabiliter indulsit, committens nihilominus de Campis bonis et de Valle benedicta monasteriorum abbatibus, quod ad dictum monasterium accedentes personaliter se informent cum diligentia de praemissis, quod si ad praefati monasterii commodum repererint, eadem auctoritate praesentis Capituli ratificent et confirment sub relatione sequenti Capitulo facienda.

55. Venditionem quam fecerunt abbas et conventus Vallis benedictae de domo sua sita in loco de Rupecissa pro aedificiis ruinosis reparandis, et necessitate alia impellente, prout diffuse expositum extitit Capitulo generali, idem Capitulum per dominum Firmitatis, qui dicto monasterio praefuit, incitatum confirmat, ratificat atque approbat.

56. Capitulum generale sedula mente concernens devotionem potentis et egregii domini Guidonis, militis, domini Sancti Perretii[a], qui de novo monasterio Vallis benedictae decem libratas

[a] Preiecti : *J*.

annui redditus admortificatas mera devotione contulit atque dedit, et maiora dicto monasterio proponat et creditur verisimiliter facere in futurum, concessionem unius missae quotidianae, quam sibi fecerunt dicti loci abbas et conventus secundum tenorem litterarum super hoc constitutarum, dictum generale Capitulum ratificat atque laudat.

57. Abbati [a] et conventui de Valle benedicta annuit generale Capitulum et concedit, ut dominus Bernardus de Laire miles, dominus de Cornillon et baillivus Velaniae, assignet et tradat monasterio praedicto redditus sufficientes ad augmentandum conventum loci, in tantum quod ultra missas ibidem celebrari solitas, una missa pro eodem in sua capella quam in ecclesia dicti monasterii fecit honestissime adaptari, de monachis dicti monasterii singulis diebus celebrari valeat dictis abbati et conventui ad hoc se obligandi licentiam tribuit Capitulum generale.

58. Arrendationes seu alienationes quarumcumque terrarum et possessionum, quas abbas et conventus monasterii de Valle benedicta suis hominibus et aliis tradiderunt sive tradent ad censum annuum et in emphiteosim perpetuam, de quibus responderunt [b] vel respondebunt eodem territorio, quod de praesenti renovari faciunt, necnon certas diminutiones pensionum et censuum iam per plurimos abbates loci factas, et per abbatem modernum renovatas, exceptis tamen venditionibus sive alienationibus domorum quamplurium sitarum infra monasterium praedictum, quas fecit dominus Hugo Iporensis [c] quondam abbas dicti loci, quasque abbati moderno Capitulum generale recuperare praecepit idem Capitulum laudat, ratificat et confirmat.

1390

Anno [a] Domini millesimo trecentesimo nonagesimo statuta sunt haec apud Cistercium in Capitulo generali.

1. In primis, ad honorem et gloriam Domini nostri Dei et devo-

---

[a] *form. abbr. apud P².* [b] viderint vel videbunt : *L¹*. [c] Alyrenchiae : *L¹* ; *apud GC*, III, 304 : Torenchiae.

1390. *Fontes* : *J* : 1-23, 25-50, 54-73 ; *L¹* : 1-8, 12-73 ; *M* : 1-3, 5, 7, 15, 18, 30, 36 ; *P²* : 1-3, 5-7, 15, 17, 18, 24, 30, 36, 64. *Legitur apud P²* : Hic annus in registro ita bis occurrit ; *et revera sub eodem anno* 1390 *duplicem statutorum seriem referunt codices JL¹*. [a] *Titulus apud JL¹* ; *apud P² in margina* : Bonifacio 9° Papa.

tionem populi amplius excitandam, statuit et ordinat generale Capitulum, ut in omnibus et singulis Ordinis monasteriis de cetero semper in missis conventualibus, dum incipietur praefatio missae conventualis, pulsentur plene per aliquantulam moram una vel duae, si voluerint, secundum videlicet arbitrium praesidentis, campanae, quod etiam in pluribus Ordinis monasteriis et cathedralibus ac collegiatis ecclesiis quotidie fit, et est diutius laudabiliter observatum.

2. Item [b], cum ex eo quod antea diffinitiones Capituli generalis sigillabantur contrasigillo domini Cistercii, nonnullae per quorumdam fraudulentias factae fuerunt et fieri possunt in posterum falsitates, qui dum dictas diffinitiones se porrigere fingerent, alias dicto sigillo tradebant litteras sigillandas, et propter alia pericula quae contingere possent ; inde generale Capitulum statuit, ordinat et diffinit, quodamodo de cetero dictae diffinitiones Capituli generalis sigillo proprio ad hoc deputato, quod dominus Cistercii nuper propter hoc fecit specialiter fabricari cum sculptura imaginis beatae Mariae et sanctorum patrum nostrorum Benedicti et Bernardi, ac plurimorum abbatum eidem Dominae supplicantium et inscriptione hac scilicet *Sigillum Diffinitorum Capituli generalis Cisterciensis Ordinis*, futuris temporibus sigillentur, sicut etiam habuerunt et habent sigillum proprium contributionum Ordinis receptores et alio propter quod ad hoc proprio sigillo suffragia quae per generale Capitulum conceduntur, annis singulis consimiliter sigillantur.

3. Item, statuitur ut secundum quod a sapientibus sapienter observatur, ut in palatio et tinello domini nostri Papae, et domibus reverendissimorum dominorum cardinalium Romanae civitatis [c], ac aliorum Ecclesiae praelatorum, dum in Ordine legitur in ecclesia, capitulo, collatione et refectorio aut alibi, et praesidens lectionem finiri volens *Tu autem* lectori dixit, ipse lector statim lecturam finiens dicat *Domine miserere nostri*, non repetens haec verba *Tu autem*, quae praesidens antea dixerat, sicut etiam fit in ecclesia cum antiphonae et psalmi subsequentis principia sunt eadem.

4. Item, abbates Ordinis universi qui ad praesens generale Capitulum non venerunt, et secundum Ordinis nostri statuta venire tenebantur, non habentes in et super hoc legitimum im-

---

[b] *MP*[2] : *form. abbrev.* [c] curiae : *MP*[2].

pedimentum seu remanendi licentiam specialem, et illos etiam abbates qui legitimum impedimentum seu licentiam habere se praetendebant, qui de ipsis impedimento seu licentia in ipso Capitulo per suos procuratores seu excusatores probos et idoneos viros, habentes specialia mandata praestandi iuramenta in animas ipsorum mittentium, causas absentiae et impedimenta huiusmodi vera esse secundum statuta papalia, sicut tenebantur, dictam fidem dicto generali Capitulo non fecerunt, generale Capitulum habet et reputat contumaces, ac decernit, declarat et iudicat ipsos meruisse poenam dupli eius quod expensuri erant, ad idem Capitulum veniendo et redeundo de isto, et eos teneri ad exhibendum et solvendum illud duplum in sequenti Capitulo generali, ad utilitatem ipsius Capituli convertendum secundum dicta papalia instituta. Ipsis igitur abbatibus Ordinis universi, sicut praemittitur, in et super hoc contumacibus et culpabilibus, qui dictam poenam dupli meruerunt, dictum generale Capitulum mandat, praecipit et iniungit in virtute sanctae obedientiae et sub excommunicationis latae sententiae poena, quatinus dictum duplum realiter, efficaciter et integre in Cistercio solvant deputandis receptoribus contributionum in sequenti Capitulo generali, ubi tunc personaliter se praesentent, vel se excusent secundum papalia instituta. Solos autem et dumtaxat abbates infrascriptos, qui impedimentum seu licentiam habentes huiusmodi, de ipsis debitam fidem fecerunt secundum dicta papalia instituta, ut constat eidem Capitulo, habet ipsum Capitulum inde et super hoc rationabiliter excusatos, scilicet abbates monasteriorum de Dunis, de Altaripa, de Villa nova, Mansiade, de Malereio, de Insula Dei, de Rupibus, de Vacellis, de Crista [d], de Laude, de Gymonte, de Bono portu, de Theoloco, de Pinu, de Longoponte, de Boeriis, de Insula Barrensi, de Cheminione, de Caherio, de Alpibus, de Monte Sanctae Mariae, de Bono monte, de Recluso, de Valle regis, de Bono fonte, de Igniaco, de Longo vado, de Valle clara, de Signiaco, Beatae Mariae de Vallacio, de T[ri]sagio, de Morolia, de Landesio, de Gratia Dei, de Gratia Dei Bisiuntinensi, de Bullencuria [e], de Fonte morum, de Stella, Bonaevallis Pictaviensi, de Benedictione Dei, de Loco crescenti [f], Boni radii, de Tarone [g], de Callovio, de Fonte Iohannis, de Barbereyo, de Castellariis, de Ioyaco, de Misericordia Dei, Vallium

[d] Esio : *L*[1]. [e] Bulleno : *L*[1]. [f] costenti : *L*[1]. [g] *leg.* : Dalone.

Sarnaii, de Sigilleriis, de Domo Dei, de Varenis, de Rupibus, Bonifontis in Vasconia, de Calercio, de Gardo, de Loco Dei in Pontino, de Caricampo, de Eleemosina, de Karoliloco, de Trapa, de Campania, de Persenia, de Tyronello, de Voto, de Longo villari, de Valle Beatae Mariae, de Fontibus albis, de Chesiriaco, de Carmeya.

5. Item, quia vergente mundi vespere, iuxta nostri Salvatoris eloquium, abundat iniquitas et charitas refrigescit in mundanorum cordibus, et adeo quod perpauci de maris mundi huius naufragio ad sanctae religionis et conversionis tabulam manum mittant, per Capitulum conceditur abbatibus Ordinis universi, ut in eodem monasterio duos fratres carnales, et quod de qualibet villa voluerint in novitios et monachos recipere, quodque novitios suos ante complementum annuum in probatorio seu novitiatu de cetero semper valeant, cum voluerint, ad professionem suscipere benedicereque, diffinitionibus in contrarium editis, quas generale Capitulum revocat, non obstantibus quibuscumque.

6. Cum felicis recordationis dominus Benedictus Papa XII adversus illos qui ad solvendum contributiones, quae in nostro Ordine pro necessitatibus et usibus communibus et aliis consuetis ipsius Ordinis pro tempore imponuntur, se reddunt difficiles et remissos et circa negotia contributionum ipsarum aliaque contingentia providere volens, dominis Cistercii, Firmitatis, Pontigniaci, Claraevallis et Morimundi monasteriorum abbatibus, qui pro tempore forent, et cuilibet eorum auctoritate apostolica, remoto appellationis obstaculo, per censuram ecclesiasticam et per alia remedia, secundum dicti Ordinis instituta et observantias consuetas, aliaque opportuna remedia compellendi eos, quibus dictae contributiones fuerint pro tempore impositae, ad solvendum easdem et ad id etiam coercendi recusantes seu negligentes solvere praedictas contributiones iam impositas, et quodvis aliud impedimentum praestantes publice, occulte, quominus contributiones praedictae solverentur, ad desistendum prorsus ab huiusmodi impedimento, nec non processus habendos ac excommunicationis, suspensionis et interdicti sententias ferendas in tales negligentes, recusantes et impedimentum praestantes quomodocumque, in eorum et aliis monasteriis ac locis conventualibus [h] dicti Ordinis prout fuisset opportunum, ac in generali Capitulo

---

[h] circumvicinis : P^2.

ipsius Ordinis publicandi et publicari faciendi plenam atque liberam concesserit potestatem. Praedictum etiam generale Capitulum statuerit, ordinaverit et diffinierit, iam triginta anni sunt elapsi, ut in *Libello diffinitionum* Ordinis novello continetur, quod abbates Ordinis summas contributionum sibi impositas per dictum Capitulum generale statuto termino non solventes, eo ipso excommunicationis vinculo se ligatos agnoscant ; et quod si abbates, propter non solutas dictas contributiones, dictam excommunicationis sententiam per sex menses sustinuerint animis induratis, ex nunc prout ex tunc deponuntur ; quodque patres abbates et eorumdem commissarii de non solventibus inquirant in suis visitationibus diligentia qua convenit, et quos repererint non solvisse dictas contributiones, excommunicatos denuntient et depositos si, ut est dictum, eorum contumacia hoc requirat. Quae praemissa abbates Ordinis quam plurimi, proh dolor ! non curantes, imo verius damnabiliter non curentes quotas contributionum per generale Capitulum multis annis iam praeteritis impositarum ipsos et sua monasteria concernentes [i] et contingentes ac eis impositas, super hoc iustas dilationes aut prorogationes ad solvendum, vel remissiones ipsarum contributionum non habentes per illos qui has dare possent in terminis super hoc ordinatis per multos annos iam praeteritos, vel etiam postea non solverunt, nec adhuc solvere curant, propter defectum huiusmodi solutionis dictam excommunicationis sententiam incurrendo ; quam sententiam nedum per sex menses, sed per unum annum et per plures annos multi sustinerunt et adhuc sustinent animis induratis, quod cedit in detrimentum animarum suarum et subditorum eorum qui cum eis participant, et quibus habent sacramenta ecclesiastica ministrare et excommunicati ministrant et immiscent damnabiliter se divinis in plurimorum scandalum, ac monasterii praecipue Cistercii, cui Ordo tenetur pro expensis ministratis in multis Capitulis generalibus et pro diversis pecuniarum summis expensis, expositis et traditis per dominos abbates et conventum ipsius monasterii Cistercii pro factis negociis et necessitatibus dicti Ordinis et dictorum Capitulorum generalium in viginti quatuor millibus nongentis sexaginta florenis auri, ac etiam aliorum monasteriorum, quibus etiam dictus Ordo tenetur, et procuratoris Ordinis in romana Curia generalis, magistrorum

[i] contemnentes : P^2.

in studiis generalibus regentium et bachalaureorum legentium, quibus habet dictus Ordo de dictis communibus contributionibus et propter defectum dictorum non solventium, ipsis non potest et iam diu non potuit providere, damna non modica pariter et iacturas Capituli generalis et totius Ordinis vituperium, dedecus et pudorem. In et super praemissis igitur et ne inde subsequantur inconvenientia graviora, generale Capitulum cupiens pro viribus providere proinde decernit et declarat ipsum generale Capitulum omnes et singulos abbates Ordinis, qui, ut praemittitur, dictas praemissarum contributionum quotas, ipsos et sua monasteria contingentes et concernentes ac eis impositas, super hoc iustas dilationes vel prorogationes ad solvendum vel remissiones ipsarum contributionum per illos qui has dare possent non habentes, terminis in et super ordinatis et praefixis iam elapsis, vel postea prout tenebantur non solverunt, excommunicationis propter hoc sententiam incurrisse et eos publice denuntiat excommunicatos, omnibus prioribus, supprioribus et aliis officiariis ac monachis omnium et singulorum monasteriorum Ordinis, in virtute sanctae obedientiae et sub poena excommunicationis praecipiens et iniungens, ut abbates ipsos ad requestam domini Cistercii, quatuor primorum de Ordine, videlicet dominorum Firmitatis, Pontigniaci, Claraevallis et Morimundi monasteriorum abbatum cuilibet ipsorum et etiam commissariorum deputatorum seu deputandorum ab eisdem et eorum quolibet, excommunicatos publice denuntient singulis diebus dominicis solemniter et festivis, et ipsos evitent, eis in nullo obedientes vel cum eis participantes quovismodo quamdiu sic excommunicati perstiterint, nisi in solis casibus a iure permissis, et quoniam crescente contumacia crescere debet et poena, dictum generale Capitulum citat peremptorie tenore praesentis statuti praemissos omnes et singulos tales abbates Ordinis sic, ut praemittitur, propter defectum solutionis dictarum quotarum contributionum praemissarum excommunicatos ad proximum quod tenebitur sequens generale Capitulum visuros et audituros decerni et declarari per ipsum Capitulum, ipsos sententiam depositionis ab administratione abbatiali propter praemissa incurrisse, et alias processuros et procedi visuros et facturos prout et quod fuerit rationis, cum intimatione quod, sive venerint sive non, contra ipsos procedetur et fiet de et super praemissis prout et quod fuerit rationis.

7. Cum Ordo noster Cisterciensis specialiter et expresse et

iuste domino abbati et conventui monasterii Cistercii ac ipsi monasterio Cisterciensi in viginti quatuor millibus nongentis sexaginta septem florenis aureis, tribus grossis argenteis, de et pro tempore iam praeterito et pro maxima dictae summae parte et portione et de et pro longo tempore fuerit et adhuc sit, ac etiam aliis personis in diversis pecuniarum summis aliis efficaciter obligatus, et oporteat Ordinem ipsum onera multa sibi incumbentia et quotidie supervenientia mutuo supportare, quae solvi et fieri nequeunt absque multiplicibus expensis, generale Capitulum propterea contributionem duodecim millium florenorum pro dictis debitis persolvendis, et pro expensis Capituli generalis et pro oneribus Ordinis supportandis, pro anno praesenti sicut alias solitum est, ordinat et imponit. Universis igitur et singulis Ordinis abbatibus, prioribus, cellerariis, bursariis et reddituum collectoribus monasteriorum Ordinis universi districte praecipit et iniungit idem Capitulum, sub excommunicationis latae sententiae poena, quatinus summas et quotas ipsos et sua monasteria inde et propter hoc concernentes et contingentes, solvant et tradent integraliter et complete in terminis infrascriptis, videlicet medietatem infra festum Resurrectionis dominicae proximo futurum, et aliam medietatem in subsequenti immediate Capitulo generali; alioquin poenas et sententias excommunicationis contra non solventes terminis statutis contributiones, super et propter hoc ab Ordine nunc et alias latas, se noverint incurrisse. Solos et solummodo receptores ipsarum contributionum ordinat et instituit ipsum Capitulum infra scriptos, videlicet ubique dominum abbatem Cistercii per se vel per alium seu alios et in Cistercio priorem et bursarium monasterii Cisterciensis et eorum quemlibet. Item, in romana Curia procuratorem Ordinis generalem. Item, Parisius cellerarium studii Sancti Bernardi ipsius loci. Item, in partibus et ducatibus Normanniae, Britanniae, Turoniae et Andegaviae, abbatem de Savigniaco. Dans et concedens idem Capitulum ipsis receptoribus et eorum cuilibet potestatem et mandatum speciale ipsas contributiones et contributionum antiquarum arreragia, a quibuscumque recipiendi et dandi litteras quittationis de receptis, ac solventes absolvendi ab excommunicationis sententiis, si incurrerint terminis statutis non solvendo, et cum eis super irregularitate forsan contracta occasione praemissorum dispensandi, dictis receptoribus praecipiens et iniun-

gens, quatinus quidquid de dictis contributionibus receperint sequenti generali Capitulo, cessante impedimento legitimo, studeant assignare, nisi eas secundum ordinationem domini Cistercii pro communibus factis Ordinis persolvendis per ipsum Ordinem debitis, quod fieri concedit ipsum Capitulum, tradidissent, vel in casu quod ante non possent saltem per certum nuntium per suas litteras intimare.

8. Item, cum ex eo quod temporibus retroactis patres abbates Ordinis cognationes habentes in longinquis maxime partibus ad monasteria sibi subiecta pro visitandis ipsis commissarios inexpertos et insufficientes quamplures deputarunt et destinarunt, cum tales potius debuissent, qui, secundum doctrinam b^mi^ patris nostri Bernardi, necessitates monasteriorum et personarum eorum attendentes, non porrigant manus et starent viriliter pro afflictis, qui forent in iudicio recti, in consilio providi, in iubendo discreti, in disponendo industrii, in loquendo modesti, in zelo sobrii, in misericordia non remissi, ubique in omnibus circumspecti, qui missi post aurum non irent, sed Christum sequerentur, qui questum visitationes suas non aestimarent, non requirerent datum sed fructum, qui monasteria non spoliarent sed emendarent, qui marsupia non exhaurirent, sed corda reficerent, et crimina corrigerent, qui se praeberent amabiles, non verbo sed opere reverendos exhiberent, sed actu non fastu duros dure redarguerent, malignantes coercerent, et redderent retributionem superbis, Ordinis utriusque sexus monasteria locaque ob hoc maxime, pro dolor ! in spiritualibus et temporalibus adeo terribiliter deformata, desolata et annihilata fere, quod in dies et personis eorumdem religio vel religionis aliqua forma honestatis aut Ordinis vestigium vix remansit, aedificiis pene penitus absque reparationis spe vel apparentia corruerunt, et dioecesani, nullo de Ordine sibi resistante, cum resistere nesciant ut bestiae, monasteria nonnulla quasi derelicta sibi subiiciunt de facto, fundatores divinum in eis officium fieri non videntes aut ordinem aliquem teneri, suas eligunt alibi sepulturas, et ossa progenitorum suorum extrahunt ab eisdem. De et super quibus etiam horrendi clamores iam Romanam civitatem impleverunt, mundus merito scandalizatur, Ordo noster vilipenditur et conculcatur, et a sibi benefaciendo ipsumque tuendo principes et alii tam nobiles quam ignobiles retrahunt, quasi nullam in eo vel personis eius devotionem atque affectionem habentes. Praemissis igitur et aliis, quae ti-

mentur inde suboriri animarum et rerum temporalium periculis, damnis et detrimentis viriliter in futurum obviare pro viribus et super iis proinde cupiens Capitulum generale, quatuor primis et omnibus aliis et singulis post ipsos patribus abbatibus, in virtute sanctae obedientiae, et sub excommunicationis sententiae poena, districtius inhibet, ne ipsi ab hinc usque ad duos annos immediate sequentes, aliquos etiam abbates vel personas alias praeterquam magistros seu licentiatos aut bachalaurios formatos in theologia, vel doctores decretorum aut in iure canonico licenciatos, honestos tamen et bene formatos, vel abbates in moribus et in scientia secundum famam publicam consimiles et aequivalentes, visitatores monasteriorum Ordinis quicumque deputent vel destinent, aut eos commissarios vel visitatores instituant et transmittant, nisi de licentia speciali dicti Capituli generalis et per dictum Capitulum, vel extra tempus ipsius per dominum Cistercii specialiter et rationabiliter approbatos.

9. Ut [1] abbates et aliae personae Ordinis desuper et pro ignorantia statutorum praesentis Capituli generalis et sequentium in futurum generalium Capitulorum non valeant, sicut quaeritant, excusari, aut suam negligentiam, incuriam et inobedientiam aliqualiter, vel ipsius ignorantiae, quam praetendunt frequentius et affectant, velamine palliare, quatuor primis et omnibus aliis et singulis post ipsos, vel eis et domino abbati ac monasterio Cisterciensi mediate vel immediate subiectis abbatibus Ordinis generationem seu filiationem habentibus, in virtute sanctae obedientiae et sub animarum suarum periculo, districtius quam potest praecipit et iniungit idem Capitulum generale, quatinus ipsi accipiant infra duos menses immediate post exitum huius Capituli, sequentes omnes et singulos diffinitiones generales editas in ipso praesenti Capitulo, et suis immediate subiectorum monasteriorum sibi coabbatibus et eorum conventibus sine quocumque defectu sub sigillis suis transmittere non omittant.

10. Reformationem omnium et singulorum monasteriorum aliorumque locorum conventualium utriusque sexus, et omnium ac singularum personarum ubique consistentium et ubicumque contingeret eas commorari vel esse nostri Cisterciensis Ordinis, ubicumque mundi partibus consistentium, quae prout ad Capi-

---

[1] *Nota quod codex* L^1 *sub n*° 9 *intermiscit textum plurium statutorum, quae in suo tenore leguntur in codice J.*

tuli generalis audientiam pervenit, reformatione plurimum indigere, domino Cistercii per se vel per alium seu alios abbates, seu abbates de quatuor primis monasteriis Ordinis, aut magistrum seu magistros in theologia ab eo deputandum seu deputandos per sequens hodiernam diem continuum triennium, ipsum Capitulum generale reverenter committit in ipsius generalis Capituli et dicti Ordinis quantum potest plenaria potestate : eidem domino Cistercii supplicans committendo dictum Capitulum generale ad ipsa monasteria seu loca conventualia vel alia, per se vel per alium seu alios abbates de quatuor primis vel magistros in theologia idoneos et discretos accedat vel accedant, et ibidem cuiuscumque generationis, corrigat, statuat, instituat, destituat, visitet et reformet in spiritualibus et in temporalibus, tam in capitibus quam in membris, quaecumque in eisdem instituenda, destituenda, statuenda, corrigenda, visitanda et reformanda, viderint secundum Deum, nostri Ordinis et papalia instituta, abbates vel abbatissas aut loca conventualia praesidentes vel alia loca regentes, si sua demerita hoc requirant, destituat, deponat monasteriisque propriis pastoribus viduatis per electionem canonicam vel provisionem de personis idoneis, prout casus exegerit, provideat auctoritate Capituli generalis. Concedit etiam eidem domino Cistercii et ab eo super et propter hoc deputandis auctoritatem plenariam potestatem abbatibus, abbatissis ac locis conventualibus praesidentibus sponte cedentibus et bene meritis pensiones moderatas, cameras et alias gratias talibus dari consuetas assignandi et concedendi. De contributionibus Ordinis tam antiquis quam novis non solutis inquirendi et cum debitoribus componendi et ad certos terminos astellandi ipsasque remittendi, si sibi videatur, donandi, quittandi et recipiendi et dandi litteras quittatorias de receptis, absolvendi solventes, et componentibus ad tempus sententias excommunicationis et alias poenas relaxandi, absolvendi et personas regulares dictorum monasteriorum et locorum conventualium universas a quibuscumque sententiis, quae sunt in dicti Capituli potestate, et cum eis super irregularitatibus contractis misericorditer dispensandi. Insuper confessiones omnium et singularum abbatissarum, monialium et aliarum personarum regularium audiendi et easdem absolvendi in, de et super omnibus casibus in, de et super quibus absolvere potest easdem ipsum Capitulum generale, et de confessoribus idoneis et procuratoribus in suis monasteriis providendi, dum et

quando sibi visum fuerit expedire, quascumque poenas inflictas per statuta dicti Capituli generalis remittendi, in et super dictis statutis dispensandi et eas absolvendi, et generaliter omnia et singula gerendi et exercendi ac faciendi circa praemissa et ea tangentia, quotienscumque et in aliis quibuscumque et ubicumque et quocumque modo tempore quo reformabit, ante et post dictum Capitulum generale, facere et exercere potest et posset et si potestatem, concessionem et auctoritatem ac mandatum exegerit speciales, invocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis ; et haec omnia praemissa fiant ad expensas praemissorum monasteriorum et ceterorum locorum conventualium et aliorum locorum, quas expensas abbates, abbatissae et praesidentes locis conventualibus et regentes alia loca procurent, administrent et solvant dicto domino Cistercii et deputatis ab eodem integraliter sine mora, et ad hoc compellere valeant per dictum dominum Cistercii per censuram Ordinis omnimodam viriliter et districte. Universis igitur et singulis personis regularibus dictorum monasteriorum et locorum conventualium, cuiuscumque conditionis existant, in virtute sanctae obedientiae et sub excommunicationis poena, huius concessionis dat idem Capitulum firmiter in mandatis quatinus in omnibus et singulis supradictis ea concernentibus, tangentibus ac dependentibus ab ipsis quovismodo, praefato domino Cistercii et deputatis ab eo cuilibet obediant et devote ipsisque praestent consilium, auxilium et favorem.

11. Reformationem omnium et singulorum monasteriorum aliorumque locorum conventualium et personas utriusque sexus cuiuscumque generationis existant nostri Cisterciensis Ordinis in regnis, principatibus et dominationibus illustrissimorum dominorum regum Castellae, Aragoniae, et Portugaliae et Navarrae, consistentium quae, prout ad Capituli generalis audientiam pervenit reformatione plurimum asseruntur, proh dolor, indigere, abbati monasterii de Calercio dioecesis Ruthenensis et discreto viro magistro Bernardo Sabatorii, priori monasterii de Bolbona dioecesis Mirapiscensis magistro in theologia et eorum superviventi, si decederet forsan alter, per praesentem et duos post ipsum sequentes annos immediate, absque patrum abbatum monasteriorum eorumdem praeiudicio, dictum generale Capitulum concedit per praesens statutum in ipsius Capituli et dicti Ordinis nostri plenaria potestate ipsis abbati de Calercio et magistro

Bernardo Sabatorii, in virtute sanctae obedientiae, dictum Capitulum firmiter et districte mandat, praecipit et iniungit quatinus ad dicta monasteria et loca conventualia personaliter accedentes ibidem visitent et reforment, corrigant et statuant, instituant et destituant tam in capitibus quam in membris, tam in spiritualibus quam in temporalibus, etc. ut supra.

12. Secundum formam praecedentem, nihil penitus immutando, committitur reformatio domino Morimundi in generatione sua, et similiter domino Claraevallis in generatione universa.

13. Reformationem omnium et singulorum monasteriorum aliorumque locorum conventualium et personarum nostri Ordinis Cisterciensis, utriusque sexus, in romana Curia et prope, ac circa ipsam romanam Curiam ad et per spatium seu distantiam itineris trium dierum legalium, in quibus monasteria dicuntur plurimum, proh dolor, deformata et reformationis beneficio quamplurimum indigere, discreto viro magistro Petro Mir [k], magistro in theologia, procuratori nostri Cisterciensi Ordinis in romana Curia generali, Capitulum generale per praesentem et duos post ipsum immediate sequentes annos, committit per praesens statutum in ipsius generalis Capituli et Ordinis plenaria potestate. Ipsi igitur magistro Petro Mir, in virtute sanctae obedientiae, dictum Capitulum firmiter et districte mandat, praecipit et iniungit, quatinus ad dicta monasteria et loca conventualia personaliter accedens, ibidem visitet et reformet, corrigat, statuat, instituat et destituat, tam in capitibus quam in membris, tam in spiritualibus quam in temporalibus, quaecumque in eis visitanda, reformanda, corrigenda, statuenda, instituenda, destituenda fuerint secundum Deum, papalia et nostri Ordinis instituta, et contributionibus Ordinis tam antiquis quam novis non solutis inquirat, ipsasque recipiat et det; cum debitoribus componat et ad certos terminos astellet, si necessitas, de et super quibus conscientiam suam onerat et requirat, ipsas recipiat, et det litteras quittationis de receptis, et generaliter omnia alia et singula faciat, quae ad visitatoris et reformatoris officium pertinere noscuntur, invocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis, et haec omnia praemissa faciat ad expensas praemissorum monasteriorum et locorum conventualium, quas expensas abbates et abbatissae dictorum monasteriorum et praesidentes

---

[k] Anir : L^1.

aliorum locorum dicto magistro Petro visitatori administrent et solvant integraliter et sine mora, et ad hoc compellantur per dictum reformatorem, si necesse fuerit, per censuram Ordinis viriliter et districte. Universis igitur et singulis personis regularibus dictorum monasteriorum et locorum conventualium conditionis aut status existant, in virtute sanctae obedientiae tenore statuti praesentis dictum Capitulum generale mandat, praecipit et iniungit, quatinus in omnibus et singulis supradictis ea tangentibus, concernentibus et dependentibus ab eisdem, praefato magistro Petro obediant humiliter et devote, ipsique praestent consilium, auxilium et favorem.

14. Praebere materiam intendens felicis recordationis dominus Benedictus Papa XII, quod in Ordine nostro per theologiae studium professores ipsius erudiantur et illustrentur in illa, quatinus in Ecclesia Dei sub ipsis et aliis fructus salutis, honoris et honestatis coelesti agricola irrigante ac multiplicante producant ; inter cetera, matura deliberatione praehabita, subscripta de praefato et alias habili studio et scolaribus mittendis, tenendis et providendis in studiis per ipsum ordinatis, statuit, ordinat et disponit pro suo et postero tempore valitura perpetuo et inviolabiliter observanda, scilicet de quolibet monasterio cuiuscumque provinciae seu generationis, in quo sunt vel etiam esse poterunt quadraginta monachi vel super, Parisius mitti debeant duo, de quolibet vero monasterio in quo sunt vel esse poterunt triginta monachi et super usque ad quadraginta monachos exclusive ad idem studium parisiense debeat mitti unus. Et de quolibet monasterio in quo sunt vel esse poterunt decem et octo monachi et super usque ad triginta monachos exclusive ad alia generalia studia, vel Parisius, si mittentes maluerint, debeat similiter unus monachus destinari. Ad Metense autem studium, cum fuisset institutum, de quolibet monasterio generationis monasterii Morimundi, quoniam ipsa generatio se in Allemannia et ultra Rhenum extendit, in quo erunt vel esse poterunt a decem et octo monachis inclusive usque ad triginta monachos exclusive, unus mittatur ad minus pro suis proventibus, pro quibus dum ipsi mittentes ad illud mittantur, destinare ad alia non cogantur, et quod mittendi tali tempore mittentur, quod prima die mensis octobris vel citra in studio praesentes existant. In aliis vero studiis, in beati Lucae vel Sanctorum Omnium festis infallibiliter sint praesentes. Provisionem quoque studentium talem limitavit,

videlicet quod magister regens Parisius de communi contributione dicti Ordinis vel de redditibus communibus, octoginta libras turonenses parvorum et a monasterio proprio viginti quinque libras eiusdem monetae, pro bursa et aliis necessitatibus suis. Baccalarius vero regens Parisius de dicto communi viginti quinque et a proprio monasterio viginti quinque, pro bursa et aliis necessitatibus eius, ac lector bibliae in eodem studio de praefato communi decem et a proprio monasterio viginti libras ipsius monetae percipiat annuatim. Quilibet vero scolarium studens in proprio studio libras dictae monetae a proprio monasterio pro bursa et aliis necessitatibus suis percipiat scilicet annuatim ; sed in aliis studiis patres abbates ipsorum studiorum rectores magistro in theologia facultate in illis regenti de quadraginta libris praedicta monetae pro bursa et aliis necessitatibus suis providere annis singulis teneantur. Quando autem baccalarius in eisdem studiis reget, ubi commode non reperietur magister, teneantur dicti patres abbates dicto baccalario de triginta libris dictae monetae pro bursa et omnibus necessitatibus suis annis singulis providere. Quilibet autem scolaris in dictis aliis studiis generalibus praeter studium Parisiense ac in dicto studio Metensi quindecim libras dictae monetae a proprio monasterio pro bursa et omnibus necessitatibus percipiat annuatim. Sed quando eius provisores huiusmodi tam abbates dictorum monasteriorum studiorum rectores, quam abbates proprii, prout quemlibet eorum continget, seu tangere poterit, annuatim teneantur ad dicta studia eorum sumptibus et illas solvere ibidem quibus mittendi esse debent in studiis memoratis. Et ut ipsi abbates, qui ad mittendum et providendum astringuntur, prout superius est expressum, diligentiam adhibentes, abiicientes desidiam in praemissis, voluit et ordinavit idem Summus Pontifex quod abbas quilibet Ordinis, qui dictos monachos seu monachum quemadmodum praefatum extitit non miserit, cum provisionibus supradictis, teneatur elapso mense duplum provisionis huiusmodi suis expensis mittere ad studium eiusdem, cuius quidem dupli medietas studenti pro quo mitti debebant, pro libris applicentur emendis, et alia in usus communes aliorum studentium per cellerarium convertatur. Et si dictus abbas duplum praefatum, ut praefertur, infra sex menses dictos terminos sequentes non miserit, eidem sit eo ipso, elapsis sex praedictis mensibus, ingressus ecclesiae interdictus. Dictas poenas incurrant patres abbates eo-

rumdem studiorum rectores, qui dictis terminis non miserint et non solverint provisiones praefatas, ut superius est descriptum. Quod si praedicti poenas huiusmodi per tres menses dictorum sex immediate sequentes pertinaciter toleraverint, a divinis suspensi Capitulum etiam generale pro viribus satagens abbates et personas Ordinis ad observantiam arctare praemissorum tam salubrium statutorum et diffinitionum, iam anni plures lapsi sunt editam, praecipit statuendo abbatibus Ordinis universi, in virtute sanctae obedientiae et sub excommunicationis latae sententiae poena, quatinus scolares suos infra tempus debitum de cetero mitterent ad studium Parisiense et eos ibidem tenerent secundum formam papalium statutorum et Ordinis, et qui facere contemnerent, per praesentes et vicinos abbates eorum qui praedicta noscent, excommunicati publice frequentius nuntiarentur. Post etiam praemissa, anno videlicet Domini 1387, statuit, ordinavit et diffinivit dictum generale Capitulum ut de quolibet Ordinis nostri monasterio cuiuscumque provinciae seu generationis in quo sunt, essent, erunt aut esse poterint aut poterunt duodecim monachi, ad aliquod Ordinis praedicti studium generale debet et debeat unus monachus destinari, seu destinatus teneri cum bursa et provisionibus ordinatis per dicta papalia statuta, et qui mittendus foret et fuerit anno quolibet mittent et mittatur infra festum Omnium Sanctorum, alioquin abbates, priores, suppriores, cellerarii, bursarii et alii officiales ac conventus dictorum monasteriorum qui in dicto termino monachum seu monachos quemadmodum dictum est, non misissent vel miserint, seu missos non tenuissent aut tenuerint cum bursa et provisionibus supradictis, tenerentur et teneantur elapsis duobus mensibus duplum bursarum et provisionum huiusmodi mittere suis expensis ad studium supradictum ; cuius quidem dupli medietas, secundum eadem papalia statuta, studenti pro quo mitti debebant pro libris emendis applicetur, et alia in usus communes aliorum studentium per cellerarium dictorum studiorum convertatur. Et si dicti abbates, priores, suppriores, cellerarii, bursarii et alii officiarii dictorum monasteriorum praefatum duplum, ut praefertur, infra sex menses dictum terminum immediate sequentes non misissent et non miserint, eo ipso dictis sex mensibus elapsis sententiam excommunicationis se novissent et noverint incurrisse. Quam diffinitionem ultro etiam dictum generale Capitulum anno tunc sequenti, videlicet anno 1388, ratificavit, confir-

mavit et approbavit. Quae papalia et Ordinis praemissa statuta ad honorem Domini nostri Dei et Ordinis nostri relevationem, commodum atque decus et salutem animarum tam salubriter edita, proh dolor ! abbates et officiales Ordinis quamplurimum, quod horrendum est audire, et infidelitatis speciem videtur praetendere, divinam in hoc maiestatem offendere, suarum animarum damnationem incurrere, ecclesiasticarum clavium et censurae omnino enervare, subditorum suorum animas et conscientias vulnerare, imo verius quantum in ipsis est interficere, Ordinis honestatem dehonestare, et ipsum Ordinem in bestialitatem asininam deducere, inflictas per praemissa statuta poenas dammabiliter non verendo vilipendunt totaliter et contemnunt, scolares monachos ut tenentur non mittentes ad dicta studia, nec tenent in eis cum debitis provisionibus ordinatis, nec quoad hoc in aliquo parent praedictis papalibus et Ordinis institutis. Praemissis igitur in spiritualibus et temporalibus incommodis, detrimentis ac periculis et tantis malis obviare pro viribus et super hiis de medio providere cupiens Capitulum generale, omnes et singulos abbates Ordinis, qui prout debebant temporibus et annis praedictis praeteritis scolares monachos cum provisionibus debitis non miserint ad dicta studia, et missos in eisdem non tenuerint, secundum modum et ordinationem praemissorum statutorum papalium, et propter hoc tenebantur mittere, et non miserunt, duplum provisionum huiusmodi infra tempus ordinatum et per modum contentum in ipsis papalibus institutis, et propter hoc fuit per eadem statuta, et est eis interdictus ecclesiae ingressus, et quod dictas poenas per tempus in dictis statutis contentum pertinaciter tolerarunt, et sic secundum eadem statuta papalia suspensionem in divinis et secundum diffinitionem Ordinis supradictam, ac quod temporibus quibus post eius promulgationem ad hoc hortabatur ; et ei in hoc debite non paruerunt, excommunicationis propter hoc sententias incurrerunt, dictum Capitulum decernit et declarat, ac nuntiari publice praecipit tenore praesentis statuti suspensos a divinis et excommunicatos. Omnes etiam et singulos abbates Ordinis, in quorum monasteriis ab anno Domini 1387 citra et per tempus postea lapsum, fuerunt aut esse poterunt duodecim monachi, et ad aliquod dicti Ordinis studium tale unum monachum non destinarunt seu destinatum non tenuerunt cum bursa et provisionibus debitis, et infra tempus infra quod et praesens per dictum Capitulum generale

fuerit institutum, prout superius continetur, et propter hoc duplum bursarum et provisionum huiusmodi mittere tenebantur, sed non miserunt, et sic propter hoc sententiam excommunicationis incurrerunt, sicut plenius superius est expressum, dictum etiam Capitulum declarat et determinat ipsos abbates excommunicatos fore, et excommunicatos tenore praesentis statuti praecipit publice nuntiari.

Prioribus igitur et supprioribus et aliis monachis Ordinis omnibus et singulis, qui tenebunt capitula seu praesidebunt in capitulis ipsorum monasteriorum de cetero, in futurum praecipit et iniungit dictum Capitulum generale in virtute sanctae obedientiae et sub damnatione animarum suarum, ac sub excommunicationis sententiae poena, quatinus ad requestam domini Cistercii, quatuor primorum abbatum de Ordine, et cuiuslibet ipsorum, ac etiam commissariorum deputandorum ab eis seu eorumdem altero, abbates omnes et singulos quos sciverint praedictis statutis papalibus et Ordinis, ut praemittitur, non paruisse, et propter hoc praedictas suspensiones a divinis et excommunicationis sententias meruisse, ipsos suspensos a divinis et excommunicatos publice nuntient, ipsorum monasteriorum conventu praesente in dictis capitulis monasteriorum suorum, omnibus et singulis diebus dominicis solemnibus et festivis. Ipsis etiam prioribus, supprioribus et omnibus aliis et singulis monachis et conversis Ordinis consimiliter et sub penis praedictis inhibet firmiter et districte dictum Capitulum generale, ne suis propriis abbatibus, sic propter praemissa excommunicatis et suspensis a divinis, obediant in aliquo, nec ab eis eucharistica sacramenta recipiant, vel cum eis in aliquo participent, quousque et quamdiu sic excommunicati et suspensi permanserint constiterit, et donec eis ipsos abbates a et super dictis sententiis absolutionis beneficium obtinuisse, nisi duntaxat in casibus a iure permissis.

15. Diffinitioni qua per generale Capitulum sub poena excommunicationis latae sententiae inhibetur abbatissis, monialibus et sororibus Ordinis universi, ne in suis monasteriis seu claustris vel cameris seu infirmitoriis aut aliis suis locis secretis, fratres de Ordinibus Mendicantium recipiant vel loquantur cum eisdem in locis praedictis, nec plusquam duobus una vice in uno monasterio et solummodo una die victualia ministrentur, ita quod in ecclesia pro missis celebrandis et proponendo verbum Dei solummodo intrare poterunt, et demum ad hospitium et non alibi declinare. Si autem contrarium attentaverint abbatissae, moniales

et sorores praedictae per visitatores vel per confessorem excommunictae denuntientur publice singulis diebus dominicis et festivis in ecclesia post evangelium nominatim ; adiicit Capitulum generale quod nulla abbatissarum, monialium et sororum dictum transgrediens statutum, et propterea sententiam excommunicationis incurrens, absolvi valeat a dicta sententia per quemcumque, praeterquam in mortis articulo, nisi prius et ante omnia pro qualibet transgressione ieiunaverit in pane et aqua per tres dies continuos, et quolibet ipsorum dierum regularem vapulando susceperit disciplinam ; et haec diffinitio scribatur in libro Regulae, et cunctis diebus solemnibus in capitulo post lectionem Regulae, congregato conventu, recitetur.

16. Generale Capitulum ordinat et diffinit quod abbatissae et moniales Ordinis universi, nullos in suis monasteriis seu suorum monasteriorum locis vel administrationibus aut officiis teneant saeculares, vel sub habitu saeculari presbyteros, capellanos, confessores, procuratores vel alios officiarios seu officiales si et quamdiu ad et propter praemissa exercenda et facienda patres abbates ipsarum eis concesserint, miserint, vel deputaverint, et instituerint monachos et conversos, seu personas alias Ordinis in Ordine professos, ac ipsius Ordinis habitum deferentes, ad quas personas Ordinis sic pro praemissis faciendis recipiendas et tenendas et ad providendum eis in victu et aliis necessariis, dictae abbatissae et moniales dictum Capitulum astringat, et ad hoc per patres abbates per censuram Ordinis viriliter vult compelli, prout eisdem patribus abbatibus visum fuerit debite faciendum.

17. Licentiam, auctoritatem et potestatem specialiter vel generaliter datam et concessam, ut dicitur, a decem annis circiter aliquibus abbatibus Ordinis et personis per generale Capitulum dispensandi cum monialibus Ordinis, et eas habilitandi ad Ordinis administrationes officia et dignitates, et reddendi seu restituendi eis habitum, velum et ordinem, non obstante quod apostataverint ab Ordine, aut fuerint in contagium carnis lapsae, seu alias graviter delinquendo, demeruerint ipsas poenas, Capitulum generale attendens quod in talibus frequenter facilitas veniae et indiscreta dispensatio, quae potius dissipatio censenda videtur, incentivum tribuit delinquendi, revocat penitus et expresse.

18. Ad serenitatem [1] conscientiarum domini Iacobi, abbatis

---

[1] securitatem : *MP*².

monasterii Cistercii, prioris, cellerarii, seu officiariorum ac personarum omnium et singularum regularium ipsius monasterii Cistercii, generale Capitulum, in quantum potest, indulgendo ipsis omnibus et singulis remittit et condonat integraliter et perfecte poenas omnes et singulas spirituales et corporales et etiam pecuniarias, si quas ubicumque et undecumque et ex quacumque causa, temporibus praeteritis usque ad hodiernam diem, transgrediendo praecepta, statuta et diffinitiones ac ordinationes Capituli generalis vel alias quovismodo delinquendo, forsitan incurrerint, vel etiam demeruerint, ipsos omnes et singulos a sententiis excommunicationis, si quas incurrerint, nunc usque in hiis scriptis prout potest absolvens, et cum eis super irregularitatibus occasione forsan praemissorum aut alias contractis benigniter dispensat, dicti tamen monasterii Cistercii personis adhuc in apostasia consistentibus exceptis ab hac gratia penitus et exclusis. Et haec diffinito in eadem forma, excepto de contributionibus et eorum negotio totali et scolarium mittendorum et non missorum et poenis propter hos demeritis et incursis, praesentis Capituli diffinitoribus et notariis est concessa.

19. Ad requestam domini abbatis et conventus monasterii Cistercii Cabilonensis dioecesis, generale Capitulum committit abbatibus monasteriorum Firmitatis dioecesis Cabilonensis, Pontigniaci Antissiodorensis, Claraevallis Lingonensis, Prulliaci Senonensis, Fonteneti et de Buxeria Aeduensis dioecesium, et eorum omnibus in solidum, quatinus et singulas Ordinis nostri personas, quas repererint obligatas esse, seu teneri ipsis domino abbati et conventui monasterii Cistercii in pecuniarum summis aut rebus aliis, ad satisfaciendum eisdem domino abbati et conventui Cistercii, de pecuniarum summis et rebus aliis, per censuram Ordinis auctoritate dicti Capituli et in eius Capituli plenaria potestate viriliter coerceant et compellant, invocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio iudicum ecclesiasticorum et etiam brachii saecularis.

20. Domino abbati et conventui dicti monasterii dat, concedit et impertitur generale Capitulum licentiam et auctoritatem vendendi, permutandi, tradendi et alienandi, ac faciendi omnia et singula quae et prout in instrumento et litteris tractatus cuiusdam inter et per eos nuper habiti continetur, prout petierunt, consenserunt, et concesserunt inter se, et quod haec diffinitio per eumdem dominum Cistercii plenius et diffusius ordinetur et fiat.

21. Cum, prout per abbatis de Mortuomari querelam generali Capitulo extitit declaratum, abbas et conventus Bellibecci dicto abbati Mortuimaris et suo conventui in decem florenis annis singulis in termino seu festo Omnium Sanctorum efficaciter teneantur, quos quidem florenos dictus de Bellobecco a tribus annis citra solvere recusavit et recusat, licet pluries super hoc fuerit requisitus, de Fulcardimonte et de Bonoportu monasteriorum abbatibus committit generale Capitulum, quatinus ipsi vel eorum alter memoratum abbatem de Bellobecco per censuram Ordinis complellant vel complellat, in dicti Capituli plenaria potestate.

22. Ad petitionem abbatis et conventus monasterii de Longovado, generale Capitulum committit domino Claraevallis quatinus si traditio cuiusdam molendini, quod dicti de Longovado habent in villa de Albapetra cum quibusdam pertinentiis, scilicet ad vitam quorumdam committentium pro certa pecuniae summa, foret dicto monasterio fructuosa et utilis, praedictis petentibus auctoritate praesentis Capituli licentiam tribuat dictam traditionem faciendi, servatis papalibus institutis.

23. Generale Capitulum committit et dat auctoritatem atque plenariam potestatem dispensandi cum fratre Guillemo Bonchaut, monacho de Valencia, et habilitandi eumdem ad quasvis Ordinis administrationes, voces et officia, dignitates, abbatiali seclusa, non obstante quod per dimidium annum apostataverit, proviso quod de abbatis sui et conventus beneplacito fiat gratia memorata.

24. Cum sorore Janueta Damel de Metis, moniali de Fristorf, quae nuper, suadente humani generis inimico, in lubricum carnis incidit puerperio subsecuto, vult generale Capitulum per dominum Morimundi dispensari, quatinus praemissis non obstantibus ad omnes actus legitimos Ordinis, abbatiatu secluso, promoveri valeat et assumi, quotiens se obtulerit facultas.

25. Ad supplicationem Guillebardi de Troussebour, domicelli, haeredis, ut asserit, bonae memoriae Guillelmi de Troussebour, committit generale Capitulum abbati de Regalimonte et priori Sancti Bernardi Parisius, si abbatem de Karoliloco seu monasterium, per testes idoneos seu alia legitima documenta dicto Guillebardo obligatum reperit in certa pecuniae quantitate, de qua dictus Guillebardus decenter proponit, ipsum abbatem Karoliloci ad solvendum ipsas pecunias per censuram Ordinis coer-

ceant viriliter, ac etiam abbatem de Voto qui creditur dictas pecunias retinere.

26. Abbati monasterii Septem Fontium committit generale Capitulum, quatinus personaliter et cum diligentia se informet, si traditio cuiusdam stagni cum quodam molendino ruinoso, quae monasterium de Benedictione Dei in Foresio habent prope villam de Vileresio in emphiteosim et ad censum annuum foret dicto monasterio fructuosa, et sequenti Capitulo generali referat, a statutis papalibus in inquisitione huiusmodi facienda nullatenus deviando.

27. Conquestionem et querelam Aymoneti de Genevreio asserentis abbatem de Tela sibi fore in certis pecuniarum summis efficaciter obligatum, generale Capitulum terminare cupiens, abbati Bellaevallis committit et iniungit quatinus, auditis rationibus partium, si ipsum abbatem de Tela dicto Aymoneto obligatum fore repererit, ut praefertur, eumdem ad satisfactionem integraliter faciendam, per censuram Ordinis viriliter coerceat et districte.

28. Venditionem factam per dominum Firmitatis tempore quo praeerat monasterio Vallis benedictae et per conventum loci, nec non per abbatem modernum et conventum praedictum ratificatam, cuidam Laurentio de Monte, videlicet de nonnullis pratis et aliis parvis possessionibus in his, quibus nunc praesentis diffinitionis decretum vult affigi generale Capitulum et apponi, designatis, secundum earumdem litterarum tenorem, ipsum Capitulum, si et in quantum potest, ratificat atque laudat.

29. Tractatum alias habitum inter dominum Pontigniaci et abbatem Bonaevallis Viennensis in provincia domini Cistercii, super restitutione nonnullorum bonorum mobilium, ac certarum summarum pecuniae facienda per dictum de Bonavalle ipsi abbati Pontigniaci eiusque conventui, prout in dicto tractatu plenius continetur, et generaliter omnia et singula ipsius tractatus puncta, generale Capitulum ex certa scientia approbat ratifficat et confirmat.

30. In [m] primis, pro dubietatis scrupulo amovendo et conscientiarum nonnullorum serenatione, generale Capitulum omnes et singulas diffinitiones, ordinationes et statuta factas et facta in

[m] *Hic incip. secunda series stat., praemisso titulo* Anno Domini 1390, etc.

nuper praeterito Capitulo generali, approbat, ratificat ex certa scientia et confirmat.

31. Petitio abbatis et conventus de Bolbona porrecta Capitulo continebat quod cum territorium villae de Mazeriis, ad dictum spectans monasterium, per cultores relinquatur de die in diem incultum propter gravem censum, quem dictum territorium solebat dictis religiosis tempore quo dictus locus erat bene populatus, quatinus ipsum territorium pro maiori et evidenti ipsius monasterii utilitate sub censu minori tradere valeant dictis ipsius territorii cultoribus, de ipsius Capituli licentia et consensu; de Bono fonte et de Calercio monasteriorum abbatibus committit idem Capitulum quatinus in, de et super praemissis faciant quidquid secundum Deum, papalia et Ordinis instituta viderint faciendum, in ipsius Capituli plenaria potestate.

32. Aetati provectae abbatis monasterii Bonifontis suique monasterii exilitati compatiens Capitulum generale ipsum a via Capituli habet de cetero favorabiliter excusatum.

33. Procuratoris Ordinis in romana Curia generalis petitionem attendens praesens Capitulum generale, domino Claraevallis committit in plenitudine potestatis, eidem praecipiens et inungens, quatinus dictum procuratorem et cellerarium Bullencuriae ad suam praesentiam faciat evocari, auditisque partibus, faciat breve et compendiosum inter ipsos iustitiae complementum.

34. Cum fratre Ioanne dicto Kilchmeur monacho de Capella in Allemania, qui apostatavit aliquanto tempore per saeculum vagabundus, consideratione petentis, duxit Capitulum nunc dispensandum, ut apostasia huiusmodi non obstante ad omnes actus, gradus et status Ordinis legitimos, valeat de ipsius Capituli speciali gratia promoveri, dum tamen eius vita et conversatio ac cetera merita virtutum suffragentur eidem et canonicum aliud non obsistat.

35. Domino Claraevallis committit Capitulum in plenaria potestate, eidem praecipiens et iniungens quatinus ad monasterium de Moris personaliter accedens, inquirat de contentis in quodam tractatu vice et nomine abbatis et conventus ipsius monasterii de Moris, de Oudeto Naudeti, Sancti Stephani Trecensis canonico, faciente mentionem et de ceteris in dicto tractatu contentis, sigillis ipsorum abbatis et conventus ac abbatis de Ripatorio sigillato et eidem domino Claraevallis, cum ad locum accesserit, praesentando de dictorum abbatis et conventus con-

sensu specialiter informatus, faciat quidquid secundum statuta papalia et Ordinis instituta, quae in talibus exiguntur, quod utilitati monasterii ipsius viderit tam spiritualiter quam temporaliter expedire.

36. Attendens [n] generale Capitulum petitionem abbatis et conventus Boniportus, qua petunt ordinationem unius missae quotidianae et quatuor anniversariorum annuorum pro nobilis viri Petri des Essars, scutiferi suorumque antecessorum et successorum remedio animarum factam, in eorum monasterio annis singulis in perpetuum certis rationabilibus ex causis promotum, maxime tum ex consideratione contentivae et largissimae largifluae eleemosynae mille francorum pro redditibus emendis sufficientibus ad ipsum onus honorabiliter supportandum, per dictum nobilem ipsi monasterio novissime oblatae et collatae, eiusdem collatoris devotioni et petentium requisitioni condescendendo idem Capitulum approbat, ratificat et confirmat proviso quod dehinc attentum immediate sequens Capitulum generale de dictis emendis redditibus ipsi abbas et conventus dictum Capitulum habeant et teneantur plenius informare, aut saltem in quos usus ipsa pecunia fuerit conversa, ut idem Capitulum quietetur. Modo et forma consimili confirmans et approbans ordinationem quotidianam collectarum in missis beatae Trinitatis et beatae Mariae associationem factam, in quotidiana missa quae pro magistro Galtero Annosti presbitero Ebroicencis ecclesiae canonico in ipsa ecclesia celebratur, qui quidem canonicus eidem ecclesiae trecentos francos annuos [o] pro redditibus emendis ad ipsius opus monasterii gratiose contulit et impendit.

37. Fratris Regnaudi de Villa nova Regia, monachi monasterii de Eschalleiis conversationem honestam, de qua Capitulum est per fide dignos plenius informatum, attendens idem Capitulum generale, cum ipso misericorditer dispensat, ut non obstante quod, timore iuvenili, apostataverit quasi per annum integrum cum amicis suis carnalibus absque regulari habitu commorando, ad omnes gradus et actus Ordinis legitimos citra abbatialem dignitatem, valeat promoveri, si aliud canonicum non obsistat, de ipsius Capituli gratia speciali.

38. Abbatibus de Bella valle et de Caroloco committit Capitulum in plenaria potestate ut certum locum eligant ad convocandos

---

[n] MP^2 : *form abbr.* [o] auri : MP^2.

abbatem de Bitannia et Aymonem de Noneto, curatum de Vancho; petentem unum bichetum frumenti annui et perpetui redditus, sibi ratione suae curae debitum super et in dictis de dicta villa de Vancho ad dictum monasterium pertinentibus, ut asserit, et ipsos coram ipsis faciant personaliter comparere, partem utramque audiant, et secundum reperta per ipsos fieri consilio saniori ipsis partibus faciant, tam de principali quam de spectantibus ad ipsum quovis modo, breve et compendiosum iustitiae complementum in ipsius Capituli plenitudine potestatis, quod propter hoc ipsum Capitulum non oneretur in futurum.

39. Domino Cistercii committit Capitulum generale quatinus de paupertate et desolatione monasterii de Pratea se informet, et secundum reperta faciat gratiose abbati et conventui dicti loci secundum suam discretionem de petitis in suis litteris praesenti Capitulo porrectis, auctoritate et potestate Capituli memorati.

40. Committit generale Capitulum domino Morimundi, quatinus se informet de contentis in instrumento pro parte abbatis et conventus monasterii de Vallibus in Ornesio, super venditione ad tempus cuiusdam redditus eorum Metis, sicut et aliis in ipso instrumento prolixius comprehensis, diligentius se informet, et quidquid secundum Deum et papalia et Ordinis statuta viderit faciendum, faciat et ordinet, in Capituli ipsius plenitudine potestatis.

41. Tractatum factum per abbatissam et conventum monasterii de Sancta Lydia [p] Gurcensis dioecesis cum religioso viro fratre Bisuntis Darbois, magistro et commendatore domus hospitalis Sancti Antonii Barrensis, terminandum committit in plenaria potestate Capituli domino Claraevallis, de ipsius discretione confidens absque ulla relatione ipsi Capitulo facienda.

42. Domino Claraevallis committitur per Capitulum generale ut de debitis per abbatem et officiarios monasterii de Dunis fratri Mathaeo Pilard, sacrae theologiae baccalario ratione bursae suae, tam de praeterito quam praesenti, cautius se informet, et ipsos abbatem et officiarios ad solvendum et refundendum eidem fratri ex integro summas debitas, auctoritate Capituli et per censuram Ordinis in plenaria potestate.

43. Domino quoque Cistercii committit ipsum Capitulum ut

---

[p] Bildae : L^1.

de XXV florenis eidem fratri Mathaeo per Ordinem debitis pro licentia Summarum super contributiones ipsius Ordinis faciat provideri, ut melius viderit expedire.

44. Abbati Savigniaci committit Capitulum in ipsius plenaria potestate, quatinus ad monasterium monialium de Perreio, in quo tam in capite quam in membris sunt, prout ipsi Capitulo est insinuatum, plura desordinata, personaliter accedat, et inquirat cum diligentia de praedictis, sanctae romanae Ecclesiae reverentia semper et ante omnia salva, ad quam, ut dicitur, loci abbatissa appellavit, et secundum reperta, si ipsi appellationi fuerit renuntiatum, aut aliter commissio ad dictum Capitulum pertineat, puniat delinquentes taliter, quod metu poenae ceterae tales aut similes excessus paveant perpetrare, non obstantibus quibuscumque commissionibus ab ipso Capitulo vel domino Cistercii emanatis, quas dominus Cistercii ex certa scientia revocat et annullat. Insuper reformationem ipsius monasterii in spiritualibus et temporalibus, in capite et in membris concernentibus quovismodo, committit dicto Savigniaci abbati, cum plenitudine potestatis, ipsum Capitulum generale super et de excessibus perpetratis per fratrem Iohannem Monnatiner, monachum Bellae branchae, et secundum eius demerita eumdem puniat et castiget, in Capituli et Ordinis plenaria potestate.

45. Fratrem Guillelmum de Villanis, monachum monasterii de Fonteneto, qui prout Capitulo est intimatum, quatinus per triennium, regulari reiecto habitu, per saeculum vagabundus apostatavit, dictum Capitulum favorabiliter habilitat ad omnes actus Ordinis legitimos, citra tamen abbatialem statum, dum tamen abbas et conventus loci consenserint in hoc, et aliud canonicum non obsistat.

46. Cum fratre Andrea Matini, monacho monasterii de Morolia duxit Capitulum misericorditer dispensandum, ut non obstante apostasia quam commisit per duos annos vel circiter per saeculum damnabiliter evagando, ad omnes actus legitimos Ordinis, citra tamen statum abbatis, et de abbatis et conventus suorum beneplacito fuerit et consensu, valeat suo tempore de ipsius Capituli speciali gratia promoveri.

47. Abbati Savigniaci committit Capitulum et iniungit quatinus ad monasterium Beatae Matiae de Calocheyo Andegavensis dioecesis, personaliter se transportet, et inquirat seriose de causis paupertatis ipsius monasterii et statu, repertaque sequenti

Capitulo referat, ut sibi per ipsum Capitulum valeat de opportuno remedio provideri super hoc quantum fuerit rationis.

48. Dominae Philippae, Bertrami militis viduae, dominae Radesiorum, quae monasterio de Buzeyo sexaginta francos annui et perpetui census pie contulit et impendit, devotioni favens Capitulum generale, abbati et conventui dicti loci pro seipsis et successoribus suis concedit licentiam pro intentione ipsius dominae tria anniversaria in eorum monasterio, annis singulis in perpetuum ordinandi, ipsa ordinatione per dictos abbatem et conventum completa, dictum Capitulum ex nunc pro tunc ratificat, approbat et confirmat.

49. Cum fratre Iohanne Marescal, monacho monasterii de Buzeyo, qui occasione furti cuiusdam per eum tamen restituti, poenam pertulit carceris, ut dicitur, patienter, dispensat Capitulum generale, ut poena et infamia praedictis non obstantibus, ad omnes actus citra abbatis statum valeat de ipsius Capituli gratia promoveri, si de suorum beneplacito processerit praesidentium, et eiusdem fratris merita id deposcant.

50. De Moroliis et de Trisagio monasteriorum abbatibus et eorum cuilibet in solidum committit Capitulum generale in plenaria potestate, quatinus abbates et conventus monasteriorum Gratiae Dei et de Re repererint fore legitime obligatos abbati et conventui Bonaevallis in Pictavia in debitis quibuscumque, ipsos ad satisfaciendum, auctoritate Capituli et per censuram Ordinis coerceant et compellant.

51. Cum fratre Nicasio de Statis, monacho monasterii de Fusniaco, qui in saeculo vagabundus divina temere celebravit, dispensat Capitulum gratiose, ut, non obstantibus praemissis, missam et alia divina officia valeat celebrare, quodque ad actus Ordinis legitimos, citra statum abbatialem, valeat promoveri de ipsius Capituli gratia speciali.

52. Cum fratre Iohanne Campololii, monacho monasterii Bellae perticae, dispensat Capitulum gratiose, ut non obstante apostasia et furto, quam et quod commisit, cum abbati et conventui suis placuerit, ad omnes actus Ordinis legitimos, citra statum abbatialem, valeat promoveri et assumi tempore opportuno.

53. Cum alias ad petitionem domini Morimundi fuerit dispensatum cum fratre Gerardo de Villari, monacho monasterii Altaesilvae, ut excessibus iuvenilibus perpetratis per eumdem non obstantibus, ad actus Ordinis legitimos, citra abbatis statum,

assumeretur tempore opportuno, dictumque Capitulum de moribus et actibus virtuosis ipsius fratris plenius informatum, relationibus fide dignis, primam gratiam ampliando, cum ipso dispensat ut ad statum abbatialem, occasione se offerente, assumi valeat et promoveri, sinistris aliis, ut praemittitur, non obstantibus quibuscumque.

54. Causam et materiam discordiae motam seu movendam inter abbatem de Ursicampo, ex una parte, et abbatem de Frigidomonte, ex altera, super quodam annuo et perpetuo redditu centum et decem solidorum, quem Frigidimontenses monasterio Ursicampi hactenus vendiderunt, quem abbas modernus Frigidimontis abbati Ursicampi solvere recusavit et recusat, in conquerentis praejudicium et gravamen, committit Capitulum generale domino Claraevallis, pace vel iudicio, auditis partium rationibus et allegationibus, terminandam, et compellendi reum ad satisfaciendum de principali, arreragiis et expensis, per censuram Ordinis in plenaria Capituli potestate.

55. Abbati de Bellavalle committit Capitulum generale eidem specialiter iniungendo, quatinus inquirat diligenter et seriosius se informet de contentis in litteris quibusdam abbatis et conventus monasterii Bonifontis Capitulo praesentatis, et de ordinatione quorumdam anniversariorum et missarum in suo monasterio perpetuo celebrandorum, ad et pro intentione domini Petri, decani Montis Belicardi, expressam facientibus mentionem, repertaque sequenti referat Capitulo generali.

56. Cum abbas et conventus monasterii de Aceyo habeant unam grangiolam vocatam Vachenges, quae penitus est collapsa, terrasque ipsius tum propter earum modicum valorem, tum propter animalium ad aratrum aptorum inopiam et defectum, habeantque homines suos et suae ecclesiae pertinentes vicinos, qui pauperes sunt in terris, quos de ipsius grangiae terris desiderant augmentari, supplicat dominis de Capitulo sibi hoc concedi gratiose, cum exinde profectum ampliorem habeat ipsum monasterium, et percipiet tam in talliis ipsorum hominum quam de decimis et aliis in futurum. Abbati de Caroloco, patri abbati dicti monasterii, committit Capitulum in plenaria potestate, quatinus inquirat cum diligentia de praemissis; et faciat quidquid uilitati monasterii viderit melius expedire, in ipsius Capituli plenitudine potestatis, statutis tamen papalibus et Ordinis in omnibus observatis.

57. Domino de Claravalle committit Capitulum et iniungit, quatinus in sua prima visitatione futura monasterii Ursicampi, statum ipsius monasterii in prosperis et adversis perquirat et compertam veritatem proxime sequenti referat Capitulo generali, ut eorum infortuniis valeat de optimo et possibili remedio per ipsum Capitulum provideri.

58. Domino Cistercii committit Capitulum generale ut, de contractu habito vel habendo inter dominum Claraevallis et suum conventum, ex una parte, et priorem de Monte Sanctae Germanae, ex altera, super quibusdam censibus, quos habent dicti Claraevallenses in et super molendinis, quae nuncupantur molendina Castri prope Barrum super Albam, quam citius poterit, se informet super agendis, et faciat, in auctoritate et potestate Capituli plenaria, quidquid sibi visum fuerit expedire, quod ex nunc pro tunc dictum Capitulum ratificat, approbat ex certa scientia et confirmat.

59. Ad petitionem abbatissae et conventus monasterii monialium Verneysonis aspiciens Capitulum generale, abbati de Leoncello, patri abbati ipsarum committit, praecipit et iniungit, ut de alienatione cuiusdam molendini siti in chanteriis de Romanis et circumstantiis ad hoc necessariis, traditioneque quarumdam terrarum inutilium et aliarum possessionum ad censum annuum concedendum in diversis locis sitarum et nominibus variis nuncupatarum, studiosius se informet, et quidquid, observatis statutis tam papalibus quam Ordinis, viderit faciendum, et ipsius monasterii tam pro praesenti quam futuris temporibus utilitati expedire, faciat, ordinet et confirmet, in ipsius ordinaria et Capituli plenaria potestate.

60. Abbati monasterii Clarifontis committit Capitulum eidem praecipiens et iniungens, quatinus abbatem de Bithania et eius conventum ad sigillandum suis sumptibus propriis litteras appellationis, ad quinquennium centum francorum auri eisdem factae per dominum Morimundi, secundum formam litterae inde constitutae, auctoritate Capituli et in eius plenaria potestate viriliter coerceat et compellat.

61. Cum fratre Iohanne Perterre de Montefalconis, monacho de Caherio, dispensat Capitulum, ut non obstante quod excommunicationis sententiam propter inobedientiam incurrerit, in ipsaque sic ligatus divinis se immiscuit irregularitatem incurrendo, et postmodum ad obedientiam est reversus, absolutionis et dis-

pensationis beneficium obtinendo, ipsum pronuntiat habilem ad quosvis Ordinis actus legitimos et etiam dignitates, si alia eidem virtutum merita suffragentur, dictum Capitulum generale.

62. Domino Claraevallis committitur per Capitulum generale ut ad monasterium Monasteriorum in Argonia personaliter se transportans, inquirat de clausula et ordinatione contentis in testamento seu ultima voluntate Iohannis de Herisia, nuper defuncti, tam de spiritualibus requisitis per eum, quam temporalibus elargitis ; et secundum quod repererit, faciat, cum abbatis et conventus domus assensu, quidquid in utroque honore pro nunc et futuro fuerit fructosum, in ipsius Capituli et Ordinis plenitudine potestatis.

63. Materiam discordiae motam seu movendam inter abbates et conventus monasteriorum de Alto Cristo et de Tela, super manutentione cuiusdam fontis desuper cellium aquaeductus existentis Altropi apud Adezeleys, de consensu et voluntate per iuramentum confirmatis abbatum et monasteriorum praedictorum, cum promissione quod suos conventus facient assentire et ad consentiendum inducent, abbatibus de Bellavalle et de Caroloco, arbitris seu arbitratoribus et amicabilibus compositoribus per ipsos abbates Alti Cristi et Telae nominatis et electis, committit Capitulum eisdem praecipiens et iniungens, quatinus, partibus evocatis et ceteris qui fuerint evocandi, auditisque rationibus et allegationibus partis utriusque, faciant, tam per viam iuridicam quam voluntariam, atque aliis modis, concordiam inter partes, qua facta, vult et ordinat Capitulum quod perpetui roboris habeat firmitatem. Et quidquid fecerint, ex tunc pro tunc dictum Capitulum approbat, ratificat et confirmat, dans eisdem commissariis ipsius Capituli in hiis omnimodam et plenariam potestatem.

64. Annuam pensionem per bonae memoriae magistrum Samsonem tunc abbatem Savigniaci concessam Richardo de Bosco, suo servienti ad petitionem nunc abbatis Savigniaci, generale Capitulum, si et in quantum legitime fuerit facta, ratificat, approbat et confirmat.

65. Abbatibus de Bella valle et de Caroloco committit Capitulum in plenaria potestate, quatinus de traditione ad annuum censum cuiusdam vineae sitae in civitate Bisuntina et ad monasterium Gratiae Dei pertinentis, diligentius se informent, et super

quae repererint, observatis papalibus et Ordinis institutis, faciant quidquid ipsi monasterio viderint et senserint fructuosius decentius expedire, in plenaria potestate.

66. Sententias contra non solventes statutis terminis contributiones ab Ordine latas, dehinc ad proximum futurum generale Capitulum, abbati propter propinquitatem suae promotionis et officiariis monasterii de Bello prato prope Bellovacum relaxat et prorogat ad petitionem abbatis Ursicampi, patris abbatis immediati dicti monasterii Belliprati, et cum ipsis dispensat super irregularitate forsan contracta ex eo quod sic ligatis se divinis officiis immiscuerunt, dum tamen non fecerint in clavium contemptum ipsius Capituli, de eius gratia speciali.

67. Abbatis monasterii Bonaevallis Viennensis aetatem provectam et imbecillitatem corpoream contuens Capitulum generale, ipsum a via Capituli pro semper habet favorabiliter excusatum de gratia speciali.

68. Abbati monasterii Bonaevallis Viennensis committit Capitulum, in plenaria potestate, ut in omnibus et singulis agendis sui immediate filii abbatis Leoncelli praesenti Capitulo praesentatis, de quibus sibi faciet promptam fidem, secundum Deum, papalia et Ordinis [instituta] faciat quidquid viderit faciendum, in plenaria ipsius Capituli potestate.

69. Petitioni abbatis de Rupibus petentis quod cum frater Philippus de Yveyo, monachus suus olim, et nuper defunctus, dum viveret de abbatis ipsius licentia et permissu abbati de Callovio pro suis necessitatibus 30 mutones aureos, 30 francos aureos, 40 regales, necnon et 20 florenos aureos, prout ex ipsius litteris patet liquidius, aperte favens Capitulum generale, abbatibus de Fonte morum, de Bonoradio, de Fonte Iohannis et de Quinciaco, et eorum cuibet in solidum, alio minime expectato cum fuerit eorum alter debite requisitus, committit Capitulum generale in plenaria potestate, eisdem et eorum alteri praecipiens atque mandans, quatinus ubi eis vel ei constiterit sic esse, ad satisfaciendum dicto de Rupibus de dictis pecuniarum summis per censuram Ordinis atque alio iusto medio, in ipsius Capituli plenaria potestate coerceat viriliter et compellat.

70. Cum et prout ex petitione abbatis et conventus monasterii de Alneto fuit Capitulum informatum, ipsos habere in Anglia quosdam redditus ab antiquo, de quibus nullum a viginti annis circiter et ultimum fructum non receperunt quemcumque, qua-

tinus detur eis licentia a dicto Capitulo ipsos reditus vendendi vel ad firmam tradendi per longum tempus, abbatibus de Thorigneyo et de Barbereyo committit Capitulum quatinus se de praedictis informent, et quod repererint sequenti referant Capitulo generali.

71. Cum fratre Nicolao de Dossa, monacho de Thorigniaco, qui sine licentia exiens monasterium, quatuor per menses in saeculo vagabundus extitit, cum suo tamen habitu regulari, generale Capitulum dispensat, ut praemissis non obstantibus ad omnes actus Ordinis legitimos, de suorum beneplacito Superiorum, citra abbatialem statum, valeat promoveri, de ipsius Capituli gratia speciali.

72. Venditionem et alienationem perpetuam quatuor florenorum auri, quos abbas et conventus monasterii de Buxeria, Aeduensis dioecesis, in talliis villae de Roulles habebant annuatim, et percipere solebant ab antiquo, nobili viro et honesto Iacobo de Salione factam, pro summa 40 florenorum, prout in litteris super hoc confectis plenius continetur, dominus Cistercii auctoritate primaria et ipsius Capituli approbat, ratificat et confirmat in plenaria potestate.

73. Domino Claraevallis in potestate Ordinis plenaria committitur, absque ulla ulteriori relatione facienda, in sua visitatione primaria per ipsum in monasterio Triumfontium vel alias, si repererit utilitatis esse monasterio de Tribusfontibus praedicto ad vitam duarum vel trium personarum dumtaxat pro annuo censu, quod domus ruinosae reparationibus indigentes quamplures, quas habent in civitate Catalonensi et castro de Voysseyo necnon et pratum de Lies (?) tradi valeant per abbatem et conventum dicti monasterii de Tribusfontibus vel eorum procuratorem, et tractatus super hiis constitutos auctoritate ipsius Capituli approbet, ratificet et confirmet.

1391

Diffinitiones [a] anni millesimi trecentesimi nonagesimi primi.

1. Diffinitiones et ordinationes quascumque factas ac sta-

1391. *Fontes* : *J* : 1-24, 26-31, 33, 34, 37-39, 41, 46, 47, 49 ; *L*[1] ; 1-49 : *P*[2] : 11. [a] *Titulus apud JL*[1].

tuta condita per generale Capitulum in proximo lapso Capitulo generali, ratificat, approbat, innovat et confirmat, ac vult habere secundum eorum tenores firmitatem idem Capitulum, speciale et expresse omnia statuta facta, ordinationes et diffinitiones conditas in ipso ultimo lapso generali Capitulo per ipsum Capitulum, de, super ac pro contributionibus Ordinis levandis et recipiendis ac non solvendis, cogendis et compellendis ad solvendum et nuntiandis ac nuntiari faciendis, ipsos excommunicatos gerendis et exercendis et faciendis omnibus et singulis, quae necessaria vel expedientia fuerint ad ipsarum contributionum exactionem et solutionem, et totum ipsarum huiusmodi negotium generale Capitulum ratificat, approbat et confirmat, innovat et de novo statuit, ordinat et diffinit pro futuris temporibus, ac vult habere pro praeteritis, praesenti et futuris comparibus perpetuum robur et firmitatem.

2. Cum Ordo noster Cisterciensis specialiter, expresse et iuste domino abbati et conventui monasterii Cisterciensis ac ipsi monasterio Cisterciensi in viginti quinque millibus quadringentis octoginto et octo florenis aureis tribus grossis argenteis de et pro tempore iam praeterito, et pro maximae dictae summae parte et portione a et pro longo tempore multum est lapsa, fuerit et adhuc sit ac etiam aliis personis in diversis pecuniarum summis aliis efficaciter obligatus, et oporteat Ordinem ipsum omnia sibi incumbentia, et quotidie supervenientia supportare, quae solvi et fieri nequeunt absque multiplicibus expensis, generale Capitulum propter hoc contributionem sex millium florenorum pro dictis debitis persolvendis, et pro expensis Capituli generalis et pro omnibus oneribus supportandis pro anno praesenti, sicut alias solitum est, ordinat et imponit. Universis igitur, *etc.*, *ut ann. praeced. stat.* 7.

3. Omnes et singulos abbates Ordinis qui et si non venerint ad praesens generale Capitulum, suam tamen secundum formam statutorum papalium excusaverit absentiam, habet idem Capitulum benigne excusatos ; reliquos autem, qui non venerunt, contumaces reputat et eos poenas non venientibus inflictas incurrisse decernit, ipsos nihilominus sub eisdem poenis peremptorie citat ad proxime futurum Capitulum generale ; solos autem et dumtaxat abbates infrascriptos habet ipsum generale Capitulum recommendabiliter excusatos, scilicet monasteriorum abbates de Bonoradio, de Maceriis, de Gardo, de Caherio, de Bu-

zaio, de Insula Dei, de Claritate Dei, de Oratorio, de Curia Dei [b], de Torigniaco, de Trappa, de Persenia, de Sancto Andrea de Goferno, de Strata, de Campania, de Brolio, de Bella Brancha, de Bonofonte, de Sinyaco, de Ellancio, de Valle Regis, de Valle Clara, de Ygniaco, de Longoponte, de Valle Richerij, de Chirminone, de Loco Dei, de Sancto Albino, de Callovio, de Tyronello, de Valle benedicta, de Longo vado, de Sancto Sulpicio, de Alneto, de Fontanis albis, de Alto fonte, de Valle benedicta, de Valle lucenti, de Regali monte, de Sigillarijs, de Laude, de Precibus,de Barbello, de Boherio, de Pietate Dei, de Eleemosyna, de Bullencuria, de Claromarisco, de Varenis, de Alto Cristo, de Cheseriaco, de Bono monte, de Gratia Sanctae Mariae de Charone, de Trizayo, de Tela, de Balerna, de Rupibus, de Roseriis, de Ponte Octrani, de Caroloco, de Pruliaco, de Valencia in Pictavia, de Fonte Iohannis, de Castellarijs, de Pinu, de Merolio, de Bosco Gellandi, de Vallibus in Ornesio, de Dulci valle, de Sancto Benedicto in Voepria, de Christa, de Bono portu, de Ursicampo, de Sancto Urbano in Allemannia, de Benedictione Dei.

4. Ad requestam reverendi in Christo Patris et domini abbatis et conventus monasterii Cistercii, *etc., ut ann. praeced. stat.* 19.

5. Ad requestam domini Claraevallis generale Capitulum committit districtius iniungendo domino Cistercii, de Pruliaco, de Ripatorio et de Moris monasteriorum abbatibus, et eorum omnibus solidum, quatinus [c], etc., ut supra de Cistercio.

6. Cum reverendus in Christo Pater et dominus, dominus abbas et conventus monasterii Cistercii Cabillonensis dioecesis, et abbas ac conventus monasterii Albaeripae Lingonensis dioecesis intendant inter se mutuo permutare, et sibi vicissim tradere certis ex causis rationabilibus, ut asserunt, videlicet, dicti dominus abbas et conventus monasterii Cistercii triginta quinque libras bonorum et legalium parvorum turonensium annui et perpetui redditus et census, debitas et solvendas omni anno in perpetuum per ipsos abbatem et conventum dicti loci et monasterii Albaeripae et eorum successores, et quas ipsi debent dictis domino abbati et conventui monasterii Cistercii et eorum successoribus apud Cistercium in periculis, sumptibus et expensis dictorum abbatis et conventus dicti monasterii Albaeripae, annuatim die secunda Capituli Cisterciensis ordinis generalis, et propter

---

[b] et alios plures : *J*. [c] *L*[1] *iterum transcribit totam formulam.*

hoc dicti abbas et conventus dicti monasterii Albaeripae tradere in recompensatione dictis domino abbati et conventui dicti monasterii Cistercii census, proventus, res, ac bona inferius expressa quae sequuntur :

Videlicet, septem modios et duodecim sextaria vini ad mensuram divionensem annui et perpetui census et redditus quas ipsi abbas et conventus dicti monasterii Albaerippae dicunt sibi et suo monasterio debitos esse, et se ac suum monasterium habere ac percipere debere annuatim et in perpetuum in et de decima ac super decimam vinorum villae finagii territorii de Broychons Lingonensis dioecesis. Item, quamdam peciam seu clausum vineae situatam quasi ad dimidiam leucam prope villam divionensem, dioecesis Lingonensis, in finagio seu territorio de Divione, continentem circa novem jornalia in loco qui dicitur in Vallemin iuxta viam communem quae tendit ab Espirey hinc, et iuxta vineam Iohannis Poissennot burgensis Divionensis inde, et Iohannis Esclairre de Divione ex alia parte. Item, quatuor soituras prati in loco dicto ex Lampone situatas procedentes supra pratum Esniuses et supra pratum abbatissae et conventus monasterii de Tardo. Item, in loco dicto Vallisflorida duas soituras prati iuxta pratum haeredum Mongini Chanchart ex una parte, et iuxta pratum domini de Maigney ex altera parte. Item, unam soituram cum Iohanne Guarel iuxta pratum domini Ducis ex una parte, et subtus pratum dicti Mongini Chanchart ex altera. Item, unam soituram prati continentem quatuor quarteria en la Sanseuze iuxta pratum Guillelmi Chaume de Flamereyo ex una parte, et rippariam de la Tille ex alia. Item, in loco dicto en la Corchevache duas soituras prati cum curato de Jaule et religiosis hospitalis Beatae Mariae Magdalenae de Divione iuxta religiosos d'Espoisse ex una parte, et iuxta Iohannem Le Clerc ex alia, cum omnibus et singulis ingressibus, iuribus, dominio utili et directo ac mixto fructibus, exitibus, pertinentibus, emolumentis et pertinentiis praemissorum septem modiorum et duodecim sextariorum vini annui et perpetui redditus ac census, ac clausi seu peciae vinearum ac pratorum omnium supradictorum, ad tenendum, possidendum, in perpetuum a dictis domino abbate et conventu dicti monasterii Cistercii et eorum successoribus, seu aliis nomine illorum. Et de ac super praemissis abbates et conventus dictorum monasteriorum Cistercii et Albaeripae habuerunt, ut fertur, inter se tractatus et hoc fieri concorditer et

unanimiter volunt pro evidentibus utilitatibus dictorum suorum monasteriorum, consentiunt et concedunt, de Longo vado et de Moris ac aliorum quorumcumque, qui in, de et super hoc fuerint requisiti, monasteriorum abbatibus committendo praecipit Capitulum generale, quatinus de et super praemissis iuxta formam iuris et papalium statutorum diligenter inquirant et quod invenerint sequenti proximo generali Capitulo vel etiam ante illud domino abbati monasterii Claraevallis, patri abbati dicti monasterii Albaerippae referant. Cui domino abbati Claraevallis committit dictum Capitulum generale ut praedicta fieri concedat, et inde statuat, ordinet et faciat auctoritate dicti Capituli quod, prout et secundum quod statuere, ordinare et facere posset et potest idem generale Capitulum, in tota quam habet et qua potest idem Capitulum, plenaria potestate.

7. Committit generale Capitulum abbatibus de Ursicampo et Belloprato quatinus super venditione seu traditione 40 librarum ad vitam duorum, quorum iunior iam decessit, factam per abbatem et conventum Caricampi se informet, et quidquid super hoc utile iudicaverit, ordinet, confirmet et faciat, in plena dicti Capituli potestate.

8. Domino Claraevallis committit generale Capitulum ut, si abbatem de Dunis aut aliquos dicti monasterii officiarios repererit redditus scolarium Sancti Bernardi Parisiensis aut aliquas pecunias pro dictis scolaribus recepisse, aut etiam indebite retinere, detentores huiusmodi ad restitutionem celerem et integram dictorum reddituum aut summarum ipsarum detentarum, per censuram Ordinis, in dicti Capituli plenaria potestate, compellat.

9. Ut abbatem Clarifontis ad restitutionem solutorum pro et nomine ipsius in Curia romana per dominum Guidonem, nuper abbatem Firmitatis, compellat, generale Capitulum suam in hac parte potestatem plenariam committit domino Morimundi.

10. Cum super diversis criminibus et excessibus quamplurimis quorum praetextu delatus est Capitulo generali, et per conventum suum accusatus abbas Clarifontis, non potest ad plenum absque damnosa pro dicto monasterio deletione, secundum causae exhibitique processus exigentiam idem Capitulum informari, domino Morimundi, assumptis secum de Bellavalle et Albaeripae monasteriorum abbatibus, causam huiusmodi committendo mandat et iniungit Capitulum memoratum, quatinus dicto processu, diligenter omni dilatione postposita, exacto et informatione de-

bita, super contentis in eodem facta, in Capituli praedicti plenaria potestate faciat et exhibeat praedictis, tam abbati accusato quam conventui, auctoritate ipsius, privatis personis accusantibus bonum et breve, secundum iuris formam et Ordinis instituta, iustitiae complementum.

11. Causam et materiam discordiae motam seu movendam inter abbatem de Ursicampo ex una parte, et abbatem de Frigido monte ex altera, *etc.*, *ut ann. praeced. stat.* 54.

12. Domino Claraevallis committit Capitulum et iniungit, quatinus in sua prima futura visitatione monasterii Ursicampi, etc., *ut ann. praeced. stat* 57.

13. Reformationem [d] monasterii de Campis bonis Vivariensis dioecesis, in quo non pauca corrigenda, reformanda referuntur, committens pro praesenti anno [e] generale Capitulum abbatibus de Mansiade et de Bonavalle, dictae Vivariensis et Ruthenensis dioecesis, mandat eisdem et iniungit de consensu abbatis dicti loci, quatinus ad idem monasterium de Campis bonis personaliter accedentes reforment et corrigant quaecumque inibi reformanda corrigendaque cognoverint, tam in capite quam in membris, per depositionem, destitutionem abbatis et officiariorum dicti monasterii, si hoc exegerint eorum demerita, et aliorum de novo institutionem, ac aliam cuiuscumque generis condignam, secundum instituta, punitionem, correctionem in plenaria potestate dicti Capituli, invocato nihilominus, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis. Quia vero modernus abbas de Campis bonis omnibus appellationibus per eum factis a patre abbate suo de Bonavalle praedicto renunciavit, vult et decernit idem Capitulum, ut ad statum pristinum omnia reducantur, quibus se gravatum reputans, appellavit et cetera quoque, quae pendente appellatione attentata fuerunt contra ipsum, vel etiam innovata.

14. Abbatem de Ponte Thiefridi, Metensis dioecesis, citatum peremptorie et personaliter ad praesens generale Capitulum per abbatem Sancti Benedicti in Vepria, de mandato domini Cistercii, ad instantiam domini Morimundi, quia nec misit nec comparuit, contumacem reputat et decernit idem Capitulum generale.

15. Item [h], fratrem Iohannem Commere monachum monasterii de Laude citatum peremptorie et personaliter ad praesens generale Capitulum, ad instantiam et de mandato domini Cistercii

---

[d] *form. abbr. apud J.* [e] *cf. ann.* 1389, *stat.* 28. [f] *form. abbr. apud J.*

Reformatoris Ordinis, per dominum Claraevallis, quia nec misit nec comparuit, contumacem reputat et decernit idem Capitulum generale, et propter hoc excommunicat in hiis scriptis.

16. De Claromonte et de Bella brancha monasteriorum abbatibus committit generale Capitulum, ut si monasterium de Ponte Octrani repererint non aliter posse subsistere, conventumve sustentari, licentiam silvas non caeduas vendendi usque ad evidentem necessitatem, non tamen ultra quadringentarum librarum summam, auctoritate dicti Capituli largiantur, servatis in omnibus papalibus institutis.

17. Dispersionem conventus monasterii de Claromarisco, si hoc necessitatem exigere repererit dominus Claraevallis, eidem committit generale Capitulum in ipsius potestate plenaria faciendum.

18. Monasterii Veteris Villae pensata paupertate non ignota, quotam seu portionem contributionum annis singulis eidem monasterio per generale Capitulum imponendam, quamdiu dominus Radulphus eiusdem monasterii modernus abbas vitam duxerit in humanis, ad medietatem, taxationis antiquae moderatur et reducit memoratum Capitulum generale.

19. Nonnullorum ferens aegre monachorum perniciem generale Capitulum, qui fructuum atque proventuum quorum usu grex domini conventualis sustentari debet, et pauperum esuries refoveri, propriis abusibus sequestrare potentum interventu saecularium moliuntur, praesertim autem fratris Iohannis de Vicheri, monachi monasterii de Ursicampo, qui suae professionis immemor, prout sufficienter innotuit eidem Capitulo officium portae dicti monasterii, cum iuribus et pertinentiis ad vitam suam, non modo precum sed et minarum instantia satagit obtinere, abbati eiusdem monasterii de Ursicampo, districtius inhibet memoratum Capitulum, ne supradictum officium portae dicto fratri Iohanni committat, sed commissum aut aliter obtentum ab eo tollat, ipsumque condigne pro delicto poenarum inflictione puniet indilate.

20. Abbati Mortui maris committit generale Capitulum quatinus si monasterium de Thesauro repererit monasterio de Gomerifonte teneri in quatuor ancinis bladi annui redditus et eorum solutionem irrationaliter distulisse, abbatissam et conventum dicti monasterii de Thesauro ad dicti redditus annui solutionem cum arreragiorum refusione debite per censuram Ordinis auctoritate dicti Capituli absque dissimulatione compellat.

21. Abbatibus de Begar et Villanova committit generale Capitulum ut si domum monasterii de Precibus sitam in villa Venetensi tradere in emphiteosim vel ad redditus perpetuos compererint expedire ac utile fore dicto monasterio de Precibus, abbati et conventui eiusdem loci dictam domum sic tradendi licentiam conferant, in plenaria dicti Capituli potestate.

22. Comperiens in veritate generale Capitulum monasterium de Bithania domino Mereto curato de Vaulx, ratione dictae curae seu legitime teneri in uno bicheto frumenti annui et perpetui redditus, una cum quatuor bichetis de et pro arreragiis temporis retroacti, adiudicat dictum generale Capitulum praedictos bichetum annui redditus et quatuor de arreragiis dicto Curato deberi, abbatemque et conventum dicti monasterii ad praedictorum solutionem ex sententia condemnat, expensas pro expensis in pro et super praedictorum perceptione facti et utraque parte sententialiter compensando.

23. Minoratione proventuum monasterii de Lanneyo attenta, generale Capitulum quotam seu portionem contributionum eidem monasterio imponendam, quamdiu nonnus Symon modernus abbas dicti monasterii vitam duxerit in humanis, adeo moderat et relaxat idem Capitulum ut de et pro quolibet milliario florenorum totius summae contributionum dictum monasterium de Lanneyo tres florenos solvere tenebitur et non plures.

24. Ad idem de Vallibus servari quamdiu vixerit nominatus Stephanus modernus abbas.

25. Committit generale Capitulum abbati Savigniaci, ut si repererit abbates de Valle Richerii et de Tironello aut eorum alterum, ratione sustentationis monachorum suorum, abbati et conventui de Sancto Andrea de Gouferno secundum statuta Ordinis in aliquo teneri, auctoritate dicti Capituli generalis ad solutionem huiusmodi debite coerceat debitores.

26. Abbatibus [g] de Frigido monte, de Regali monte, ac eorum cuilibet in solidum mandando committit generale Capitulum quatinus super excessibus non paucis, quos in studio Sancti Bernardi Parisiensis, et in eadem villa dudum commississe feruntur fratres Yvo de Bona Requie, Johannes de Precibus, et Rudolphus de Bello becco scolares ibidem, informatione diligenti facta, dictis scolaribus et eorum cuilibet, pro culparum exigentia, condi-

---

[g] *form. abbrev. apud J.*

gnam poenitentiam atque poenam infligant, in plenaria dicti Capituli potestate.

27. Domino Claraevallis, si infra proximum Pascha diverterit ad partes Sabaudiae, sin alias, abbati de Monte Sanctae Mariae committit generale Capitulum, quatinus abbates de Alto Cristo et de Tela, eorumque quemlibet pro sua portione, compellat per censuram Ordinis, in plena dicti Capituli potestate, ad refundendum et solvendum abbatibus de Bella valle et de Caroloco rationabiles expensas, quas eos fecisse pro facto dictorum abbatum, de mandato Capituli repererint, informatione debita praecedente.

28. Cum alias commissum fuerit domino Pontigniaci per Capitulum generale, ut abbatem et conventum de Escallereis compelleret, per censuram Ordinis, ad satisfaciendum abbati de Regniaco de 35 libris turonensibus, in quibus dicto abbati de Regniaco et suo conventui tenebatur, ipsaque diffinitio non fuerit executioni demandata, idcirco dominis Pontigniaci et Claraevallis, et eorum cuilibet, committit Capitulum generale ut, vocatis qui fuerint evocandi, faciant seu faciat eorum alter auctoritate Capituli super petitis celeris iustitiae complementum.

29. Domino Cistercii committit Capitulum generale quatinus de paupertate et de solutione monasterii de Pratea se informet, et secundum reperta faciat gratiose misericordiam abbati et conventui dicti loci, secundum suam discretionem de petitis, auctoritate et potestate Capituli memorati.

30. Committit generale Capitulum domino Claraevallis ut si repererit abbates de Laude et de Chevilnare [h] aut eorum alterum ratione sustentationis monachorum suorum abbati et conventui de Chaereyo secundum statuta Ordinis in aliquo teneri, auctoritate dicti Capituli generalis ad solutionem huiusmodi coerceat debitores.

31. Domino Claraevallis committit Capitulum generale quatinus si repererit fratrem Albertum de Sardusi, nunc monachum de Fonteneto, indebite retinere quemdam librum nomine Bucolicon [j] spectantem ad monasterium de Chaeryo, auctoritate Capituli praedicti ad restitutionem dicti libri praedictum coerceat detentorem.

32. Non obstante periurio, quod ex inadvertentia pro non red-

---

[h] Cheulnorum : *J*. [i] Saërmis : *L*¹. [j] Bacolieron : *L*¹.

dita ratione de receptis et nota infamiae, quam idcirco dicitur incurrisse frater Nicolaus [k] Lemunier, monachus de Voto, suspecta mulier in camera dicti fratris Nicolai extra dormitorium, eo tamen in clauso dormitorio dormiente reperta fuerat, dispensat misericorditer cum eodem generale Capitulum ut ad omnes actus legitimos, officia, dignitates citra abbatialem assumi valeat idem frater.

33. Domino Cistercii et deputando vel deputandis ab eodem committit generale Capitulum, quatinus si permutationem quorumdam molendinorum situatorum in Barro super Albam ad monasterium Claraevallis pertinentium cum priore de Monte Sanctae Gerundae eidem monasterio Claraevallis utilem fore repererit, permutationem ipsam auctoritate Capituli generalis ratificet et confirmet, faciatque de et super hoc quidquid pro meliori discreverit faciendum.

34. Si concessionem quotidiani victus, ut uni monacho, et cuiusdam prati ad vitam, Gerardino Bichat de Lusigniaco factam per abbatem et conventum de Ripatorio utilem fore dicto monasterio, facta super hoc informatione debita, repererit dominus Claraevallis, committit eidem generale Capitulum, ut in plena eiusdem potestate dictam concessionem ratificet et confirmet.

35. Cum fratre Iohanne de Trecis monacho monasterii de Ripatorio, qui diebus quatuor dumtaxat extra monasterium sine licentia mansit digressus interim ad monasterium Claraevallis, ut omnes actus legitimos, officia, dignitates, citra abbatialem dignitatem, suis exigentibus meritis, valeat et exercere misericorditer dispensat Capitulum generale.

36. Cum fratribus Iohanne de Lusiniaco, aliter dictus Fovet, monacho Rippatorii, qui per triennium, habitu regulari temere deposito, vagabundus apostatavit, necnon cum Petro de Droco Sanctae Mariae eiusdem [monasterii] monacho professo, qui consimiliter per sex annos in saeculo apostata permansit, dispensat misericorditer generale Capitulum, ut ad omnes actus legitimos, officia, dignitates, citra tamen abbatialem provehi valeant et assumi.

37. Monasterii de Chalocheyo pensata paupertate non ignota, quotam seu portionem contributionum per singulos viginti immediate secuturos annos eidem monasterio imponendam, ad me-

---

[k] *cf. supra ann.* 1389, *stat.* 18.

dietatem taxationis antiquae moderatur et reducit memoratum Capitulum generale.

38. Conquestionem abbatis et conventus monasterii de Ioyaco asserentium abbatem de Escalleriis eisdem in viginti quinque francis, ratione certae quantitatis bladi novissimo dicti abbatis praedecessori mutuo concessi teneri, suscipiens Capitulum generale domino Pontigniaci committit, quatinus si ita fore repererit, dictum abbatem de Escalleriis ad praedictorum 25 francorum aut summae cuiusvis dicta de causa rationabiliter debitae solutionem, auctoritate dicti Capituli viriliter et debite per Ordinis censuram compellat.

39. Monasteriorum de Mansiade et de Loco Dei abbatibus committit generale Capitulum ut, si grangiam de Solagio ad monasterium de Bonaevallis Ruthenensis pertinentem repererint non excedere valorem 30 florenorum annuatim, et eius traditionem in emphiteosim aut ad censum seu redditum perpetuum fructuosam fore dicto monasterio iudicaverint, dictam domum sic tradendi licentiam conferant, in plenaria dicti Capituli potestate.

40. Nonnullorum ferens aegre monachorum perniciem generale Capitulum, qui fructuum atque proventuum quorum usu grex Domini conventualis sustentari debet et pauperum esuries refoveri, ipsis abusibus sequestrare potentum interventu saecularium moliuntur, praesertim autem fratris Mauritii de Quelem monachi monasterii de Releche, qui suae professionis immemor, prout sufficienter innotuit eidem Capitulo, officia nonnulla dicti monasterii cum iuribus et pertinentiis eorumdem, non modo precum sed et minarum instantia satagit obtinere ; abbati eiusdem monasterii de Releche districtius inhibet memoratum Capitulum, ne officium quodcumque, nisi et quatinus ei merita suffragentur, dicto fratri Mauritio committat, sed aliter commissum aut obtentum ab eo tollat, ipsumque condigna pro delicto poenarum inflictione puniat indilate.

41. Minoratione proventuum monasterii Frigidi montis attenta, generale Capitulum quotam seu portionem contributionum eidem monasterio de cetero perpetuis temporibus imponendam adeo moderatur et relaxat, ut de et pro quolibet milliario florenorum totius summae contributionum, dictum monasterium Frigidi montis [tres] florenos in posterum solvere tenebitur et non plures.

42. Cum fratre Durando Cauleti, aliter Cadas, monacho monasterii Bonaevallis Ruthenensis dioecesis, duxit Capitulum misericorditer dispensandum, ut non obstante apostasia quam commisit per aliquantulum temporis spatium per saeculum damnabiliter evagando, ad omnes actus Ordinis legitimos citra tamen abbatialem dignitatem, et abbatis et conventus suorum beneplacito et consensu, valeat de ipsius Capituli speciali gratia promoveri.

43. Cum fratribus Humberti de Bonavalle et Iacobo de Ponteallia monachis monasterii Montis Sanctae Mariae dispensat Capitulum gratiose, ut non obstante apostasia quam pluries per saeculum vagabundi damnabiliter commiserunt, cum abbati et conventui suis placuerit, ad omnes actus Ordinis legitimos valeant promoveri et assumi tempore opportuno, citra tamen abbatialem dignitatem.

44. De Bonoportu et de Belloprato monasteriorum abbatibus et eorum cuilibet in solidum committit generale Capitulum in plenaria potestate, quatinus si abbatem et conventum monasterii de Karoliloco repererint legitime teneri abbati et conventui monasterio de Voto in debitis quibuscumque, ipsos ad satisfaciendum, auctoritate Capituli et per censuram Ordinis viriliter coerceant et compellant.

45. Cum fratre Iohanne de Barris monacho monasterii de Trappa, qui diebus quindecim extra monasterium sine licentia mansit, habitu regulari minime reiecto, ut ad omnes actus legitimos, officia, dignitates, citra abbatialem dignitatem, obtinere, suis meritis exigentibus, valeat exercere, ad requestam abbatis Savigniaci misericorditer dispensat Capitulum generale.

46. Cum fratribus Yvone Praepositi et Yvone Risibilis, monachis monasterii de Precibus, dispensat Capitulum generale, ut non obstante apostasia quam pluries per saeculum vagabundi damnabiliter commiserunt, cum abbati et conventui suis placuerit, ad omnes actus legitimos Ordinis valeant promoveri et assumi.

47. Committit generale Capitulum abbati Savigniaci, quatinus si expediens et utile fore compererit, ut abbas et conventus Vallium Sarnaii de silvis dicti monasterii non coeduis vendant usque ad decem arpenta, in eiusdem Capituli plena potestate, licentiam huiusmodi venditionem faciendi concedat.

48. Cum fratre Hugone de Ysduis, monacho monasterii Vallium Sarnaii, qui per unum annum vel circa in habitu saeculari

vagabundus apostatavit, reversus ad Ordinem humiliter inde poenitentiam peregit, ut ad omnes actus Ordinis legitimos, citra tamen abbatialem dignitatem, assumi valeat, suis exigentibus meritis, misericorditer dispensat Capitulum generale.

49. Abbati de Obasina committit generale Capitulum in, de, et super omnibus gravaminibus bonorum, occupationibus, iniuriis, damnis, aut aliis nocumentis, quae repererit abbatem de Dalone abbati de Grosso bosco, aut eius monasterio, locisque et personis eiusdem intulisse, secundum iuris formam et Ordinis instituta, loco, vice et auctoritate dicti Capituli de remedio provideat opportuno.

1392

Anno [a] Domini millesimo trecentesimo nonagesimo secundo statuta sunt haec apud Cistercium in Capitulo generali.

1. Ad [b] requestam reverendi in Christo patris domini abbatis et conventus monasterii Cistercii, *etc. ut anno* 1390, *stat.* 19.

2. Permutationem quam inter se mutuo fecerunt seu facere cupiunt et intendunt et sibi vicissim tradere certis ex causis rationabilibus, ut asserunt, reverendus in Christo pater dominus abbas et conventus monasterii Cisterciensis Cabillonensis dioecesis, et abbas et conventus monasterii Albaeripae, etc. ut in praecedenti Capitulo generali [c].

Generale Capitulum, cum sibi constet ad utilitatem dictorum monasteriorum Cistercii et Albaeripae cedere, et utiliter valde fienda posse, si et prout iam facta est, et omnia praemissa et alia dictam permutationem et traditionem tangentia grata habet et placita sibi, ac fieri vult et concedit, et ipsa omnia si facta sunt approbat, ratificat et confirmat ; quod si nondum facta fuerint, faciendi, permutandi, et tradendi modo superius expresso licentiam et auctoritatem tenore praesentis diffinitionis, praedictis Cistercii et Albaeripae monasteriorum abbatibus et conventi-

1392. *Fontes* : *J* : 1-54 ; *L*¹ : 1-54 ; *M* : 1, 4, 11, 47, 50, 54 ; *P*² : 1, 4, 11, 12, 23, 24, 26, 41, 47, 49, 50, 51, 54. [a] *Titulus apud JL*¹ ; *apud P*² : Clemente 7° Papa, Iacobo 3°, abbate Cistercii 33°. [b] *forma abbrev. apud JMP*².
[c] *sic abbreviat J textum contractus qui apud L*¹ *totus repetitur, tantum mutata aliquantulum forma nominum personarum et locorum.*

bus impertitur et concedit, in Ordinis tota quam habet et qua potest idem Capitulum plenaria potestate.

3. Cum Ordo noster Cisterciensis specialiter expresse et iuste [d], *etc., ut ann.* 1291, *stat.* 2, *et ann.* 1290, *stat.* 7.

4. Cum propter dissensiones et guerrarum turbines diversarum quae fuerunt, proh dolor, ac in posterum, quod avertat Dominus Deus, futurae pertimentur inter illustrissimos et potentes dominos nostros reges Francorum et Anglorum, et ipsarum guerrarum occasione domini reges Angliae reposuerunt et tenuerunt ad manum suam per fere quinquaginta continuos annos ultimo lapsos, et adhuc teneat dominus rex, qui nunc est, Anglorum ecclesiam de Scardeburgh, dioecesis Eboracensis, cum capellis suis, ac pertinentiis, redditibus, fructibus, proventibus et emolumentis eiusdem dictae ecclesiae, ac etiam capellam de Stanley eiusdem dioecesis, quas felicis recordationis domini reges praedecessores regis istius Angliae monasterio Cistercii, pro sustentatione et ad utilitatem nostri Cisterciensis Ordinis generalis Capituli contulerunt, adeo quod dictum monasterium Cistercii, et etiam ipsum Capitulum, per dictos quinquaginta annos de dictis ecclesia et capellis ac earum pertinentiis et fructibus quasi nihil omnino perceperunt, ac habuerunt, percipiunt ac habent, nec speratur quod in futurum possint aliquid inde percipere vel nihil habere, generale Capitulum concedit, vult et consentit quantum potest, quod dictus abbas et conventus dicti monasterii Cistercii vendant, tradant et deliberent quibuscumque volentibus emere pro pretio competenti prout poterunt convenire, convertendo et applicando in alios emendos redditus dicto monasterio Cistercii propinquiores et tutiores, vel reparandas domos et aedificia, possessiones et bona dicti monasterii, aut aliam utilitatem ipsius monasterii, et hoc in deductionem magnarum summarum pecuniae seu florenorum, quas debet dicto monasterio Cistercii domino abbati et conventui eiusdem generale Capitulum totusque Ordo noster. Supplicat igitur humillime dictum generale Capitulum Sanctissimo in Christo Patri et Domino nostro Domino Clementi divina clementia Papa VII°, quatinus dignetur licentiam et auctoritatem impertiri dictis domino abbati et conventui dicti monasterii Cistercii supradicta modo praemisso

---

[d] *apud* L^1 *totum repetitur hoc decretum.*

faciendi, et alia quae circa haec necessaria fuerint seu eis opportuna.

5. Cum abbas et conventus monasterii de Ripatorio Cisterciensis Ordinis Trecensis dioecesis et eorum successores ac ipsum monasterium de Ripatorio debent et tenentur solvere annis singulis in perpetuum reverendis in Christo patribus domino abbati et conventui monasterii Cistercii, Cabillonensis dioecesis, et eorum successoribus ac ipsi monasterio Cistercii tempore Capituli generalis dicti Cisterciensis Ordinis, in die festo Exaltationis Sanctae Crucis centum libras parvorum turonensium annui et perpetui redditus, una cum damnis, deperditis, constamentis, missionibus, interesse et expensis, per dictos dominum abbatem et conventum monasterii Cistercii propter defectum solutionis dictarum centum librarum parvorum turonensium annui et perpetui redditus factarum et faciendarum et hoc ex et pro certa, iusta et legali et rationabili causa, in certis litteris de et super hoc confectis plenius contenta et comprehensa.

6. Item, cum et dicti abbas et conventus dicti monasterii de Ripatorio debent dictis domino abbati et conventui dicti monasterii Cistercii, mille et trecentas libras parvorum turonensium ex et pro arreragiis et defectibus solutionum dictarum centum librarum parvorum turonensium annui et perpetui redditus, et pro annis tribus ultimis lapsis dictis domino abbati et conventui monasterii Cistercii per ipsos abbatem et conventum dicti monasterii de Ripatorio non solutarum, quas quidem centum libras parvorum turonensium annui et perpetui redditus annis singulis ac praedictas mille et trecentas libras parvorum turonensium etiam sunt ipsis abbati et conventui dicti monasterii de Ripatorio nimis grave, sumptuosum difficile et dispendiosum erat et in futurum esse magis timebatur propter tenuitatem et paucitatem reddituum et proventuum suorum ; et dicti sui monasterii de Ripatorio et propter alias iustas et rationabiles causas procurare, congregare, reddere, tradere, solvere et deliberare dictis domino abbati et conventui dicti monasterii Cistercii quantum tenebantur et debebant facere et adimplere, dicti abbas et conventus dicti monasterii de Ripatorio, praedictis igitur gravaminibus, sumptibus, difficultatibus et dispendiis pro inde remediare super hoc in futurum cupientes affectantes et desiderantes et utilitatem suam et suorum successorum ac dicti sui monasterii de Ripatorio procurare et facere

pro hoc intendentes et firmiter credentes praenominati abbas et conventus dicti monasterii de Ripatorio ac omnino pro evidenti utilitate et commodo ipsorum et suorum successorum et dicti sui monasterii de Ripatorio, cum nihil haberent aliud quod expedientius ad utilitatem suam et suorum successorum ac dicti sui monasterii de Ripatorio ad, super et propter hoc concedi, tradi, deliberari, assignari et quittari aut fieri valerent. Praedicti igitur abbas et conventus praedicti monasterii de Ripatorio in Capitulo et loco capitulari ipsius monasterii de Ripatorio ad sonum campanae more solito ad et propter hoc personaliter convocati et constituti, pluribus colloquiis et matura deliberatione ac tractatibus inter se invicem de et super hoc praehabitis sponte, scienter et provide, sine vi, metu, fraude vel dolo aut correctione aliqua, deliberate, concorditer et unanimiter concesserunt et quittarunt in perpetuum praedictis domino abbati et conventui dicti monasterii Cistercii et eorum successoribus ac ipsi monasterio Cistercii ac in ipsos transtulerunt et hoc in recompensationem et acquittationem supra dictarum centum librarum parvorum turonensium annui et perpetui redditus et mille trecentarum librarum parvorum turonensium, de et pro arreragiis ac defectibus solutionum ipsius annui et perpetui redditus, prout praemittitur, debitarum et pro ipsis quamdam grangiam ipsorum abbatis et conventus monasterii de Ripatorio supra dictorum ac ipsius monasterii vocatam et nuncupatam Champigny, ad ipsos abbatem et conventum monasterii de Ripatorio ac ipsum monasterium Ripatorii pertinentem, situatam in dioecesi Trecensi, prope dictum monasterium de Ripatorio, quasi ad dimidiam leucam ac prope quamdam villam aliam Lanbrusel, cum omnimoda iustitia alta, media et bassa ad ipsam grangiam pertinente, et cum suis omnibus et singulis iuribus et pertinentiis liberam et immunem ab omnibus tributis, angariis, perangariis ac servitutibus aliis, quibuscumque personis quibuscumque debitis solvendis aut faciendis quovismodo, exceptis octo boisellis frumenti et quatuor grossis turonensibus et argenteis domino abbati et conventui monasterii Cellae, ac uno sextario frumenti et uno sextario avenae dominae abbatissae et conventui monasterii monialium Beatae Mariae Trecensis debitis propter ipsam grangiam seu propter aliquas res ad ipsum pertinentes. Item, tradunt, quittant, concedunt, assignant et deliberant per praesentes memorati abbas et conventus dicti monas-

terii de Ripatorio modo supradicto et propter dictas causas praedictis domino abbati et conventui monasterii Cistercii ac ipsi monasterio Cistercii et eorum successoribus in perpetuum, prout superius continetur, terras, prata, nemora, iurisdictiones, res et possessiones inferius contentas et expressas ad ipsam grangiam de Champigny et etiam ipsam situatas et pertinentes, videlicet quemdam campum seu peciam terrae vocatum Campum fornasse continentem circa viginti arpenta terrae situatum iuxta pratum Agnorum ex una parte, et iuxta murum dictae grangiae ex alia. Item, quamdam aliam peciam terrae vocatam Campum Perroti continentem decem et octo arpenta terrae situatam iuxta murum dictae grangiae ex una parte et viam communem dictam Dalleso ex alia. Item, duas alias pecias terrae vocatas Les Essarts continentes circa duodecim arpenta terrae situatas iuxta argias magni itineris ex una parte, et Les Essarts Galterii ex alia. Item, unam aliam peciam terrae vocatam Magnum campum continentem ducenta et quinquaginta arpenta terrae contiguam magno itineri ex una parte, et iuxta Chantus gallorum ex alia. Item, quamdam aliam peciam terrae continentem circa quindecim arpenta terrae, iuxta terras monialium Beatae Mariae Trecensis ex una parte et iuxta magnum iter ex alia parte.

7. Item, quamdam aliam peciam terrae vocatam au Brumbriart continentem circa triginta arpenta terrae contiguam rivo dicto de Doische ex una parte, et aux Montaux ex alia. Item, quamdam aliam peciam terrae vocatam Les Montaux situatam iuxta terras monasterii Beatae Mariae Trecensis, ex una parte, et iuxta pasturas ex alia. Item, quamdam aliam peciam terrae ex montanis, continentem circa decem arpenta terrae iuxta terras Agnetis de Champigny ex una parte, et iuxta terras dicti Le Grantpere ex alia. Item, quamdam aliam peciam terrae dictam Es Charmes continentem circa sexaginta arpenta terrae situatam iuxta nemus de Pontbarse ex una parte, et nemus de la Brute ex alia. Item, quatuor arpenta terrae situata iuxta campum Iosse ex una parte et nemus de Pontbarse ex alia. Item quamdam aliam peciam terrae continentem circa triginta arpenta terrae situatam iuxta terras abbatis et conventus monasterii Arremanensis ex una parte, et Iohannis de Selance ex alia. Item quamdam aliam peciam terrae continentem circa viginti duo arpenta terrae situatam subtus viam Lerusse ex una parte et Ponterulo ex alia. Item, quamdam aliam peciam terrae continentem circa duode-

cim arpenta terrae situatam en Ponterulo contiguam a Chantgaliart ex una parte, et itineri de Aubruisello ex alia. Item in campo de la Perrere decem et octo arpenta terrae contiguam magno itineri ex una parte et La Fosse au Veel ex alia. Item, supradictam Fossam au Veel duo arpenta terrae. Item, inter costam villae de Champigny et dictam grangiam de Champigny triginta quatuor arpenta terrae. Item, in costa versus Ruissandres triginta duo arpenta terrae contigua itineri de Ambruissello ex una parte et fontanae de Ruissandres. Item, subtus Monsandrois in pluribus locis et peciis circa triginta arpenta terrae. Item, in costa de Ambruissello octo arpenta terrae iuxta terras Jocelini ex una parte, et Garnier ex alia. Item, iuxta muros per versus villam de Doisthia sex arpenta terrae iuxta terras abbatissae monasterii Beatae Mariae Trecensis ex una parte, et Agnetis de Champigny ex alia. Item, in loco vocato Es Charmes versus dominium Porterii triginta arpenta situata iuxta campum subtus Barsam ex una parte et aux Secherons ex alia. Item, en la Commarche circa quinquaginta arpenta terrae contigua nemori de la Lesthere ex una parte et prato militis ex alia. Item, in campo de la Vannotte circa centum arpenta terrae contigua en Luisage ex una parte et stagno de prato mollo ex alia. Item, in loco dicto En Bonbarbo quamdam peciam prati continentem circa duodecim arpenta, contiguam prato haeredum Simonis ex una parte, et muris dictae grangiae ex alia. Item, in prato Agnorum quamdam peciam prati continentem circa sex arpenta contiguam prato au Melguion ex una parte, et campo Fonaste ex alia. Item, in loco dicto Es Arbus circa sex arpenta pratorum iuxta nemus de la Vannote ex una parte, et iuxta nemus de la Molenam ex altera. Item, in loco Les Estcheres et en Crole duodecim arpenta pratorum iuxta pratum dominorum de Ambruissello ex una parte et iuxta iter molendini ex alia. Item, in loco dicto En Chantgalart tria arpenta pratorum aux Magnum campum ex una parte, et Pontemilum ex alia. Item, in loco dicto Es Secherans decem arpenta pratorum contigua prato Arpini ex una parte et viam molendini ex alia. Item, in prato Arpini octo arpenta pratorum iuxta pratum haeredum Iohannis Heniquin ex una parte, et dominium de Ambruissello ex alia. Item, in loco dicto de Insula Ordinis tria arpenta pratorum iuxta ripariam de Venia ex una parte, et iuxta pratum dominorum monasterii Arremanensis ex alia. Item, triginta arpenta pratorum pro pasturis bovum vo-

cata les Leschelles. Item, pratum Episcopi subtus stagnum de prato mollo iuxta nemus de Leschelles ex una parte, et nemus de Grimon ex alia. Item, nemus de la Bruce, sicut se comportat continens circa quadraginta arpenta. Item, quoddam nemus vocatum Lessart Vauthier sicut se comportat. Item, quoddam nemus vocatum Les Hastes continens duodecim arpenta iuxta nemus abbatissae monasterii Beatae Mariae monialium Trecensium ex una parte, et a Brumbus ex altera. Item, nemus de Moleriam continens circa quadraginta arpenta tenens nemoribus de Doschia ex una parte et nemoribus abbatissae Beatae Mariae Mariae monialium Trecensium ex alia. Item, quoddam domum vocatam Monicrum, sicut se comportat iuxta nemus abbatissae Beatae monialium Trecensium ex una parte et pratum haeredum... [e] ex alia. Item, omnes terras, prata, nemora, pascua, pasturas, census, censivas, redditus, proventus, iura, iurisdictiones, libertates, immunitates, franchisias, possessiones, emolumenta, et res alias quascumque et quovis modo spectantes et pertinentes, et quae unquam perinuerunt et pertinent, responderunt et respondere debent et consueverunt ad dictam grangiam de Champigny et ad tenentes et gubernantes ipsam, et etiam ad dictos abbatem et conventum monasterii de Ripatorio et eorum praedecessores ac ipsum monasterium ad causam ipsius grangiae. Item, omnes et singulas banas, pasturas, et pascua in et super omnes et singulas grangias, domos et alia loca dicti monasterii, terras, prata, nemora, res et possessiones ipsarum pro animalibus quibuscumque quae sunt, vel erunt in futurum dictorum domini abbatis et conventus monasterii Cistercii et eorum successorum ac etiam grangiarum gubernatorum et admodiatorum ipsius grangiae de Champagny, seu tenentium et gubernantium ipsam grangiam. Item, omnes domos, habitacula, remansiones dictae grangiae, vinaria, fontes, adaquationes, iardinos et arbores ipsius grangiae de Champagny et ad ipsam pertinentes. Item, duas domos nemorum sibi contiguas, et sibi iunctas ad ipsos abbatem et conventum monasterii de Ripatorio et ad ipsum monasterium pertinentes in civitate Trecensi situatas in vico dicto de la Ruë de la Riveur, ante magnam domum de Ripatorio vico communi iuxta domum venerabilium et discretorum virorum dominorum decani et capituli ecclesiae Trecensis ex una parte, et a posteriori

[e] *locus vacuus in mss.*

parte ecclesiae Sancti Stephani Trecensis, quarum domorum maior debet dictis domino decano et capitulo ecclesiae Trecensis duos solidos turonenses solum et dumtaxat, et est ab omni alio tributo censu et servitute libera et immunis. Et alia domus est etiam ab omni alio tributo et servitute libera et immunis, ad tenendum et possidendum in perpetuum a dictis domino abbate et conventu monasterii Cistercii et eorum successoribus ac aliis quibuscumque nomine ipsorum, et pro ipsis transferendi modo et forma supradictis in dictos dominum abbatem et conventum dicti monasterii Cistercii ac ipsorum successores et ad ipsum monasterium Cisterciense omne jus, proprietatem ac dominium, omnem possessionem actualem et realem, nec non omnia iura et omnes actiones reales et personales, utiles et directas, quae sibi et suo monasterio Ripatorii competebant et competere poterant, potuerunt, atque possunt quovis modo, in praedicta grangia de Champigny, ac in praedictis omnibus et singulis terris, pratris, nemoribus, possessionibus, iuribus, iurisdictionibus, emolumentis et rebus aliis quibuscumque ad ipsam grangiam de Champigny, prout praemittitur, spectantes et pertinentes. Cum igitur Capitulo generali legitime et plenarie constet praemissa omnia et singula tractata, deliberata, ordinata, facta, acta, et gesta fuisse et esse ad utilitatem praedictorum abbatum et conventuum monasteriorum Cistercii et de Ripatorio, ac ipsorum monasteriorum, et praecipue et maxime ad utilitatem magnam et evidentem dictorum abbatis et conventus dicti monasterii de Ripatorio, hinc est, quod praedictum generale Capitulum ipsa omnia et singula supradicta et ea tangentia et alia quaecumque circa hoc facta et acta, habet grata et placita, vult et placent eidem Capitulo generali, ac ea, tenore praesentis diffinitionis, auctoritate qua et prout potest, ratificat approbat et confirmat.

8. Cum, prout asseritur, serenissimae recordationis dominus Iohannes quondam rex Francorum concesserit abbati et conventui monasterii de Buxeria, Eduensis dioecesis, ut ipsi centum libras turonenses annui et perpetui redditus per eos acquisitas tunc vel acquirendas, aut sibi pro elemmosyna concessas vel etiam concedendas tenere valerent et perpetuo possidere, absque eo quod eas vendere, alienare seu extra manus suas ponere, aut ipsi regi vel successoribus suis financiam propter hoc aliqualem solvere aut praestare tenerentur. Quae gratia vel concessio regis propter dictorum abbatis et conventus paupertatem et alias

causas redditur inutilis et infructuosa, nec speratur eisdem in posterum profuturam, generale Capitulum eisdem abbati et conventui de Buxeria dat et concedit licentiam, ut dictam gratiam et concessionem regiam, et totum ius quod in praemissis habent et habere possunt, in personas Ordinis nostri transferre valeant, et eis vendere ac concedere sub pretio et commodo quali et ut prout cum eis potuerint convenire.

SPECIALES [f].

9. Capitulum generale committit domino Claraevallis quatinus, si venditionem factam per abbatem et conventum de Moris Erardo Le Tixerant et Perretae eius uxori de Burreyo, ad vitam eorum dumtaxat, super medietate decimae villae et finagii praedicti loci de Burreyo, invenerit fore utilem et fructuosam, ipsam ratificat et confirmat auctoritate Capituli generalis servatis papalibus et Ordinis statutis.

10. Committit Capitulum generale abbati Camporum bonorum quatinus fratrem Iacobum Boërii in carceribus Vallis magnae vinculatum, qui negotium iam inceptum iudicet, liberando vel condemnando, iuxta quod invenerit per legitimas informationes.

11. Generale Capitulum committit domino Claraevallis quod, cum abbas et conventus monasterii Vacellis teneantur diversis creditoribus obligati, etiam ad usuras, in maxima pecuniarum summa, quatinus in prima sua visitatione in dicto monasterio per se fienda, inquirat diligenter, an traditio cuiusdam suae grangiae quae vocatur gallice Waucelletes iuxta Condetum supra Scaldam situatae, ad vitam duarum personarum vel trium, pro exoneratione praedictarum voraginum in debitis et usuris dumtaxat et suis aedificiis reparandis, sit eidem monasterio fructuosa, et veritate comperta prout sua dictaverit conscientia et casus requiret, absque ulteriori relatione facienda generali Capitulo, auctoritate ipsius Capituli tractatum, inde habitum vel habendum, ratificet et confirmet; servatis papalibus et Ordinis statutis.

12. Capitulum generale dat domino Cistercii et eius conventui licentiam quatinus potest vendere ecclesiam de Scardebourch et de Stanlay quae sunt eis inutiles et in posterum esse praesu-

---

[f] *Hic titulus apud J ; codex* L^1 *haec habet* : Anno Domini 1392 fuerunt factae tales diffinitiones in Capitulo generali Cistercii celebrato.

muntur propter guerras dominorum regum Franciae et Anglorum. Item, quod dantur eis iudices ad compellendum personas eis obligatas et quae tenentur eisdem.

13. Item, praedictum Capitulum praedictis domino Cistercii et eius conventui permutationem triginta quinque librarum annui redditus factam cum abbate et conventu monasterii Albaeripae et ceteros alios redditus, approbat, ratificat et confirmat ; similiter praedictum Capitulum praedicto domino abbati et conventui Cistercii ratificat et confirmat permutationem quam fecerunt centum librarum turonensium, quas debebant abbas et conventus de Ripatorio cum quadam grangia eorum quae dicitur Champigny.

14. Reformationem monasterii de Sanctis Crucibus committit generale Capitulum abbatibus de Populeto et de Scala Dei et de Bolbona, aut duobus eorum, altero se legitime excusante ; ipsis abbatibus et eorum cuilibet praecipiens et iniungens quatinus ad dictum monasterium personaliter accedentes ipsum monasterium visitent, corrigant et reforment, statuant, instituant, et destituant, tam in capitibus quam in membris, tam in spiritualibus quam in temporalibus, quaecumque in eodem monasterio visitanda, reformanda, corrigenda, statuenda, instituenda et destituenda fuerint secundum Deum, papalia et nostri Ordinis instituta. Et generaliter omnia alia et singula faciant quae ad visitationis officium pertinere noscuntur, cum invocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis. Et haec omnia praemissa faciant ad expensas monasterii memorati, quas expensas ipsis visitatoribus seu reformatoribus, abbas et officiarii ipsius monasterii procurent, administrent et solvant integraliter sine mora, et ad hoc compellentur per dictos reformatores, si necesse fuerit, per censuram Ordinis viriliter et districte. Universisque igitur et singulis personis regularibus ipsius monasterii cuiuscumque conditionis aut status existant, in virtute sanctae obedientiae tenore praesentium, dictum Capitulum generale mandat, praecipit, iniungit, quatinus in omnibus et singulis supradictis ea tangentia et concernentia ac dependentia ab eisdem, praefatis abbatibus aut eorum duobus obediant humiliter et devote, ipsisque praestantes auxilium et favorem.

15. Dominos Cistercii, Firmitatis, Pontigniaci et Morimundi, et quemlibet eorum in solidum, domino Claraevallis et eius conventui ad compellendum universas Ordinis personas utriusque sexus ad satisfactionem plenariam de quibuscumque in quibus

sibi constiterit per legitima documenta quomodolibet obligari, deputat iudices Capitulum generale.

16. Annuit et concedit Capitulum generale abbati et conventui de Buxeria, Eduensis dioecesis, licentiam vendendi et transferendi in alias personas Ordinis nostri admortizationem centum librarum turonensium annui redditus eis concessam per felicis recordationis dominum Iohannem regem Francorum, cum eadem admortizatione non indigeant, nec praesumitur quod eis aliquid valeat in futurum.

17. Cum fratribus Odone Ude et Dionisio de Bannoto monachis monasterii Ioyaci, qui, prout dicitur, per saeculum vagantes, habitu regulari relicto, apostasiam incurrerunt, propter quod iniunctam sibi poenitentiam pertulerunt humiliter, ad officia, voces, actusque legitimos, citra dignitatem abbatialem, admitti valeant, misericorditer dispensat Capitulum generale.

18. Cum fratre Iohanne Girardi monacho monasterii de Barbereio qui, per annum unum, habitu regulari dimisso, per mundum vagus et profugus fuit, propter quod apostasiam incurrit, cum eodem, citra dignitatem abbatialem, misericorditer dispensat Capitulum generale.

19. Ad aures Capituli generalis pervenit, referentibus de Caroloco et de Bella valle monasteriorum abbatibus, quod cum ipsi abbates auctoritate Capituli generalis pro pace reformanda, ad abbates de Alta Crista et de Tela transmissi, propter quod diversas expensas fecerunt eundo et redeundo, quarum quotas abbas de Thela praefatus sibi contingentes minime persolvere vult, quod attendens dictum Capitulum et considerans quod nullus debet propriis stipendiis militare, mandat, praecipit et iniungit abbati de Balerna quatinus se diligenter de praemissis informet et si repererit dictum abbatem de Tela non solvisse quantum sibi contingit, eumdem abbatem auctoritate Capituli generalis per censuram Ordinis viriliter et districte compellat.

20. Cum fratre Petro Generis, monacho monasterii de Alpibus, ut non obstante apostasia quam incurrit per tres menses habitum religionis temere dimittendo, propter quod poenitentiam sibi iniunctam pertulit humiliter, ad officia, voces, actusque legitimos, citra dignitatem abbatialem, misericorditer dispensat Capitulum generale.

21. Capitulum generale ad petitionem et supplicationem sororis Margaretae de Sancto Fidolo, monialis monasterii de Pratis

iuxta Trecas, et dudum abbatissae de Valle vinearum, petentis sibi iudicem ad compellendum multas personas Ordinis, quae sibi in diversis pecuniarum summis tenentur et realiter obligantur, deputat abbatem de Moris in plenaria Ordinis potestate.

22. Cum fratre Dominico de Roseto monacho monasterii Dulcis Vallis, qui per quatuor annos, habitu regulari demisso, per mundum vagus et profugus fuit propter quod apostasiam incurrit, cum eodem citra dignitatem abbatialem misericorditer dispensat Capitulum generale.

23. Querimoniis gravibus et infestationibus longaevis multorum abbatum et conventuum monasteriorum Ordinis nostri, dicentium se dictaque sua monasteria plurimum etiam a principio et retroactis temporibus fuisse praegravatos, et multo magis nunc continue propter decrementum et diminutiones, ac in multis locis fere totales destructiones et annullationes, ob videlicet sterilitates [g] temporum, guerrarum turbines, paucitates colonorum, ac multas alias dolorosas censuum, fructuum, reddituum et proventuum ipsorum monasteriorum ruinas gravari et opprimi, inde et pro taxatis et impositis olim eisdem et dictis suis monasteriis, etiam dum multum valde plus tunc quam nunc in temporalibus bonis et redditibus abundabant, nimis et ultra debitum modum excessivis quotis partibus et portionibus contributionum generalium Ordinis et ipsius Capituli generalis, quae diversis ex causis quamvis rationabilibus fuerunt hactenus impositae, et annis singulis imponuntur per ipsum Capitulum generale. Compatiens idem Capitulum, et eisdem pro viribus super hoc cupiens providere, statuit, ordinat et diffinit, quod abbates et conventus monasteriorum Ordinis nostri quorumcumque, et ipsa monasteria, qui et quae videlicet ad maiores et grandiores trium librarum pro quibuslibet mille libris dictarum contributionum quotas portiones seu summas ad et propter hoc taxati et impositi, seu taxata et imposita fuerunt et sunt, non debeant nec teneantur solvere nec solvant de et pro dictis, eos et dicta sua monasteria contingentibus et concernentibus contributionibus Ordinis per dictum generale Capitulum hactenus singulis annis praeteritis impositis, quas videlicet debite non solverunt, vel de et super quibus cum domino abbate, qui nunc est monasterii Cistercii praedecessoribus suis abbatibus Cistercii, vel eorum aut

[g] celeritates : P^2.

alicuius eorum aut eiusdem Capituli super hoc deputatis commissariis, forsan non concordarunt, et etiam de hac pro ipsis contributionibus de cetero ex nunc eximentur, per ipsum Capitulum usque ad quoscumque annos immediate subsecuturos imponentur in, de, et pro singulis annis nisi per hunc modum qui sequitur, videlicet quod; quilibet abbas et conventus cuiuslibet monasterii et ipsum monasterium quodlibet Ordinis nostri, qui et quod ad maiores ulteriores et grandiores trium librarum pro mille libris dictarum contributionum quotas summas seu portiones ad et propter hoc taxati et impositi, taxatum et impositum, fuerunt et sunt, debeant et teneantur solvere aut solvant solummodo et dumtaxat de et pro singulis mille libris dictarum contributionum Ordinis impositis temporibus praeteritis et imponendis usque ad dictos quinque annos in, de et pro singulis annis dicti quinquennii tres libras monetae ipsius Capituli generalis, ad quam, de quo, et secundum quam solitum est dictas contributiones solvi, nec ad maiorem hac praedicta moderata, ac minori trium librarum pro quibuslibet mille libris dictarum contributionum valeant summam cogi, licet ad maiorem forsan hac praedicta summa vel quotam seu portionem taxata et imposita fuerint monasteria supradicta. Cetera autem monasteria Ordinis, quae ad minores trium librarum pro quibuslibet mille libris summas quotas seu portiones, ob, propter et super hoc taxata et imposita fuerunt et sunt in illis antiquis et solitis suis et quotis portionibus taxis et impositionibus remaneant, sicut prius, et quoad ipsa monasteria, nihil pro hoc aliud quam prius statuitur, mutatur aut innovetur.

24. Similiter vult etiam, ordinat, statuit et diffinit idem Capitulum astallans arreragia dictarum contributionum ad hoc per abbates et conventus quoscumque monasteriorum Ordinis quorumcumque, et per ipsa monasteria pro praeteritis temporibus debitarum, videlicet in hunc modum, quod abbas et conventus et personae cuiuslibet monasterii dicti Ordinis qui, ut praemittitur, super hoc non concordant, solvere debeant et teneantur et solvant de et pro dictis arreragiis dictarum contributionum ipsos et dicta sua monasteria concernentes et continentes, per eos adhuc debitarum singulis immediate sequentibus annis infra festum Resurrectionis dominicae receptoribus ipsarum contributionum usque ad plenariam solutionem ipsarum, secundum et iuxta moderamen earum supradictum, et hoc sub excommunicationis latae

sententiae poena et etiam sub aliis poenis contra non solventes dictas contributiones Ordinis inflictis, statutis et promulgatis per papalia statuta et per dictum Capitulum generale decem libras, et nihilominus cum hoc solvere quotas et portiones contributionum annis singulis in futurum per Capitulum generale imponendas temporibus et terminis super hoc statuendis. Sententias autem excommunicationis et alias poenas, quas abbates Ordinis quicumque, officiales et ceterae personae monasteriorum Ordinis quorumcumque, propter defectum solutionis dictarum contributionum, in, de et pro praeteritis annis impositarum statutis terminis non solutarum forsitan incurrerunt, tollit et amovet, ac ipsos abbates, officiales et personas a dictis sententiis et poenis absolvit, cum eisdem super irregularitatibus et inhabilitatibus, si quas incurrerunt propter hoc, quantum potest misericorditer dispensans in hiis scriptis, per tenorem huius statuti dictum Capitulum generale ; remissionem autem quamdam magis generalem vel ampliorem quam quidam praetendunt vel asserunt, licet falso, dominum abbatem Cistercii de et super praemissis nunc in isto Capitulo fecisse, cum tamen soli et dumtaxat abbati de Ursicampo remissionem et gratiam praetensam fecit, ut praedictorum et aliorum obloquentium os obstruatur, et in praeteritis excusatio praecludatur, ad abundantiorem cautelam, generale Capitulum et ipse dominus Cistercii tenore praesentis statuti revocant et adnullant.

25. Omnes abbates, qui ad praesens Capitulum non venerunt, qui se legitime excusarunt, vel impedimento iusto excusare se non potuerunt, secundum papalia et Ordinis instituta, habet generale Capitulum favorabiliter excusatos.

26. Abbati et conventui singulisque personis regularibus monasterii Altaecumbae praecepit et districtius iniungit generale Capitulum quatinus, contenta in carta visitationis edicta novissime per dominum Claraevallis in dicto monasterio inviolabiliter, tamquam diffinitionem dicti Capituli, secundum eiusdem cartae formam et tenorem observent, scituri transgressores eiusdem sese gravi animadversione puniendos per ipsum Capitulum generale.

27. Quamvis, non interiecto iuramento, promiserat abbas Cariloci triginta libras parisienses, quas annuatim percipit monasterium suum super grangiam Latigniaci pro usque ad summam quadringentarum librarum turonensium pro redditibus emendis

loco sexaginta libris parisiensibus, quas idcirco de consensu conventus sui vendiderat abbas, qui non sine sumptibus maximis admortizari poterant, reservarit, sed in communes usus et necessaria etiam dicti loci casualiter combustae reparatione converterit, decernit generale Capitulum, praedictum abbatem nullam hac de causa periurii notam incurrisse, praesertim necessitate compulsus pecunias praedictas utiliter expenderit, praestoque sic dictas triginta libras deinceps usque ad summam quadringentarum librarum turonensium reservare, reservarique facere penes bursarium dicti loci. Dispensat nihilominus idem Capitulum nunc cum eodem abbate super omni culpa vel infamia notave periurii, quam occasione praedicti iuramenti posset forsitan incurrisse, personis omnibus dicti monasterii ac Ordinis totius super hoc perpetuum silentium imponendo.

28. De Ursicampo et de Bello prato monasteriorum abbatibus committit generale Capitulum quatinus super venditione seu traditione quadraginta librarum ad vitam duorum, quorum iunior iam decessit, facto per abbatem et conventum Caricampi se informent, et quidquid super hoc compererint, domino Cistercii referant, facturo, vice et auctoritate Capituli praedicti, quod pro utilitate dicti monasterii viderit statuendum.

29. De Bello prato et de Lannayo monasteriorum abbatibus et eorum cuilibet committit generale Capitulum, ut abbatem Prulliaci, si ipsum legitime teneri repererint ecclesiae Sancti Bernardi Parisiensi in summa viginti francorum, ad eorum solutionem per censuram Ordinis coerceant, auctoritate Capituli generalis.

30. Domino Claraevallis et abbati de Bullencuria eorumque cuilibet committit generale Capitulum ut si abbatem de Monasteriis in Argona repererint teneri Iohanni Cliti in quinquaginta francis, ipsum abbatem per censuram Ordinis compellant vel compellat eorum alter ad solutionem dictorum quinquaginta francorum, in plena dicti Capituli potestate.

31. Quia sex florenos quos anno lapso super contributione abbatis de Bonoradio assignaverat generale Capitulum abbati Quinciaci, nundum solvit dictus abbas, domino Pontigniaci committit idem Capitulum, ut ipsum abbatem compellat ad solutionem dictorum florenorum defalcandorum de sua contributione per inflictionem poenarum contra recusantes contributiones solvere taxatarum.

32. Abbati de Moroliis districtius generale Capitulum inhibet, ne fratrem Petrum Perreti conversum suum in aliqua grangiarum suarum manere compellat, sed eum potius teneat pacifice, donec super hoc plenius ordinaverit dicti monasterii visitator.

33. Cessione spontanea fratris Petris de Castellione dudum abbas monasterii Pontisfredi, dioecesis Metensis, qui regimini et administrationi spirituali et temporali dicti monasterii voluntarie in manus generalis Capituli renuntiavit, super providens idem Capitulum dicto fratri Petro concedit ut in quocumque Ordinis monasterio professus fuerit, pensionem annualem triginta florenorum percipiat, et sic quamdiu vixerit pacifice fruatur. Porro quia dictum monasterium tenuis adeo fundationis et modicorum proventuum extitit, quod conventus ibidem sustinere non potest, nec inibi quisquam superest monachus, dictum Capitulum eiusmodi monasterium Pontisfredi una cum membris suis omnibus et pertinentiis monasterio Morimundi, cui immediate subest, incorporat perpetuo et annumerat, proviso tamen quod in dicto loco Pontisfredi monachi de Morimondo deputentur, qui missas, prout loci suppetunt, perpetuo celebrent et locum ipsum manuteneant et gubernent.

34. Cum fratre Martino Peradi monacho Frigidi montis, ut non obstante apostasia quam per saeculum evagando pluries, habitu tamen non reiecto, commissit, propter quod iniunctam sibi poenitentiam pertulit humiliter, ad cfficia, vota, et actus quoscumque legitimos, citra dignitatem abbatialem, admitti valeat nunc dispensat Capitulum generale.

35. Domino Pontigniaci committit generale Capitulum ut si, informatione debita praecedente, repererit abbatem et conventum Reigniaci non absque silvarum non caeduarum aut reddituum ad vitam venditione posse condictoribus dicti monasterii satisfacere, vendendi de silvis praedictis aut redditibus usque ad summam sexcentorum francorum, prout utilius iudicaverit, auctoritate dicti Capituli, licentiam largiatur.

36. Committit domino Pontigniaci generale Capitulum quatinus si abbatem et conventum Reigniaci compererit ab abbate et conventu de Eschalleriis octo modia vini annui et perpetui redditus legaliter emisse, fecisseque super hoc contractum legitimum, ipsos de Reigniaco inducat seu induci faciat in possessionem dicti redditus ad hoc dictos de Eschalleriis per censuram Ordinis, nec non ad solutionem triginta quinque librarum turo-

nensium, dum tamen constiterit ipsas eisdem de Reigniaco deberi per praedictos de Eschalleriis in plenaria potestate Capituli coercendo.

37. Domino Pontigniaci committit generale Capitulum ut si abbatem de Eschalleriis teneri repererit in aliqua pecuniarum summa abbati et conventui Ioiaci, ipsum per Ordinis censuram ad debitorum solutionem, in plena Capituli potestate, compellat.

38. Abbatis Ioyaci debilitate senectuque perpensa, ipsum habet generale Capitulum ab ipsius via de cetero favorabiliter excusatum.

39. Abbati Sancti Sulpicii ad idem, abbati de Villa regis, abbati de Frigido monte, abbati Signiaci, de Vaucellis, de Valle clara.

40. Si cum domino Pontigniaci consentiat unanimiter conventus dicti loci, generale Capitulum licentiam, quantum potest, concedit eisdem vendendi redditus omnes et proventus, quos in Angliae regno possident aut possidere debent, tradendique sub censu perpetuo vineas et terras versas in salsuginem, et dicto monasterio minime fructuosas, proviso tamen quod pretium de supra dictis Angliae redditibus receptum seu recipiendum, in aliorum reddituum emptionem commodius convertantur.

41. Abbati Boniportus auctoritatem tribuit generale Capitulum dispensandi cum fratre Guillelmo Tassel monacho suo, super irregularitate quam apostatans, divinis se immiscendo, contraxerat, ipsique restituendi habitum regularem, non obstante quod quinquies apostataverit, etiam Ordinis habitu derelicto.

42. Consensum unanimem praebente conventu de Calercio, abbati dicti loci licentiam concedit generale Capitulum vendendi quosdam census seu proventus remotos a monasterio praedicto, usque ad valorem unius franci cum dimidio, dum tamen inde receptae pecuniae convertantur in utiliorem proventuum emptionem.

43. Abbati de Stamedio praecipit et iniungit generale Capitulum ut fratrem Rodulphum de Setenan monachum suum, secundum Ordinis instituta puniat, si grangiam quamdam, a qua dudum suis exigentibus demeritis expulsus est, saecularium precibus nisus fuit, vel de cetero nitatur quomodolibet obtinere.

44. Abbati et conventui de Bolbona vendendi plateam quamdam nullius vel modici valoris, quam habent in Castronovo de Arrio, dummodo pecunias venditionis illius in maiorem dicti

monasterii utilitatem convertant, licentiam impertit Capitulum generale.

45. De Gardo et de Lannayo abbatibus eorumque cuilibet committit generale Capitulum, ut abbati et conventui de Bello prato, domus certas masuras et vineas, quas sub censu perpetuo tradi utile pro dicto monasterio iudicaverint, licentiam auctoritate Capituli conferant easdem tradendi, modo superius declarato.

46. Quia missum sibi monachum secundum Ordinis normam per abbatem Belli prati suscipere renuit abbas Longi pontis, ut dicitur, ipsum abbatem de Longo ponte peremptorie et personaliter citat praesens Capitulum generale ad proxime futurum Capitulum, super huiusmodi inobedientia et aliis quae contra ipsum proposita fuerunt, responsurum.

47. Attenta morum gravitate et aetate senili fratris Raimundi Scotilli, monachi Bolbonae, licentiam eidem concedit generale Capitulum, portam seu ostium in introitu cellae suae in dormitorio, dum tamen adeo pateat intra cellam intuitus adventanti, ut nil in ea lateat, quod oculis visitantis ex officio dormitorium subducatur.

48. Ut ad omnes gradus, voces, actus, officia valeat assumi frater Petrus de Monueto Montis Sanctae Mariae, non obstante quod suis exigentibus demeritis in studio Parisiensi fuerit ad monasterium praedictum remissus, cum eodem nunc dispensat Capitulum generale.

49. Domino Morimundi committit generale Capitulum ut cum fratribus Iohanne de Germanvillario, Garnio de Bormonte, et Iohanne Henquin monachis suis, qui per saeculum evagando, habitu regulari derelicto, apostasiam incurrerunt, dispensare valeat auctoritate Capituli generalis super huiusmodi apostasia, retento tamen quod ad abbatialem dignitatem assumi nequeant, sine speciali licentia Capituli memorati.

50. Abbati Grandisylvae committit et iniungit generale Capitulum, ut quoscumque monachos Ordinis repererit Tholosae causa studii moram trahere, seu mansionem habere, non in communi Ordinis studio seu domicilio, coerceat in dicta communi Ordinis habitatione commorari per censuram Ordinis, nec non per captionem et detentionem corporum et bonorum eorumdem prout expedientius iudicaverit, invocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachi isaecularis.

51. Ut in capella sanctarum virginum Catharinae et Rede-

gundis semel in anno missa de eisdem a conventu Grandisylvae solemniter celebretur, annuit Capitulum generale.

52. Non ignotam a longaevis temporibus Ursicampi de solationem flebilibus oculis rememorans generale Capitulum, satagens quod imminenti, proh dolor, eius internecioni posse tenus obviare, cuncta prorsus contributionum Ordinis eidem monasterio usque in hodiernum diem impositarum arreragia remittit, quittat, donat et concedit abbati et conventui dicti monasterii, ipsum abbatem solum et dumtaxat et eius officiarios, qui ratione dictorum arreragiorum excommunicationis incurrerunt sententias absolvendo, et cum eis super irregularitate dispensando nunc, si quam fortassis incurrerunt hac de causa. Porro quia non quantum olim potest hiis temporibus contributionis, quae tamen exsolvere antiquam dictarum contributionum taxationem ad tempus retractat Capitulum generale, moderat et revocat in hunc modum, videlicet, quod quamdiu dicti monasterii modernus abbas inibi praefuerit, pro quolibet imponendarum contributionum milliari de totali summa seu pro quibuslibet mille libris et singulis tres libras solvere tenetur, et non plus.

53. Ut non obstante quod, absque licentia de carceribus et monasterio de Precibus exierit frater Guidonarus Sentionezen, dudum inibi monachus, nunc professus Pontigniaci, possit ad actus legitimos quosque, voces, officia et gradus assumi, dispensat generale Capitulum nunc cum illo.

54. Ne abbatum quisquam in monasterio cuius ante fuit monachus moram trahat ultra dies octo continuos, absque consensu abbatis ipsius loci, sub excommunicationis poena inhibet Capitulum generale.

1393

[DIFFINITIONES] GENERALES [a].

1. Cum Ordo noster Cisterciensis specialiter, expresse et iuste domino abbati et conventui monasterii Cistercii ac ipsi monas-

---

1393. *Deest mentio loci ubi celebratum fuit Capitulum ; legitur autem in ms. abbatiae Fontis salutis :* Anno D. 1393 celebratur... Cap. gen. in hac domo propter cismam (schisma) ; *cf. Cisterciencer-Chronik,* t. XIX, 1907, p. 15.
Fontes : *J* : 1-9 ; *L*¹ : 1-9 ; *M* : 5, 6, 7, 9 ; *P*² : 5, 6, 7, 9 ; *W* : 10. [a] *apud L*¹ *tantum.*

terio Cistercii in viginti quinque millibus quadringentis octoginta et octo florenis aureis, tribus grossis argenteis, de et pro tempore iam praeterito [b], *etc. ut supra in Capitulo generali 1390 stat. 7.*

2. Ad cogendum debitores [c].

Ad requestam reverendi in Christo patris domini abbatis et conventus monasterii Cistercii [d], *etc. ut supra in Capitulo generali 1390 stat. 19.*

3. Confirmatio pro Cistercio contractus cum monasterio Eschalleyarum [e].

Venditionem, cessionem et quittationem quas dominus Iohannes abbas monasterii Fontis Iohannis nostri Cisterciensis Ordinis, dioecesis Senonensis, procurator et procuratorio nomine domini Felicis abbatis et totius conventus monasterii de Eschalleiis, dictorum Ordinis et dioecesis, et pro ipsis fecit reverendo in Christo patri domino quondam Gerardo abbati et conventui monasterii Cistercii, Cabilonensis dioecesis, pro se et eorum successoribus decem librarum turonensium annui et perpetui redditus habendarum, accipiendarum, recipiendarum et percipiendarum per reverendum in Christo patrem dominum abbatem et conventum dicti monasterii Cistercii et eorum successores, ac etiam habentes singulis annis perpetuo in crastino festi Nativitatis dominicae in et super viginti libras turonenses annui et perpetui redditus, quas dicti abbas et conventus de Eschalleiis habebant et percipiebant ac percipere debebant singulis annis perpetuo in dicto termino in et super domum Dousaute super Yonam, in dioecesi Antissiodorensi, et super omnes redditus, proventus et emolumenta, hereditagia et pertinentias dictae domus Dousaute, et ad eam pertinentia, sicut in litteris publicis de et super hoc sub sigillo Castelleti Parisius confectis dicitur contineri, generale Capitulum approbat, ratificat, et confirmat secundum dictarum super hoc confectarum litterarum seriem et tenorem.

4. Pro quaerendis contributionibus [f].

Domino Cistercii committit Capitulum generale quatinus deputet, ordinet et mittat certos abbates vel monachos Ordinis, quos et quales decreverit, simul vel separatim, ad et per omnia monas-

---

[b] *iterum repetitur totum decretum apud* L^1. [c] *hic titulus apud J tant.*
[d] *totum decretum apud* L^1. [e] *hic titulus apud J tant.* [f] *hic titulus apud J tant.*

teria Ordinis, qui diligenter inquirant an abbates ipsorum monasteriorum solverint, vel non, contributiones Ordinis temporibus praeteritis impositas ipsos et sua monasteria contingentes, ac omnes et singulos abbates Ordinis, qui se coram dictis abbatibus vel monachis deputatis et missis, aut eorum altero requisiti per eos vel eorum alterum non docuerint, ostenderint et monstraverint sufficienter dictarum contributionum quotas, ipsos et sua monasteria contingentes et concernentes, ac eis impositas super hoc iustas dilationes vel prorogationes ad solvendum, vel remissiones ipsarum contributionum, per illos qui has dare possent, non habentes, terminis in et super hoc ordinatis et praefixis iam elapsis, vel postea, ut tenebantur persolvisse, propter hoc excommunicationis sententias meruisse et eos publie denuntient, et denuntiari faciant excommunicatos. Omnibus prioribus, supprioribus et aliis officiariis ac monachis omnium et singulorum monasteriorum Ordinis, in virtute sanctae obedientiae et sub excommunicationis sententiae poena, praecipiens et iniungens, ut abbates ipsos qui, prout praemittitur, dictas contributionum quotas, eos et sua monasteria contingentes, se sufficenter modo praedicto non docuerint persolvisse ad requestam dictorum abbatum vel monachorum, per praedictum dominum Cistercii ordinandorum et deputandorum, et ipsorum cuiuslibet, excommunicatos publice denuntient singulis diebus dominicis solemnibus et festivis et ipsos evitent, non obedientes eis in aliquo, vel cum eis participantes quovis modo quamdiu sic excommunicati perstiterint, nisi in solis casibus a iure permissis.

5. Excusatio abbatum [g].

Item, abbates Ordinis universi qui ad praesens generale Capitulum non venerunt [h], etc., *ut supra in Capitulo generali 1391, usque huc* : Quatuor...

Quatuor etiam primis abbatibus Ordinis, cuilibet in generatione sua, datur potestas plenaria exigendi, levandi et requirendi dictum duplum modo quo poterunt fortiori. Solos autem et dumtaxat abbates infra scriptos, qui impedimentum seu licentiam habentes huiusmodi de ipsis debitam fidem fecerunt secundum dicta papalia instituta, ut constat eidem Capitulo, habet ipsum Capitulum inde et super hoc favorabiliter excusatos, scilicet de Dunis, de Altaripa, de Caritate, de Vallelucenti, de Sancto Bene-

[g] *idem.* [h] *L^1MP^2 iterum recitant totum decretum.*

dicto in Vespria, de Vallibus in Ornesio, de Insula Barrensi, de Theoloco, de Dulci valle, de Bono radio, de Barbello [i], de Cassania, de Christa, de Bono portu, de Sigilleriis, de Oratorio, de Brolio, de Mortuomari, de Valencia, de Savigniaco, de Sancto Andrea de Goferno, de Calovio, de Stamedio, de Curia Dei, de Tela, de Benedictione Dei Lausannensis *(sic)*, de Claritate, de Buxeria Andegavensi, de Fontemorum, de Valle Beatae Mariae super Caron alias de Nigro lacu, de Trapa, de Roseriis, de Bullencuria [j], de Longo ponte, de Rupibus, de Eleemosina, de Barbereyo, de Maceriis, de Eslancio, de Bono fonte, de Gardo, de Alto Christo, de Bonomonte, de Altacomba, de Castellariis, de Lanneyo, de Tribus Fontibus, de Alto fonte, de Pietate, de Chalocheyo, de Vaucellis, de Ygniaco, de Charone, de Insula Dei, de Mellereyo [k], de Tresagio, de Buzeyo, de Barzella, de Lococrescenti, de Brollio Gollandi, de Longo vado, de Recluso, de Monasteriis in Argona, de Cheminione, de Carmeya et de Leoncello monasteriorum abbates.

6. Contra abbates qui non miserunt scolares [l].

Cum abbates infra scripti, videlicet monasteriorum Mansiadae, de Balerna, de Miratorio, de Monte Sanctae Mariae, de Clarofonte, de Curia Dei, de Eleemosina, de Ioyaco, de Bello becco, de Begardo, de Bonomonte, de Buxeria Andegavensi, de Longoponte, de Sancto Sulpicio, de Alpibus, de Veteri villa, de Laude, de Persenia, de Bona valle Ruthenensi, de Sanctis Crucibus in Catalonia, de Monasteriis in Argona, de Bonis combis Ruthenensi, de Buzeyo, de Fonte Danielis, de Precibus [m], tenerentur et deberent ac debuissent secundum Ordinis et generalis Capituli statuta, ut ipsi Capitulo generali satis constat, destinare ac mittere, et non destinarunt nec miserunt, prout tenebantur, ad aliquod nostri Ordinis studium generale, quilibet videlicet ipsorum abbatum unum monachum scolarem, et in eodem studio destinatum tenere cum bursa et provisionibus in et super hoc ordinatis, quod non fecerunt in anno iam lapso, et aliqui eorum in pluribus annis iam lapsis, generale Capitulum declarat et decernit omnes et singulos abbates praedictos propter hoc latas contra ipsos per ipsum generale Capitulum excommunicationis sententias et poenas alias incurrisse, et ipsos excommunicatos tenore

---

[i] de Bono portu, etc. : *MP²* *sic desin.* [j] Bullenter : *L¹*. [k] Milleyo : *L¹*.
[l] *hic titulus apud J tant.* [m] etc. : *MP²*.

praesentis statuti praecipit publice nuntiari. Prioribus igitur et supprioribus, ac aliis monachis Ordinis omnibus et singulis, qui tenebunt capitula, seu praesidebunt in capitulis ipsorum monachorum de cetero in futurum praecipit et iniungit ipsum Capitulum, in virtute sanctae obedientiae ac sub excommunicationis sententiae poena, ut quam primum eis de praesenti diffinitione constiterit, vel super hoc pro parte Capituli generalis vel patrum abbatum suorum superiorum requisiti fuerint, praedictos etiam proprios abbates excommunicatos publice nuntient, ipsorum monasteriorum conventu praesente in dictis capitulis suorum monasteriorum, omnibus et singulis diebus dominicis solemnibus et festivis, non participando cum ipsis quovis modo quamdiu sic excommunicati permanserint, nisi dumtaxat in casibus a iure permissis.

7. Remissio poenarum abbatibus praesentibus [n].

Abbatibus omnibus et singulis in praesenti Capitulo generali praesentibus et existentibus remittit, donat, relaxat et adnullat generale Capitulum per tenorem praesentis diffinitionis omnes et singulas poenas spirituales et corporales, temporales et pecuniarias et alias quascumque cuiuscumque gravitatis existant, si quas transgrediendo praecepta et mandata, prohibitiones et inhibitiones, ordinationes et statuta dicti Capituli generalis et Ordinis nostri temporibus praeteritis usque ad hodiernum diem forsitan incurrerunt, seu etiam contraxerunt, super eisdem poenis cum eisdem abbatibus dispensans, et eosdem absolvens ab eisdem in hiis scriptis, praeter tamen poenas quas forsitan incurrerunt et contraxerunt scolares monachos ad studia, prout tenebantur, debite non mittendo, et contributiones Ordinis statutis terminis non solvendo.

8. Licentia pro Cistercio tradendi unam vineam [o].

Domino abbati et conventui monasterii Cistercii concedit licentiam generale Capitulum vendendi et tradendi ad censum ad vitam unius hominis vel plurium, et etiam in emphiteosim et ad censum perpetuum quamdam peciam seu clausum vineae situatam quasi ad dimidiam leucam prope Divionem in finagio de Ruffeyo continentem circa novem jornalia, in loco qui dicitur en Vallemin iuxta viam communem quae tendit ab Espirey ex

---

[n] *hic titulus apud J tant.* [o] *idem.*

una parte, et iuxta vineam Iohannis Poissenot burgensis Divionensis, et Iohannis Esclaire dicti loci. Quae quidem vinea fuit olim monasterii Albaeripae, et ex causa permutationis ad monasterium devenit.

9. Ut ab illo qui Rex regum est et Dominus dominantium, qui suo iustissimo quamvis mortalibus incomprehensibili iudicio, qui quoties et prout vult balteum regum dissolvit, et fune praecingit renes eorum, et iterum eos in solio collocat, in perpetuum dat salutem regibus, qui sanabiles fecit nationes orbis terrarum, qui vulnerat et medetur, percutit et manus eius sanant, mortificat et vivificat, deducit ad inferos et reducit, dignetur ad honorem et gloriam nominis sui, augmentationem fidei christianae et defensionem Ecclesiae suae sanctae, serenissimo et christianissimo domino nostro Carolo regi Francorum plenam sanitatem conferre, et collatam longaevis temporibus salubriter conservare, generale Capitulum statuendo praecipit districtius et iniungit universis et singulis abbatibus et praesidentibus monasteriorum Ordinis universi nostri, ut in eorum singulis monasteriis hinc usque ad annum continue qualibet septimana unam missam conventualem pro incolumitate dicti domini regis faciant celebrari, ita videlicet, quod si, quod avertat Deus omnipotens et misericors, rumores currerent verisimiles, quod dictus dominus noster rex infirmitate detineretur, dicatur haec missa quae intitulatur : pro infirmis, cuius introitus est : *De necessitatibus meis eripe me, Domine ;* cum collecta : *Omnipotens sempiterne Deus, salus aeterna credentium.* Si vero diceretur, quod annuat Deus ipse, quod salutifera et optata gaudeat sospitate, missa praedicta de Spiritu sancto celebretur. Universi vero dicti Ordinis nostri monachi sacerdotes quoties per dictum annum celebraverint, cum aliis collectis in missa sua dicant specialiter dictam collectam : *Omnipotens Deus,* vel : *Deus qui corda fidelium,* etc. prout superius est distinctum.

10. Hoc anno die Lamperti martiris a Conrado abbate Morimundensi Wyenne Capitulum generale habitum est, ut videtur, lineae Morimundensis.

1394

Anno [a] Domini millesimo trecentesimo nonagesimo quarto statuta sunt haec apud Cistercium in Cisterciensis ordinis Capitulo generali.

1. In primis, diffinitiones omnes et singulas anno nuper lapso et in ultimo praeterito Capitulo generali factas et editas ratificat, confirmat et approbat Capitulum generale.

2. Pro contributionibus [b].

Item, cum Ordo noster cisterciensis [c], etc. ut supra in anno 1391.

3. Ad cogendum debitores Cistercii [d].

Ad requestam reverendi in Christo patris domini abbatis et conventus monasterii Cistercii [e], etc. ut supra in anno 1393.

4. Excusatio abbatum [f].

Item, abbates Ordinis universi, qui ad praesens generale Capitulum non venerunt [g], etc. ut supra in anno 1393, usque huc : solos autem et dumtaxat abbates infra scriptos qui impedimentum seu licentiam habentes huiusmodi de ipsis debitam fidem fecerunt, secundum dicta papalia instituta, ut constat eidem Capitulo, habet ipsum Capitulum inde et super hoc favorabiliter excusatos, scilicet de Ursicampo, de Leoncello, de Carmeya, de Longoponte, de Cheminone, de Alpibus, de Vacellis, de Dunis, de Claromarisco, de Prulliaco, etc.

5. Mordaci conscientia considerans Capitulum generale nonnullorum Ordinis fundatorum atque benefactorum animas piis votis, et quae adhuc viventes devotius optavere suffragiis et precibus Ecclesiae in plerisque Ordinis ipsius monialium monasteriis, proh dolor, eo fraudari, quia tum propter proventuum, ac per hoc regularium personarum minorationem tenuitatemve primaevae fundationis, tum propter monasteriorum ipsorum detestabile longaevum regimen, regularis in eisdem monasteriis adeo periit observantia, ut nec repromissae quidem fundatori-

---

1394. *Fontes* : *J* : 1-51 ; *L*[1] : 1-51 ; *M* : 5, 7, 10-14, 36, 37 ; *P*[2] : 1, 5, 7-14 ; 24, 27, 36, 37, 48 ; *W* : 12, 36. [a] *Titulus apud JL*[1] *tant.* ; *apud P*[2] *haec habentur in margina* : Bonifacio 9° Papa, Cardinale Salucinarum ordinis protectore. [b] *apud J tant.* [c] *L*[1] *totum repetit decretum.* [d] *apud J tant.* [e] *iterum statutum integrum apud L*[1]. [f] *apud J tant.* [g] *L*[1] *totum repetit ut in anno praeced.*

bus celebrentur missae, nec laus ipsa quoque canonica Deo canora voce psallatur, sed unde sumpsisse debuerat clerus sanctitatis exemplum, speculum voluntariae subiectionis, ingenuitatis potentatum et devotionis fervorem, tepens popularis simplicitas inde, proh dolor, oriatur [h] hiis et illis derisionis occasio, materia scandali, religionisque contemptus ; satagit viribus omnibus memoratum generale Capitulum de competenti super huiusmodi fraude defunctorum remedio providere, praesertim autem quoad monasterium Vallisbaionis, Lingonensis dioecesis, cuius adeo rarae sunt, et successu temporis minorantur facultates et proventus, ut non nisi duae tantum inibi resideant moniales, divinus cessaverit cultus, et iamiamque corruerit pars maxima structurarum, monasterium ipsum Vallisbaionis vacuum membris, possessionibus, iuribus, bonis, libertatibus et pertinentiis suis universis, unit memoratum generale Capitulum, incorporat, et pro perpetuis temporibus annectit monasterio Albaeripae dioecesis et Ordinis eorumdem ; ita tamen quod sublatis de medio vel alibi collocatis in eodem Ordine praedictis monialibus, quibus per abbatem et conventum dicti monasterii Albaeripae vult et praecipit idem Capitulum, pensionem annuam moderatam et rationabilem pro modulo facultatum dicti loci, quoad vixerint, assignari, monachum unum dicti Ordinis vel plures in dicto Vallisbaionis loco deputet dictus abbas Albaeripae, qui missam vel missas secundum proventuum loci quantitatem pro fundatorum et benefactorum eiusdem animabus celebrent, locumque reparent saepedictum, manuteneant et gubernent.

6. Contra abbates qui non miserunt scolares [i].

Cum abbates infra scripti, videlicet monasteriorum de Alta cumba, de Eleemosina, de Monte Sanctae Mariae, de Rigniaco, de Curia Dei, Mansiadae, de Bonavalle Ruthenensi, de Castellariis, de Fulcardimonte, de Bello becco, de Bona requie, de Alpibus, de Stamedio, de Valloliis, de Silvanesio, de Bonacumba Ruthenensi, de Bardonis, de Gimonte, de Bonofonte in Vasconia, de Vallemagna, de Scala Dei in Vasconia, de Lococrescenti, de Albispetris, de Pietate, de Valle bona, de Fontefrigido, de Benedictione Dei, de Monasteriis in Argona, de Insula Barrensi, de Bullencuria, de Balerna et de Altaripa tenerentur et deberent ac debuissent [j], etc., ut supra in anno 1393.

---

[h] iniiciatur : *M.* [i] *hic titulus apud J tant.* [j] *integrum repetunt decretum* *L¹MP²*.

Insuper praecipitur abbatibus monasteriorum de Miratorio, de Casania, de Casiviaco, de Tribus fontibus, de Albaripa, de Albis fontibus, de Alto Christo, de Caheirio, de Alto fonte, et de Moris sub excommunicationis sententiae poena praecipit, quatinus infra instans festum Omnium Sanctorum ipsi et eorum quilibet quindecim francos auri pro dimidia bursa unius scolaris cellerario vel bursario ad hoc in Parisiensi studio deputatis solvant integraliter et complete. Qui quidem abbates sic inter se de scolari mittendo conveniant, qui videlicet abbas quilibet de praenominatis teneatur per tot annos pro scolari alterius contribuere, pro quo idem pro alio subventionem suscepit, abbate Miratorii contribuente cum domino Firmitatis, et e contra.

7. Si, sacro veritatis Evangelio testante, salva facta fuit tangens fimbriam vestimenti Christi mulier, quae duodecim annis fuerat sanguinis fluxum passa, et quod est mirabilius, sed omnipotenti Deo difficile nihil existit, ex influxu gratiae suae pleniori salvi facti sunt alias quicumque male habentes ipsius vestimenti Salvatoris nostri manu fimbriam tetigerunt, secundum humanas etiam leges rei salvantur homines ad mortalis Imperatoris statutam fugientes, multo magis iustius decet et ratio dictat, devotioni fidelium congruit et fidei proficit christianae, ut quicumque manducans in altaris benedicto sacramento corpus Domini nostri receperit Salvatoris per quod in ipso Salvatore et ipse Salvator in eo manere, Salvatoris ipsius testimonio comprobatur ab hominibus ob ipsius reverentiam sacramenti sicut possunt honoretur uberius, et gratias obtineat ampliores. Propter hoc igitur ad omnipotentis Domini Dei nostri laudem et gloriam, et ad maiorem tanti reverentiam sacramenti in quo sanctissimo sacramento transcendens omnem plenitudinem largitatis, omnem modum dilectionis excedens, Iesus Christus Dominus Deus noster corpus suum in cibum et sanguinem in potum sub specie panis et vini sumendum fidelibus dereliquit, et sic ex singulari et admiranda liberalitate [k] sua donator ipse venit in domum, et datum est idem penitus cum donatore. Et ut Ordinis personae maxime per hoc excitentur ad ferventius et maiori devotione celebrando frequentandum ipsum altaris salutiferum sacramentum, et sumendum saepius ipsius Domini nostri Iesu Christi corpus et sanguinem animo spiritualiter laetiori, praeno-

[k] libertate : *M*.

minatum Capitulum generale statuit, ordinat et diffinit, ut nulli monacho, converso, novitio vel donato, aut alterius sexus utriusque personae cuivis Ordinis nostri, vapulationis in capitulo, vel alibi, seu panis et aquae vel alia poena quaevis vel poenitentia corporalis facienda, sustinenda vel portanda, ipsa die qua celebraverit vel corpus Domini nostri Iesus Christi receperit, imponatur, nec eam facere teneatur aut cogatur, vel debeat sustinere, nisi forsan casus exigeret, quod dispositioni superioris tunc praesidentis relinquitur, sola excepta poena detentionis ad custodiam et custodiae firmae sui corporis in aliquo clauso et firmato, sicut deberet fieri, loco tuto, vel nisi ad evitandas dictas solum poenas vel poenitentias fraudulenter, quod avertat Deus, et non devotionis vel alia causa forte motus ad hoc celebrare, vel communicare verisimiliter praesumeretur.

8. Cum dominus abbas Cistercii reformator totius Ordinis nostri Cisterciensis, ex commissione sibi data per Capitulum generale, citari fecisset peremptorie coram ipso in dicto monasterio Cistercii, assensu idque requirente domino de Claravalle, ad certam et assignatam diem abbatem monasterii Cariloci dicti nostri Cisterciensis Ordinis, Bisuntinensis dioecesis, visurum et auditurum decerni et declarari per ipsum dominum Cistercii, ipsum abbatem Cariloci sententias suspensionis a divinis per et secundum felicis recordationis domini Benedicti papae XII et excommunicationis latae sententiae per dicti nostri Cisterciensis Ordinis, et per ipsius Ordinis Capituli generalis statuta et ordinationes latas, damnabiliter incurrisse, et animo indurato, proh dolor, diutius sustinuisse, et adhuc, quod est gravius, sustinere, etc [l]. Et hoc ex et pro eo quod temporibus et annis praeteritis non misit ad studia generalia Ordinis, nec in eisdem studiis tenuit, sicut debebat, monachos scolares cum bursa et provisionibus debitis et statutis, et ulterius processurum et facturum procedi et fieri visurum, in et super praemissis prout et quod foret rationis, cum intimatione quod, sive comparet sive non, coram ipso modo praemisso, in et super praemissis procederet, et faceret ulterius idem dominus Cistercii prout et quod foret rationis. Et ipse abbas dicti monasterii Cariloci ad dictum locum, monasterium Cisterciense et diem assignatam sibi coram ipso domino Cistercii per se vel per alium non comparuerit, sufficien-

[l] *sic desin. P*².

ter per ipsum dominum Cistercii et super hoc per totam assignatam sibi diem expectatus. Propter quod dictus dominus Cisterciensis praedictum abbatem praedicti monasterii Cariloci sua et totius Ordinis nostri Cisterciensis generalis Capituli auctoritate, reputavit contumacem et decrevit ac declaravit ipsum abbatem Cariloci, suspensionis a divinis per et secundum praedicta statuta papalia et excommunicationis latae sententiae, per et secundum dicti nostri Cisterciensis Ordinis ac ipsius Ordinis Capituli generalis ordinationes et statuta latas damnabiliter meruisse, et animo indurato diutius, proh dolor, sustinuisse, et adhuc, quod est gravius, sustinere, ex et pro eo quod temporibus et annis praeteritis non misit, sicut praemittitur ad studia generalia Ordinis, nec in eisdem studiis tenuit, sicut debebat, monachos scolares, cum bursa et provisionibus debitis et statutis. Et quod interdictum sibi per dicta statuta papalia propter hoc ingressum ecclesiae, et alias in et propter hoc poenas inflictas per plures annos pertinaciter toleravit, et ipsum abbatem Cariloci suspensum et excommunicatum modo praemisso palam et publice nuntiandum et evitandum, prout haec omnia praemissa in litteris et processibus in, de, et super hoc factis et habitis plenius continetur. Capitulum igitur generale considerans et attendens praemissa omnia et singula rite, iuste et canonice facta et habita, ipsa prout sunt facta et habita ratificat, approbat et confirmat, de Morimundo, de Longo vado, de Albaripa, de Bella valle, de Caritate, de Bithania, de Clarofonte, de Theoloco, de Aceyo, et de Dulci valle, et aliorum dicto monasterio Cariloci vicinorum monasteriorum abbatibus, ac ipsorum monasteriorum praedictorum et praedicti monasterii Cariloci prioribus, supprioribus et aliis monachis singularibus in virtute sanctae obedientiae et sub excommunicationis sententiae poena tenore praesentis ordinationis firmiter mandans, praecipiens et iniungens dictum Capitulum generale, quatinus dictum abbatem dicti monasterii Cariloci singulis diebus dominicis et festivis solemnibus dum et quando tenuerint capitula quotidiana in dictis suis monasteriis solito more suspensum et excommunicatum modo praedicto et ex causa praedicta palam et publice nuntient, et ipsi ac aliae personae Ordinis ipsum abbatem Cariloci suspensum et excommunicatum evitent, nec cum eo participent quovismodo, nisi dumtaxat in casibus a iure permissis.

ORATIONES [m].

9. Pro Sanctissimo in Christo Patre ac Domino Domino divinae Providentiae Papa nunc universalem Ecclesiam gubernante et pro dominis nostris cardinalibus, et specialiter pro domino cardinali Saluciarum Ordinis nostri benevolo protectore, pro dominis primatibus [n], patriarchis, archiepiscopis, episcopis, abbatibus, abbatissis et pro religiosis omnibus Ordinum quorumcumque, dicantur tres misae, una videlicet de Spiritu Sancto, altera de Sancta Cruce, tertia de Beata Virgine in singulis monasteriis Ordinis universi.

10. Pro serenissimo domino nostro domino Carolo rege Francorum, domina regina consorte sua, pro domino duce Aurelianensi, pro dominis ducibus et ducissis Bituricensibus, Burgundiae et Borboniae, ac omnium praedictorum dominorum liberis et nobili prole, et pro nobili sanguine Franciae, ac omnibus regibus et reginis, ducibus et ducissis, comitibus et comitissis, baronibus et baronissis, ac omnibus aliis nobilibus et dominis fidelibus, in pace et unitate sanctae Matris Ecclesiae existentibus, dicantur tres missae, una videlicet de Spiritu Sancto, altera de Sancta Cruce, et tertia de Beata Virgine, a singulis sacerdotibus Ordinis universi.

11. Pro burgensibus, mercatoribus et laboratoribus, et maxime benefactoribus Ordinis universi, ac universo populo christiano in pace et unitate sanctae Matris Ecclesiae constituto, dicatur una missa de Spiritu Sancto in singulis monasteriis Ordinis universi.

12. Pro felicis et inclitae recordationis dominis quondam nostris dominis Philippo, Iohanne et Carolo regibus Francorum, et reginis eorum consortibus ultimo defunctis, pro domina ducissa Aurelianensi ultimo defuncta, pro dominis ducibus et ducissis Burgundiae ultimo defunctis ac praedecessoribus eorum, pro dominis comite et comitissa Flandriae [o], et domina comitissa Atrebatensi ultimo defunctis et praedecessoribus eorum universis, et pro omnibus et singulis baronibus, baronissis, et aliis nobilibus defunctis, pro religiosis omnibus, et maxime professis Ordinis nostri et pro omnibus benefactoribus nostris et

---

[m] *hic titulus apud JL¹ tant.* [n] etc. : *sic desin P².* [o] *haec tantum mentio habetur apud W.*

aliis fidelibus defunctis dicantur tres missae *de Requiem* a singulis sacerdotibus Ordinis universi.

13. Pro pace et unitate sanctae matris Ecclesiae, dicantur tres missae *de Pace* in singulis domibus Ordinis universi.

DIFFINITIONES ANNI **1394** [p].

14. Querimoniam domini abbatis Firmitatis suique conventus suscepit Capitulum generale in substantia continentem, quod cum dominus Theobaldus de Barris dicti monasterii Firmitatis monachus, ac sacrae theologiae professor, tempore suae promotionis ad monasterium Vallis benedictae, et postquam plurima bona, libros videlicet, equos, vestes, pecuniam et alia quae tempore suae promotionis et antea possidebat, et ab ipsis abbate et conventu praedictis mutuo receperat,ad dictum monasterium Vallis benedictae detulerit, de quibus nulla restitutio praefatis de Firmitate facta fuerit, in iuris iniuriam, transgressionem statutorum Ordinis, et ipsorum conquerentium detrimentum ; cupiens igitur generale Capitulum unicuique reddere quod suum est, abbati monasterii Bonaevallis, Viennensis dioecesis, in plenaria potestate committit, quatinus dictos abbatem et conventum Vallis benedictae ad restitutionem dictorum bonorum praefatis de Firmitate faciendam per censuram Ordinis compellat et coerceat absque strepitu et figura iudicii, scilicet summarie et de plano.

15. Concessionem unius missae et aliorum suffragiorum fiendorum singulis hebdomadis per abbatem et conventum monasterii Boni portus, pro nobili viro Petro Gongoul milite, domino de Romulla, prout in tractatu et litteris quibus praesentis confirmationis scriptum ad petitionem dictorum de Bonoportu affigi vult Capitulum generale, si et in quantum dictus tractatus ac concessio rite et iuste alias praecesserint, dictum generale Capitulum ratificat et confirmat.

16. Cum abbas Escharleyarum in praesentia Diffinitorum Capituli sponte recognoverit se realiter recepisse a domino Gerardo bonae memoriae quondam abbate Cistercii quadraginta francorum auri mutuum, de qua summa seu debito viginti francos solum solvit, generale Capitulum dicto abbati Escharleyarum

---

[p] *hic titulus apud JL[1]* tant.

praecipit districtius et iniungit sub excommunicationis sententiae poena, quatinus infra instans festum Omnium Sanctorum reliquos viginti francos solvat integraliter vel quittanciam de solutione, quam habere se asserit, infra dictum festum ostendat domino Pontigniaci, quem ad hoc iudicem constituit idem Capitulum in ipsius potestate.

17. Cum abbas Escharleyarum in Diffinitorum Capituli generalis praesentia sponte recognoverit, confessusque fuerit se debere realiter domino abbati et conventui Cistercii quinquaginta francos auri, ratione arreragiorum certi redditus, de quo tunc agebatur, quos promisit solvere infra annum, generale Capitulum dicto abbati Escharleyarum praecipit districtius et iniungit sub excommunicationis latae sententiae poena, quatinus dictos quinquaginta francos dicto domino Cistercii, vel eius certo mandato, solvat integraliter et complete infra annum a data praesentium computandi.

18. Praecipitur abbati Escharleyarum sub excommunicationis latae sententiae poena, quatinus quindecim francos auri, quos ipse confitetur mutuo recepisse ab abbate de Campis bonis, tempore quo erat Ordinis procurator, infra instans festum Nativitatis Domini solvere non negligat dando in mandatis primo abbati Ordinis qui super hoc fuerit requisitus, quatinus sententias contra eum comminatas infligat, publicet, denuntiet et aggravet prout fuerit rationis.

19. Absque ulteriori relatione generali Capitulo facienda, committit idem Capitulum domino Pontigniaci auctoritatem inquirendi de tractatu habito seu habendo inter nobilem et discretum dominum de Troucheto et abbatem ac conventum monasterii Quinciaci, super ordinatione ac concessione cuiusdam anniversarii annuatim in dicto monasterio pro dicto nobili celebrandi, ipsumque tractatum in plenaria potestate ipsius Capituli confirmandi.

20. Cum fratribus Dionisio de Bannoto et Odoni Ude monachis monasterii Ioyaci, ob suorum demeritorum exigentiam inhabilibus, dispensat generale Capitulum, ipsosque restituit ad omnes actus legitimos Ordinis incluso abbatiali honore, dum eorum merita exegerint, et concurrerit abbatis proprii et conventus beneplacitum et assensus.

21. Domino Claraevallis committit generale Capitulum plenariam potestatem compellendi per censuram Ordinis abbatem

et conventum monasterii de Cheminione ad solutionem decem librarum, in quibus abbas et conventus monasterii de Cahercio, occasione fratris Guillelmi de Blesia monachi de Cheminione, qui cum praedictis de Cahercio per annum integrum in hospitalitate mansit, est rationabiliter obligatus iuxta Ordinis instituta.

22. Ad petitionem abbatissae et conventus monasterii de Refugio Beatae Mariae prope Ath, dispensat generale Capitulum cum sorore Ysabella de Teure dicti monasterii moniali, quod non obstante puerperio, de et super quo convicta existit et punita secundum Ordinis instituta, assumi possit et valeat, suis exigentibus meritis, ad omnes actus legitimos Ordinis administrationis et alia, dum aliud canonicum non obsistat.

23. Cum sacrosancta mater Ecclesia numquam claudit gremium redeunti et frater Petrus Generis, nuper professus in monasterio de Alpibus, ab abbate proprio obtinuerit licentiam transferendi se ad aliud monasterium Ordinis alterius, in quo posset invenire abbatem alium receptorem, ipseque frater Petrus saniori fretus consilio, totis desideriis redire cupiat ad praedictum monasterium tamquam ovis de ovile, in quo magis credit et sperat, vota repromissa reddere quam alibi, et animae suae salutem facilius operari, generale Capitulum volens desideria iusta petentium obaudire, de Bono monte et Chesiriaco monasteriorum abbatibus et eorum cuilibet in solidum in plenaria ipsius potestate committit, quatinus de, et super huiusmodi facto se informent cum abbate et conventu de Alpibus, et si dictum fratrem Petrum repererint esse dicti monasterii et nullius alterius professum, quodque in ipso monasterio possit sine scandalo commorari, abbatem loci ad ipsum recipiendum coerceant et compellant, vel ei alibi provideant de congrua sibi in Ordine mansione.

24. Ad petitionem abbatis Prulliaci, Senonensis dioecesis, generale Capitulum committit reverenter et iniungit dominis Cistercii et Pontigniaci monasteriorum abbatibus Cabillonensis et Lingonensis dioecesium, et eorum cuilibet in solidum, quatinus omnes et singulas Ordinis nostri Cisterciensis personas, quas repererint obligatas esse seu teneri dicto abbati et conventui monasterii Prulliaci in quibuscumque pecuniarum summis et rebus aliis, ad satisfactionem integram et completam per censuram Ordinis, auctoritate dicti Capituli ac in eius plenaria potestate coerceant viriliter et compellant, invocato ad hoc, si opus fuerit, iudicum ecclesiasticorum auxilio et brachii saecularis.

25. Desolationi monasterii Curiae Dei ex tenui fundatione, debitorum sarcina, ac aedificiorum ruina procedenti, sub sigilli abbatis et conventus dicti monasterii petitorie expositae, generale Capitulum compatiens et condolens, de Eleemosina, sacrae theologiae professori, ac de Sacra Cella monasteriorum abbatibus committit et iniungit quatinus ad dictum monasterium de Curia Dei personaliter se transferant, ac de statu et inopia monasterii se informent cum diligentia, et inde faciant quod fuerit secundum statuta papalia et Ordinis faciendum.

26. De et super petitione porrecta pro parte abbatis et conventus Bitaniae continente in substantia, quod cum in villa de Vallibus Sancti Eligii dudum forent quinquaginta mansiones,quo propter territorii sterilitatem et intolerabilem servitutem, ut asserunt habitantes, vix decem domus inhabitatae consistant, dignaretur generale Capitulum alleviandi praefata onera licentiam impertiri, ne villa praefata inhabitata remaneat et exinde maius incommodum praedicto monasterio subsequatur, domino Morimundi patri abbati dicti monasterii Betaniae committit generale Capitulum quatinus, ad dictum monasterium personaliter accedat, et habito hinc et inde colloquio, sequenti referat Capitulo generali.

27. In praesentia Diffinitorum Capituli generalis iuravit abbas de Barbello super sanctum canonem missae manu apposita, numquam de cetero relabi in carnis contagio, de et super quo accusatus existit et plurimum diffamatus ; et in casu quo de contrario convinceretur processu temporis, correctioni domini Cistercii et nullius alterius se submittit.

28. Ad requestam abbatis et conventus Loci crescentis, Bisuntinae dioecesis, generale Capitulum iniungendo committit de Bella valle et Caritate monasteriorum abbatibus praedictae dioecesis, et eorum cuilibet in solidum, quatinus omnes et singulas nostri Cisterciensis Ordinis personas, quas repererint obligatas esse seu teneri dictis abbati et conventui Loci crescentis in quibuscumque pecuniarum vel aliarum rerum debitis, ad satisfaciendum dictis requirentibus per censuram Ordinis auctoritate dicti Capituli, ac in eius omnimoda potestate viriliter coerceant et compellant, invocato ad hoc, si opus fuerit iudicum ecclesiasticorum auxilio et brachii saecularis.

29. Ex superabundanti gratia, Capitulum generale probare volens amplioris occasionem virtutis, dispensat cum fratribus

Petro Berche et Ioanne Poignant monachis monasterii Loci crescentis, alias et apostasia per generale Capitulum relevatis, abbatiatu secluso, intellecto utriusque spirituali profectu, utrumque ad honorem abbatialem habilitat et assumit, abbatis proprii ac conventus concurrente consensu.

30. Cum fratre Radulpho de Batencour monacho Sacri portus, alias de Barbello, in carnis contagio comprehenso dispensat generale Capitulum quod, praemissis non obstantibus, suis exigentibus meritis, ad Ordinis actus assumi valeat, secluso abbatiali honore.

31. Inhibetur sub poena excommunicationis latae sententiae scolaribus Ordinis universi Tholosae commorantibus, ne de cetero, prout eorum aliqui consueverunt hactenus, in villa cum saecularibus quovis modo commorentur, sed omnes et singuli in Sancto Bernardo commorentur et regulariter vivant, prout in Parisiensi studio est fieri consuetum.

32. Ut auferatur malae suspicionis occasio, ac inter superiores et subditos amplioris unitatis vinculum generetur, praecipitur patribus abbatibus in virtute sanctae obedientiae quatinus, omnes et singulos abbates sibi immediate subditos, ad trahendam residentiam canonicam in monasteriis propriis per censuram Ordinis indissimulate coerceant, nisi causa subsit tam rationabilis et evidens quod merito debeat acceptari.

33. Cum ad aures Capituli devenerit abbatem Escharleyarum fore de dilapidatione monasterii, carnis contagio et aliis sceleribus diffamatum, dominis de Pontigniaco et de Fonteneto monasteriorum abbatibus sacrae theologiae professoribus, et eorum cuilibet, committitur quatinus, quam primum commode poterunt ad dictum monasterium accedant personaliter, de et super praemissis se informent cum diligentia, et quidquid inde repererint per testes idoneos seu alia documenta, dominum Cistercii reformatorem Ordinis informare non omittant, citando dictum abbatem Escharleyarum personaliter ad diem competentem coram dicto domino Cistercii visurum, auditurum et consequenter processurum in praemissis, prout rationis fuerit et negotii qualitas hoc requiret.

34. Committitur dominis de Pontigniaco et de Fonteneto monasteriorum abbatibus et eorum cuilibet in solidum, quatinus de et super tractatu et alienatione quatuor candarum vini, de quo vertitur quaestio inter abbates et conventus monasterio-

rum Escharleyarum et Rigniaci, se informent cum diligentia, et secundum negotii exigentiam, papalibus et ordinis institutis confirment vel infirment, et apponant in principali et accessoriis iustitiae complementum.

35. Ordinatio atque concessio unius missae quotidianae, quas fecerunt abbas et conventus Obazinae, domino Gerardo Guichardi precentori Caturcensis, benefactori dicti monasterii, si et in quantum singula in litteris quibus generalis Capituli praesentis confirmatio affigitur alias rite procedunt, per ipsum Capitulum generale approbatur.

36. Cum serenae generositatis Principissa domina Yolandis [q] de Flandria, comitissa Barrensis, et domina de Cassel, certam portionem de iardinis ad studium nostri Ordinis Parisius spectantibus, et infra dicti studii ambitum situatis, contiguisque praedictae dominae domui, assignando certum annuum redditum sive censum rationabilem, et prout rei qualitas hoc requiret coniungere cupiat dictae domui suae, de Capituli generalis beneplacito et assensu, dictum Capitulum volens praedictae dominae desideriis iustis complacere, devotionemque quam ad nostrum gerit Ordinem confovere, abbati monasterii Belliprati dicti studii praesentato, necnon ipsius studii provisori sacrae theologiae professori, iniungendo committit quatinus, adhibito et audito graduatorum domus consilio unanimiter inter se discutiant, et consequenter tractent cum domina praedicta de censu annuo super dictam jardinorum portionem quam postulat, ad dictamen proborum virorum perpetuo imponendo, de quo censu praefata domina se obligat, et de facto solvat et respondeat in exonerationem et diminutionem, seu acquittationem plenam XXV librarum parisiensium, annis singulis dicto Capitulo nostrae dominae per scolares dicti studii debitarum.

37. Pensiones et gratias universas factas domino Iohanni de Vineriis, monacho Bullionis, per abbatem et conventum loci, si et in quantum rite procedunt, Capitulum ratificat et confirmat.

38. Condolendum senium et invalitudinem abbatum monasteriorum Igniaci, Longivadi atque Cahercii attendens generale Capitulum, ipsos habet perpetuo a via et accessu Capituli favorabiliter excusatos.

---

[q] Hollandis : *M* ; Holandis : *P*².

39. Reformationem monasterii de Capella Thosan cuius abbas, prout ad generalis Capituli notitiam fide dignis relatibus est deductum, ad tantam dementiam iam devenerit, ut Ordinis instituta et patris abbatis monita vilipendat et contemnat, abbatibus monasteriorum de Dunis, patri abbati loci, de Camberone et de Claromarisco committit in ipsius Capituli et Ordinis plenaria potestate, dans eis auctoritatem ac potestatem in dicto monasterio visitandi, corrigendi, reformandi, statuendi tam in spiritualibus quam in temporalibus, tam in capite quam in membris, quaecumque ibidem visitationis, correctionis seu reformationis beneficio noverint indigere ; et est intentionis Capituli quod reformatio huiusmodi ad expensas reformandi monasterii compleatur.

40. Conceditur abbati Ioyaci quod ipse absolvi possit a casibus generali Capitulo reservatis per quemcumque abbatem de Ordine quem duxerit eligendum.

41. Abbati de Mortuomari committitur quatinus, de et super iniuriis quas frater Almaricus, monachus Boniportus, abbati Belliprati dixisse cognoverit, informatione praehabita, auctoritate Capituli faciat, si et prout fuerit, servato iuris ordine, rationabiliter faciendum.

42. Dispensatur cum fratribus Thoma Damercio, Iohanne Le Mercier et Petro Folie, sacerdotibus monachis monasterii de Voto, propter eorum demerita in ultimo gradu et ordine constitutis, quod ipsi, sine alia gratia, missarum solemnia, ut ceteri de monasterio suo, valeant celebrare.

43. Litteras donationis Gillesonni Hyonne, familiaris et donati monasterii de Bonofonte Remensis dioecesis, si et in quantum rite procedunt, generale Capitulum ratificat et confirmat.

44. Ad petitionem abbatis de Ripatorio, committitur abbati de Fonteneto sacrae theologiae professori, quatinus fratrem Aegidium dicti monasterii de Ripatorio, de monasterio monialium de Marcilliaco, in quo praeter abbatis proprii voluntatem residet, de dicto monasterio monialium abiiciat et expellat.

45. Cum de expresso generalis Capituli mandato, citatus fuerit abbas Alti Christi per abbatem Montis Sanctae Mariae ad praesens generale Capitulum, et ad instantiam de Bellavalle et de Caroloco monasteriorum abbatum, hinc est quod ipsum abbatem Alti Christi praedictum contumacem reputat, et propter

contumaciam excommunicat et excommunicatum denuntiat ab omnibus evitandum.

46. Concordiam, conventionem et pactum factum inter et per dominum Nicolaum Buchet militem, et abbatem ac conventum monasterii de Strata, de solutione quatuor librarum parisiensium fienda de cetero annis singulis illis de Strata per memoratum militem et ipsius successores, si et in quantum omnia et singula in ipsa conventione contenta rite procedunt, confirmat et ratificat Capitulum generale.

47. Instante abbate Fonteneti committitur abbati de Chesiriaco, quatinus citet peremptorie ad anni sequentis futurum Capitulum, videlicet ad secundum diem ipsius, fratrem Iacobum Quarti priorem monasterii de Alpibus, responsurum ad ea quae contra ipsum proponere intendit praedictus de Fonteneto, cum intimatione quod, sive comparuerit sive non, contra ipsum procedetur, prout fuerit rationis.

48. Committitur abbati Prulliaci et provisori studii Sancti Bernardi auctoritas dandi licentiam abbati de Sacro portu, alias de Barbello, auctoritate Capituli generalis vendendi de silvis non caeduis usque ad summam centum francorum auri, si tamen monasterii necessitas hoc requirat.

49. Ad petitionem abbatis de Campis bonis committitur abbati Mansiadae, quatinus ipse per censuram Ordinis compellat et coerceat viriliter abbatem de Bona cumba ad solvendum et reddendum abbati Bonae vallis Ruthenensis summam centum triginta florenorum Capituli, in quibus est obligatus eidem tamquam commissario per Capitulum deputato, ratione arreragiorum per dictum de Bona cumba debitorum, et ipsum abbatem de Bona valle eadem auctoritate compellat per censuram memoratam ad reddendum et solvendum praedictam summam ex integro, praedicto de Bonis campis, cui praedicta summa fuit assignata per dominum Cistercii, ratione stipendiorum eidem debitorum pro tempore quo ipse procuratoris nostri Ordinis in romana Curia officium exercebat, una cum refusione expensarum huiusmodi occasione factarum, prout de iure debito fuerit faciendum.

50. Abbatibus de Bona valle, Viennensis dioecesis, et Mansiadae committit generale Capitulum auctoritatem et plenariam potestatem concedendo licentiam abbati et conventui monasterii Camporum bonorum tradendi ad censum annuum et in emphiteosim perpetuam certas possessiones, terras steriles et eis

inutiles, diminuendi etiam certos census adeo excessivos quod, occasione excessus huiusmodi, terrae remaneant incultae nullum eis commodum afferentes, confirmandi etiam praedicta auctoritate Capituli memorata, papalibus et ordinis statutis, prout commode poterunt, observatis.

51. Informatum generale Capitulum de emendatione sororis Margaritae de Brienna monialis de Valle Vinearum, quae propter incontinentiae vitium, de et super quo ad superiorum praeceptum peregit poenitentiam salutarem, inhabilis reputabatur, eamdem ad omnes actus legitimos Ordinis, nihil excipiendo, habilitat et restituit dictum generale Capitulum, dum aliud canonicum non obsistat.

1395

Anno [a] Domini millesimo trecentesimo nonagesimo quinto statuta sunt haec apud Cisterciùm in Cisterciensis ordinis Capitulo generali.

1. Item *(sic)*, abbates Ordinis universi qui ad praesens generale Capitulum non venerunt, etc. ut in Capitulo generali anni 1391, usque huc : Quatuor etiam primis abbatibus Ordinis, cuilibet in generatione sua, datur potestas plenaria exigendi, levandi et recipiendi dictum duplum modo quo poterunt fortiori [b]. Solos autem et dumtaxat abbates infra scriptos, qui impedimentum seu licentiam habentes huiusmodi de ipsis debitam fidem fecerunt, secundum dicta papalia instituta, ut constat eidem Capitulo, habet ipsum Capitulum inde et super hoc favorabiliter excusatos, scilicet, Cariloci, de Insula Barrensi, de Maceriis [c], de Benedictione Dei in Alvernia, de Aquabella, de Cheminone, de Caroliloco, de Bonoportu, de Regali monte, de Bullencuria, de Brolio, de Alto fonte, de Mortuo mari, de Strata, de Fontemorum, de Valencia, de Trisagio, de Gratia Dei, de Morolia, de Charone, de Castellariis, de Rupibus, de Ripatorio, de Domo Dei, de Septem fontibus, de Loco crescenti, de Alta silva, de Stella,

---

1395. *Fontes* : *J* : 1-58 ; *L*[1] : 1-58 ; *M* : 5, 8, 9 : *P*[2] : 5, 8, 9, 18, 39, 47, 49. *In margina apud P*[2] : Benedicto 13° papatum usurpante ; Iacobo 3° abbate Cistercii 36°. [a] *Titulus apud JL*[1] *tant.* [b] arctiori : *J.* [c] de Bonoportu, de Regali monte, etc. : *J qui sic desin.*

de Loco regio, de Valle regis, de Tribus fontibus, de Curia Dei, de Longoponte, de Ursicampo, de Alta comba, de Cassania, de Caladia, de Vallibus in Ornesio, de Caroliloco, de Bellona, de Rupibus, de Bono radio, de Theoloco, de Bonofonte, de Boheriis, de Fusniaco, de Alta Christa, de Alta ripa, de Capella Tosan, de Bodelo, de Charmeya, de Recluso, de Thela, de Campis bonis, de Prulliaco, de Barbello, de Longo villari, de Valle lucenti, et de Sigilleriis.

2. Cum propter dissentiones et guerrarum turbines, etc., ut in anno 1392 [d] (*stat. n*o 4).

3. Cum Ordo noster Cisterciensis, etc., ut supra in anno 1390 [d] *(stat. n*o *7 ; sed in hoc praesenti anno, contributio imposita est novem millium florenorum)*.

4. Ad requestam reverendi in Christo domini abbatis et conventus monasterii Cistercii, etc. ut supra in anno 1390 [d] *(stat.* 19).

5. Reformationem omnium et singulorum monasteriorum, aliorumque locorum conventualium utriusque sexus, et omnium et singularum personarum nostri Cisterciensis Ordinis, in regnis et dominiis serenissimorum principium dominorum Castellae [e] et Portugalliae regum consistentium, in quibus, prout ad Capituli generalis audientiam pervenit, sunt plurima reformanda, domino abbati Morimundi et abbati quem secum duxerit eligendum, ipsum generale Capitulum committit per immediate praesens et secuturos tres annos, in ipsius generalis Capituli potestate eidem committens et firmiter iniungens dictum Capitulum, quatinus ad ipsa monasteria et loca conventualia et alia personaliter accedant, et ibidem cuiuscumque generationis existant, corrigant, statuant et destituant, visitent et reforment tam in spitualibus quam in temporalibus, tam in capitibus quam in membris, quaecumque in eisdem instituenda, destituenda, statuenda, corrigenda, visitanda et reformanda viderint, secundum Deum, nostri Ordinis et papalia instituta, et generaliter omnia alia et singula gerant, exerceant et faciant circa praemissa, quae

---

[d] *sic abbrev. J* ; *codex L*[1] repetit totum statutum. [e] Aragoniae, Navarrae et Portugalliae regum, ac in provinciis Narbonensi, Auxitanensi, Tholosanensi et Arelatensi situatorum et consistentium, committit gen. Cap. domino Cistercii ad reform. corrig. et ut in forma gen. Cap. ann. 1390 : *P*[2], *sed haec omnia fuerunt cancellata, et deinde addit P*[2] : Domino Morimundi et abbati quem secum duxerit eligendum conceditur informatio per gen. Cap. sicut superius est expressa in gen. Cap. celebrato Cist. in septembri anno Domini 1306.

ad visitatoris et reformatoris officium pertinent et concernunt, invocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis ; et hoc ad expensas praemissorum monasteriorum et ceterorum locorum dicti Ordinis. Quas expensas abbates et abbatissae, ac praesidentes locis praedictis procurent, administrent et solvant dicto domino commissario integraliter sine mora, et ad hoc compelli valeant per ipsum commissarium per censuram Ordinis viriliter et districte. Universis igitur et singulis personis Ordinis in virtute sanctae obedientiae, et sub excommunicationis sententiae poena, commissionis huius tenore, dat idem Capitulum firmiter in mandatis, quatinus in omnibus et singulis supradictis praefatis commissario et reformatori obediant humiliter et devote, ipsique praestent auxilium, consilium et favorem.

6. Cum inter reverendos in Christo patres dominos quondam qui praecesserunt et modernum qui nunc est, abbates et conventum monasterii Cistercii, et praedecessores nobilis viri domini Roberti de Gillans militis et ipsum dominum Robertum dominos proprietarios et possessores cuiusdam grangiae dictae Rolanges sitae prope villam de Gilleyo, cuius ipsi dominus abbas et conventus Cistercii domini existunt, et inter terras, haereditagia ac possessiones dicti monasterii Cistercii fuerint hactenus exortae, et prout sunt, ratione dictae grangiae de Rolanges multae rixae, contentiones, lites et discordiae, proh dolor, horribiliter damnosae ipsis dominis abbatibus et conventui dicti monasterii Cistercii, et nisi de remedio provideatur, praesumitur verisimiliter quod adhuc, quod absit, exorientur in futurum etiam valde graves, sicut pro parte dictorum dominorum abbatis et conventus dicti monasterii Cistercii fuit expositum et assertum coram Diffinitoribus praesentis Cisterciensis Capituli generalis. Praemissis incommodis cupiens, quantum potest, dictum generale Capitulum obviare, ad requestam ipsorum dominorum abbatis et conventus dicti monasterii Cistercii, licentiam et auctoritatem ipsis impertitur et concedit pro magna et evidenti utilitate suae et dicti monasterii Cistercii ac bono pacis ipsorum, ut septem libras turonenses monetas nunc currentis, quas ipsi in villa de Gillans et locis eidem circumvicinis in fructibus, redditibus et censibus percipiunt annuatim cum dicto domino Roberto de Gillans ad supradictam grangiam de Rolanges et quasdam terras, prata et possessiones, ac bona ad eamdem grangiam per-

tinentia, prout iam dictae partes inter se tractasse et concordasse dicuntur, seu prout commode potuerint valeant permutare.

7. Cum abbas monasterii de Eschalleiis anno elapso nuper in Diffinitorum Capituli generalis praesentia sponte recognoverit, confessusque fuerit, se debere realiter domino abbati et conventui monasterii Cistercii quinquaginta francos aureos, ratione arreragiorum certi redditus, de quo tunc agebatur, quos promisit solvere infra annum, propter quod generale Capitulum tunc eidem abbati de Eschalleiis praecepit districtius et iniungit, sub excommunicationis latae sententiae poena, quatinus dictos quinquaginta francos aureos dicto domino Cistercii, vel eius certo mandato, solveret integraliter et complete infra annum tunc immediate postea secuturum ; quod tamen, sicut pro parte dictorum domini abbatis et conventus Cistercii extitit conquerendo monstratum Capitulo generali, nondum complevit, imo nec aliquid inde solvit, hinc est quod ad instantiam dictorum domini abbatis et conventus Cistercii domino abbati monasterii Pontigniaci committendo praecepit dictum Capitulum generale, quatinus, nisi dictus abbas de Eschalleiis per ipsum coram se propter hoc canonice vocandus docuerit se legitime dictos quinquaginta francos aureos, sicut debebat et ei fuerat iniunctum sicut superius exponitur, persolvisse, decernat et declaret dictum abbatem de Eschalleiis propter defectum dictae solutionis excommunicationis sententiam incurrisse, et ipsum excommunicatum publice nuntiet et nuntiari faciat in monasteriis praedictis de Pontigniaco et de Eschalleiis et aliis circumvicinis, prout de et super hoc fuerit requisitus.

8. Virorum illustrium memoria, praesertim apud illos qui eorum beneficia susceperunt, nulla est dierum vetustate delenda, nullo fluxu temporis abolenda. Cum igitur dudum domino Guillemo Curti felicis memoriae cardinali albo una missa alias promissa fuerit perpetua de *Requiem* post eius obitum, per generale Capitulum ex et pro eo quod ecclesiam Sancti Bernardi Parisius collapsam reparavit, quia etiam quinque millia florenorum et quingenta pro emendis redditibus de Alpeto et de Halis Parisius simul et semel misit, quia iocalibus et ornamentis ecclesiam librisque librariam Sancti Bernardi insignivit, redditus etiam pilei eiusdem ecclesiae legavit, de quo redditu tam dicta ecclesia quam Ordo iam ultra quinque millia et trecentos florenos recepit, Capitulum generale statuit, ordinat et diffinit praecipiendo dis-

trictius quatinus, prout iam consuetum extitit, in dicto Sancti Bernardi studio fiat unum solemne anniversarium in die sui obitus, videlicet undecima die mensis iunii, a cetero annuatim perpetuis temporibus cum pitantia sufficienti scolaribus, de et super proventibus ecclesiae solvenda, etiam si aliter dicatur quod factum non fuerit, atque dictum anniversarium in libris gradalibus ecclesiae et aliis annotetur.

9. Cernens [e] generale Capitulum oculis compassionis monasterium monialium de Bouchan [f], nostri Cisterciensis Ordinis, Morinensis dioecesis, in comitatu de Guines et confinibus Calesii situatum, saeviente inimicorum regni procella, aquarum innundationibus et aliis incommodis, quo vix possent brevi narratione describi, ad tantum bonorum spiritualium et temporalium exterminium devenisse, quod ubi solebat esse copiatus personarum Deo famulantium numerus nostris universis tam regularibus quam aliis propter bonorum temporalium inopiam effugatis, una solum monialis cum abbatissa egestate compulsae alibi victus necessaria procurare coguntur. Et quoniam, prout per informationem et relatum fide dignorum ad generalis Capituli notitiam est deductum, omnis resurgendi spes seclusa est, cum locus in quo fuit dictum monasterium situatum propter praetacta innundationum discrimina sit inaccessibilis ipsiusque monasterii redditus annui viginti quatuor francos vix attingat, et idcirco praemissis in debitam considerationem adductis, generalis Capituli providentia ipsum monasterium de Bouchan cum omnibus suis iuribus, redditibus, terris, pratis, possessionibus, bonis mobilibus et immobilibus et aliis quorumcumque nomine censeantur, monasterio monialium de Sancta Columba in Blandeka [g] Ordinis et dioecesis praedictorum unit, annectit et incorporat perpetuo per praesentes. Ita tamen quod missae, anniversaria, ceteraque divini cultus obsequia, quae pro fundatorum et aliorum in dicto loco de Bouchan quiescentium animabus hactenus fieri consueverant et debebant, reiecta negligentia, in dicto monasterio de Blandeka persolvantur de cetero, et ad hoc per dominum Claraevallis patrem abbatem dicti monasterii indissimulate cogantur.

10. Conventiones et pacta inita inter abbatem et conventum monasterii Bonaevallis dioecesis Viennensis, et Stephanum Fetar

---

[e] *forma abbrev. apud MP*[2]. [f] Bonhan : *MP*[2]. [g] Blandelza : *P*[2].

et Iohannetam eius uxorem, dicti monasterii donatorem, prout in instrumento recepto per manum Stephani Robini iurati curiae Viennensis continetur plenius, generale Capitulum confirmat et ratificat, volens ipsum Capitulum dicto instrumento affigi, ad maioris roboris firmitatem huiusmodi confirmationis decretum.

11. Controversiam et querelam abbatis Rigniaci ac fratris Hugonis de Loco crescenti generale Capitulum in tali statu decrevit persistere, donec videlicet dominus Claraevallis, cui dictum Capitulum totale negotium cum emergentibus et dependentiis, per se vel alium terminandi omnimodam potestatem tribuit, ad dictum monasterium valeat se transferre ; et interim dictus frater Hugo in praefato monasterio Rigniaci, si voluerit, tute remaneat, et sine molestia praemissorum occasione quomodolibet inferenda.

12. Cum fratre Desiderio monacho de Insula Barrensi gratiose dispensat generale Capitulum, ut non obstante quod olim iuvenili seductus lascivia nullo prorsus alio crimine diffamatus, habitu tamen regulari reiecto, fere per duos annos cum dimidio et apostatando per duos annos vel circiter, ad omnes actus legitimos, abbatiali dignitate seclusa, valeat promoveri.

13. Ad petitionem abbatis de Insula Barrensi dispensat generale Capitulum cum fratre Humberto monacho suo, qui non obstante quod ipse publice habitu regulari temere deposito ne pro carnis contagio, aliisque criminibus puniretur in Ordine, per saeculum damnabiliter evagaverit, ad habitum regularem per ipsum abbatem restitui valeat, et attenta penuria sacerdotum dicti monasterii divina possit et valeat solemnia celebrare.

14. Quia crescente contumacia crescere debet et poena, et abbas de Alto Cristo, instantibus de Bella valle et de Caro loco monasteriorum abbatibus, anno praeterito propter contumaciam excommunicatus fuerit in Capitulo generali, et in eadem excommunicatione damnabiliter perseveret, ipsum abbatem Alticristi Capitulum praesens aggravat praecipiendo districtius eum ab omnibus evitari.

15. Ad petitionem abbatis et conventus de Loco regio committitur abbatibus de Oliveto et de Pratea quatinus de paupertate et inopia dicti monasterii de Loco regio se informent cum, diligentia quae si tanta fuerit quod ipsius monasterii debita persolvi, et aedificiorum ruinae reparari nequeunt absque venditione viginti arpentorum silvae non caeduae, ipsam venditionem faciendi

auctoritate Capituli generalis et absque alia relatione ipsi Capitulo facienda, licentiam tribuant et concedant, proviso quod pecunia de venditione huiusmodi habita in nullos usus alios quam in debitorum solutionem et aedificiorum reperationem quomodolibet convertatur.

16. Attenta monasterii de Strata excessiva nimium paupertate, contributiones Ordinis a quadraginta annis citra dicto monasterio impositas, de quibus nihil omnino existit, pietatis intuitu moderatur de gratia speciali et reducitur ad summam viginti florenorum solvendorum in duobus annis immediate sequentibus et in terminis consuetis, videlicet quinque florenos in quolibet termino incipiente primo dictarum solutionum termino in instanti festo Resurrectionis dominicae, et secundum in sequenti Capitulo generali, et sic de anno in annum usque ad solutionem completam, absolvendo eumdem et suos officiarios a quibuscumque sententiis ab Ordine latis, ita tamen quod, nisi in praefixis terminis solverint, ut praefertur, in priores sententias relabantur.

17. Informatum ad plenum Capitulum generale de et super commodo provenienti monasterio de Valcellis ex arrendamento seu admodiatione de grangia sua de Cuculla facta abbati et conventui monasterii de Dunis, ipsam admodiationem seu arrendationem iuxta tenorem et formam per dictos abbates initum in praesentia domini Claraevallis, patris abbatis eorum, idem Capitulum ex certa scientia ratificat et approbat, et praesentis confirmationis decretum in tractatu vult affigi.

18. Cum fratre Iohanne Irsuti monasterii Boni portus qui, habitu regulari reiecto, ab Ordine pluries apostatavit, quia tamen de commissis criminibus poenitentiam peregit, prout abbatis proprii rescripto generale Capitulum informatum extitit, ad habitum atque missam ipsum generale Capitulum restituit de gratia speciali.

19. Ad relationem domini Claraevallis cui, quoad hoc omnimoda credulitas adhibetur, abbatem de Dunis senem, guttosum et gravem corpore generale Capitulum habet a via et accessu generalis Capituli, quamdiu vixerit in humanis, benigniter excusatur.

20. Item, ad eiusdem domini Claraevallis relatum, propter causas rationabiles ipsi Capitulo expositas, abbatem de Claromarisco ipsum Capitulum habet a via et accessu Capituli per immediate sequens triennium excusatum.

21. Domino Claraevallis, Lingonensis dioecesis, et abbati Signiaci, et eorum cuilibet in solidum committit generale Capitulum eis iniungendo quatinus, omnes et singulas nostri Cisterciensis Ordinis personas, quas obligatas esse seu teneri repererint abbati et conventui monasterii de Dunis, in quibuscumque pecuniarum summis et rebus aliis, ad satisfaciendum eisdem abbati et conventui de Dunis integraliter et complete per censuram Ordinis, auctoritate dicti Capituli et in eiusdem potestate, coerceant et compellant.

22. Item, dominis Cistercii et Morimundi, Cabilonensis et Lingonensis dioecesum, cum reverentia committit Capitulum generale et eorum cuilibet in solidum quatinus, ipsi vel eorum alter qui primus super hoc fuerit requisitus, coerceant et compellant per censuram Ordinis omnes et singulas nostri Cisterciensis Ordinis personas quas, per testes idoneos seu legitima alia documenta obligatas esse repererint domino Claraevallis et suo conventui, in quibuscumque pecuniarum summis et rebus aliis, quocumque nomine censeantur.

23. Instante domino Pontigniaci districtius iniungitur pro parte Capituli generalis cuicumque abbati Ordinis, qui super hoc fuerit requisitus, quatinus abbatem de Fontemorum et priorem de Pratea citet peremptorie et personaliter et uno edicto pro omnibus, et hoc sub poena excommunicationis latae sententiae et depositionis, ad instans generale Capitulum, videlicet ad secundam diem eiusdem Capituli, responsuri querelis domini Pontigniaci, cum intimatione quod, sive comparaverint sive non, contra ipsos et eorum quemlibet procedetur prout fuerit rationis, eorum contumacia non obstante.

24. Committitur domino Firmitatis auctoritas plenaria compellandi per censuram Ordinis abbatem de Chassegnia ad reddendum et solvendum abbati de Miratorio summam duodecim florenorum, in qua dictus de Miratorio dictum de Chassegnia esse asserit obligatum.

25. Ad requestam domini Claraevallis committitur abbatibus de Moris et de Insula Barrensi cum omnimoda Capituli potestate, quatinus ad certum diem citent personaliter et sub excommunicationis latae sententiae poena, abbatem de Monasteriis in Argona, in loco seu villa de Barro super Albam, et auditis hinc et inde per dominum Claraevallis proponendis et per dictum de Monas-

teriis respondendis, faciant et ministrent complementum iustitiae summarie et de plano.

26. Idem committitur abbatibus de Moris et Bullencuria contra abbatem de Altofonte.

27. Cum prout generali Capitulo revelatum extitit, abbas et monasterium de Brolio quamplurimis sint contributionum arreragiis onerati, ad quorum solutionem se asserunt esse simpliciter impotentes, eorumdem impotentiae generale Capitulum compatiens reducit ad summam triginta florenorum de florenis hinc ad duos annos immediate sequentes solvendorum, videlicet in quatuor terminis ad solutiones contributionum consuetis, quorum primus incipiet in festo Resurrectionis dominicae et adiecta conditione quod in sententias quas incurrerunt, quas relaxat et suspendit generale Capitulum, relabantur nisi solverint in terminis.

28. Cum fratre Roberto de Novo castro, monacho de Caroliloco, per generale Capitulum dispensatur quod, non obstante apostasia quam incurrit, assumi valeat ad omnes actus Ordinis legitimos, abbatiali dignitate seclusa.

29. Cum fratribus Thoma de Lacrote et Petro de Sancto Aegidio Novaevillae, monachis de Voto, dispensat generale Capitulum super apostasia quam incurrerunt, quatinus, eadem non obstante, assumi valeant ad omnes actus Ordinis legitimos, secluso abbatiali honore.

30. Abbati de Bello prato committitur quatinus, de nonnullis domibus, terris et vineis, de quibus abbas et conventus Mortuimaris petierunt a Capitulo licentiam eisdem tradendi in emphiteosim, se informet cum diligentia si traditio huiusmodi, processu temporis, posset in commodum monasterii redundare, et referat sequenti Capitulo generali.

31. Domino Claraevallis committitur auctoritas omnimodo dispensandi cum fratribus Aegidio Gaulier, Aegidio Joseph, et Hugone de Assonevilla, monachis de Cambrone, super apostasia per eosdem contracta, restituendi etiam eos ad actus Ordinis legitimos, dum eorum merita suffragentur.

32. Super incontinentia et apostasia per fratrem Petrum de Betancour, monachum de Longoponte, perpetratis, dispensatur per Capitulum quod, ipsis non obstantibus, ad omnes actus Ordinis legitimos citra abbatiatum, suis exigentibus meritis promoveri valeat et assumi.

33. Ad habitum et missam restituitur per generale Capitulum frater Richardus de Senardans, monachus Loci crescentis, et cum eo dispensatur super irregularitate contracta divina in apostasia celebrando.

34. Committitur abbati de Moris quatinus abbatem de Ripatorio ad solvendum et reddendum Girardo de Longo campo summam novem francorum et duorum grossorum, si ratio hoc exigit, per censuram Ordinis viriliter et indissimulate coerceat et compellat.

35. Ad petitionem abbatissae et conventus monasterii de Bellovisu continentem in substantia quod, cum ipsae percipere consueverunt annuatim super terris et redditibus cuiusdam loci nuncupati vulgariter de Alneto manus tenentium et possidentium locum ipsum, videlicet septem sextarios bladi ad mensuram Magduni, tres videlicet frumenti et quatuor siliginis, de quo dictae supplicantes nihil vel modicum recipiunt, eo quod terrae loci remanserunt incultae et redditus plurimum diminuti. Et Robertus Sachenat, dominus et possessor dicti loci de Alneto, eisdem supplicantibus velit in recompensationem dictorum septem sextariorum tradere in escambium seu permutationem unum pratum quod vocatur de Chappes, quod plus valet quam septem sextarii memorati. Committit generale Capitulum de Oliveto et de Nigro lacu monasteriorum abbatibus quatinus de praemissis se informent, et auctoritate Capituli in praesenti faciant quidquid ad commodum dicti monasterii de Bellovisu cognoverint faciendum.

36. Attenta impotentia virium senioque condolendo abbatis de Loco regio, ipsum a via et accessu Capituli generalis de cetero favorabiliter habet excusatum.

37. Cum sorore Iohanna de Molenbaix, moniali monasterii de Pratis iuxta Duacum, dispensat generale Capitulum quod non obstante suspicione et accusatione puerperii, de quibus convicta non extitit, nisi quia in loco quem frequentare consueverat, repertus fuerit infantulus qua de causa perterrita quasi per biennium apostatavit, ad omnes gradus Ordinis, abbatiali honore secluso, exigentibus meritis processu temporis assumatur.

38. Orta inter abbates monasteriorum de Balerna et de Bullione querela de et super bonis mobilibus, quae abbas de Balerna dicebat et asserebat dictum de Bullione a monasterio de Balerna, de quo prius monachus fuerat deportasse, in hunc modum extitit terminata videlicet, quod cassatis et annullatis cunctis

obligationibus et litteris huiusmodi materiam tangentibus, praesensque arrestum et ordinationem praecedentibus, dictus abbas Bullionis infra quindecim dies computandos a praesentis Capituli recessu, vel quam primum fuerit requisitus, in manus dicti de Balerna iurare teneatur quod omnia et singula bona mobilia, per ipsum a dicto de Balerna monasterio deportata, fideliter et in conscientia revelabit, et de ipsis satisfaceret integraliter et complete.

ORATIONES [h].

39. Pro Sanctissimo in Christo patre ac Domino Domino Benedicto divina Providentia Papa XIII [i] nunc universalem Ecclesiam gubernante [j] et pro dominis nostris cardinalibus, et specialiter pro domino Cardinali Saluciarum Ordinis nostri benevolo protectore, pro dominis primatibus, patriarchis, archiepiscopis, episcopis, abbatibus, abbatissis et pro religiosis omnibus Ordinum quorumcumque, dicantur tres missae, una videlicet de Spiritu Sancto, altera de Sancta Maria, tertia de Beata Virgine in singulis monasteriis Ordinis universi.

40. Pro serenissimo domino nostro Carolo rege Francorum et domina regina consorte sua, pro dominis ducibus et ducissis Aureliani, Bituricensi, Burgundiae, et Borbonii et omnium praedictorum dominorum liberis ac nobili prole, et pro nobili sanguine Franciae, et omnibus regibus et reginis, ducibus et ducissis, comitibus et comitissis, baronibus et baronissis, ac omnibus aliis nobilibus et dominis fidelibus in pace et unitate Sanctae Matris Ecclesiae existentibus, dicantur tres missae, una videlicet de Spiritu Sancto, altera de Sancta Cruce, et tertia de Beata Virgine, a singulis sacerdotibus Ordinis universi.

41. Pro burgensibus, mercatoribus et laboratoribus et maxime benefactoribus Ordinis universi, ac universo populo christiano in pace et unitate Sanctae Matris Ecclesiae constituto, dicatur una missa de Spiritu Sancto in singulis monasteriis Ordinis universi.

42. Pro felicis et inclitae recordationis dominis quondam nostris Philippo, Iohanne et Carolo regibus Francorum, et regi-

---

[h] *hic titulus apud* JL^1 tant. [i] *cf. in initio huius anni nota ex* P^2. [j] etc.: P^2 *qui sic desin.*

nis eorum consortibus ultimo defunctis, pro dominis ducibus et ducissis Burgundiae ultimo defunctis, ac praedecessoribus eorum, pro dominis comite et comitissa Flandriae, et domina comitissa Atrebatensi ultimo defunctis, et praedecessoribus eorum universis, et pro omnibus et singulis baronibus, baronissis et aliis nobilibus defunctis, pro religiosis omnibus et maxime professis Ordinis nostri, et pro omnibus benefactoribus nostris et aliis fidelibus defunctis, dicantur tres missae de *Requiem* a singulis sacerdotibus Ordinis universi.

43. Pro pace et unitate Sanctae Matris Ecclesiae, dicantur tres missae de *Pace*, in singulis domibus Ordinis universi.

DIFFINITIONES SPECIALES [k].

44. Domino Morimundi committit generale Capitulum ut diligenter inquirat an et qualiter in utilitatem monasterii de Battent prope Bisuntinum cedere possit venditio furni cuiusdam dicti monasterii situati infra civitatem praedictam in vico de Pustiis, quem nullius aut modicae utilitatis esse praetendunt abbatissa et conventus dicti loci, propter impossibilem apud eas reparationem illius necessario requisitam, et compertam super hoc utilitatem, proximo generali Capitulo referat, vel domino Cistercii facturo vice et auctoritate eiusdem Capituli, quod ei visum fuerit rationabiliter faciendum.

45. Pensata correctione tam voluntaria quam iniuncta, qua frater Iohannes de Violanis, monachus Longipontis, iuveniles coercuit impulsus, quorum agitatione monasterium exivit, regularem reliquit habitum trium septimanarum spacio, mulierem suspectam in monasterium introduxit, cum eodem fratre nunc dispensat generale Capitulum quatinus, hiis non obstantibus, ad actus omnes, gradus, voces, dignitates etiam abbatialem, assumi valeat et admitti.

47. Supplicationi abbatis de Frigido monte benigniter annuens, generale Capitulum dispensat misericorditer nunc cum fratribus Iohanne de Belvaco et Nicolao de Villeribus monachis suis, ut non obstante quod noctem unicam habitu regulari derelicto foris monasterium permanserint, propter quod carceris poenam sustinuerunt mensibus duobus humiliter et devote, ad actus om-

---

[k] *hic titulus apud JL[1] tant.*

nes Ordinis legitimos, voces, gradus, officia, dignitates, etiam abbatialem, ipsorum exigentibus meritis assumantur.

48. De Oliveto et de Nigro lacu monasteriorum abbatibus, committit generale Capitulum ut si monasterio de Pratea, profuturam cognoverit permutationem grangiae de Villeta ad dictum monasterium pertinentis, pro viginti quinque arpentis pratorum et quinque modiatis terrae pertinentibus ad abbatem et conventum monasterii de Exolduno, una cum aliis quibusdam exonerationibus seu commodis pro parte dictorum de Exolduno concedentibus et oblatis permutationem ipsam ratificent, confirment et approbent, auctoritate Capituli generalis.

49. Domino Cistercii committit generale Capitulum ut secundum compertam aut comperiendam informatione praevia possibilitatem monasterii de Pratea gratiam seu remissionem de contributionibus faciat abbati dicti monasterii quantum decreverit, in plenaria dicti Capituli potestate.

49. Quia citatus ad praesens Capitulum frater Iacobus Quarti, monachus et dudum prior de Alpibus, minime comparuit sufficienter vocatus et expectatus usque ad extremam diem dicti Capituli, ipsum fratrem Iacobum contumacem reputans generale Capitulum excommunicat in hiis, mandans eumdem per quemlibet super hoc requisitum abbatem Ordinis excommunicatum publice nuntiari.

50. Committit generale Capitulum abbati de Campis bonis ut, si traditionem domus Equi albi situatae in civitate Vivariensi pertinentis ad monasterium Mansiadae, factam per abbatem et conventum dicti loci Guillelmo Borrelonis civi Vivariensi sub annuo censu dicto monasterio fructuosam et utilem fore cognoverit, informatione debita praecedente, conventiones et tractatus factos super hoc inter praedictas partes, auctoritate Capituli generalis ratificet et confirmet.

51. Cum fratre Laurentio de Murecello, monacho Maceriarum, ut non obstante apostasia quam incurrit evagando per saeculum, ibidemque in habitu saeculari remanendo per annum cum dimidio, vel circiter propter quod iniunctam sibi poenitentiam sustinuit et peregit humiliter, ad actus omnes, voces, gradus et officia, seclusa dignitate abbatiali, admitti possit, nunc dispensat generale Capitulum ad supplicationem abbatis et conventus monasterii supradicti.

52. Fratrem Iohannem Pasqueren, monachum de Stella, qui

per menses circiter duos apostatavit sicque celebrando notam incurrit irregularitatis, propter quod iniunctam sibi poenitentiam sustulit humiliter, absolvit generale Capitulum dispensando nunc cum eodem super irregularitate praedicta, utque ad actus omnes, voces, gradus et officia possit assumi, dignitate tamen abbatiali seclusa.

53. Abbati Prulliaci committendo mandat generale Capitulum quatinus, factis tractatibus inter dominum abbatem et conventum Pontigniaci et abbatem et conventum de Barbello super commutatione quarumdam domus et vinearum desertarum modici proventus, situatarum in villa et territorio Antissiodorensi, pertinentium ad monasterium praedictum de Barbello, pro equivalenti redditu seu pecunia ad emendum magis prope dictum monasterium de Barbello tradendo vel tradenda pro parte dictorum de Pontigniaco in recompensationem et valorem dictarum domus et vinearum, diligenter inquirat ac utilitate partium utrarumque, et quidquid de et super hoc in veritate compererit, referat sequenti Capitulo generali.

54. De Castellariis et de Moroliis monasteriorum abbatibus eorumque cuilibet committit et praecipit generale Capitulum quatinus, si abbatem de Gratia Dei compererit teneri domino Claraevallis vel fratri Iohannem de Ormeto, monacho suo, in viginti octo francos concessos per ipsum fratrem Iohannem fratri Nicolao Syram monacho et scolari dicti monasterii de Gratia Dei, ad requestam et de consensu abbatis eiusdem, abbatem ipsum de Gratia Dei coerceat ad solutionem dictorum viginti octo francorum, per censuram Ordinis in plenaria dicti Capituli potestate.

55. Ut inquirat et referat sequenti Capitulo generali an monasterio Trium Fontium utile sit grangiam suam de Ramières tradi Perrineto, dicto Besançon, ad vitam suam sub censu annuo, committit generale Capitulum domino Claraevallis.

56. Ut cum fratribus Petro de Menis et Guillelmo de Sancto Amando, monachis de Rupibus, super apostasia quam incurrerunt evagando per saeculum, super quo poenitentiam egerunt condignam, dispensare valeat dominus Pontigniaci, ipsosque a sententiis absolvere consentientibus abbate et conventu dicti monasterii de Rupibus, eidem domino Pontigniaci committit Capitulum generale.

57. Abbati Mansiadae committit generale Capitulum, ut si

traditio banilis monasterii et pertinentis Silvae benedictae factae per abbatissam et conventum dicti monasterii nobili viro Armando de Meseras ad vitam suam, pro stipendiis consuetis, utilis ipsi monasterio visa fuerit, secundum discretionem et conscientiam suam, ipsam traditionem ratificet et confirmet, auctoritate Capituli generalis.

58. Certis et rationabilibus causis permotum Capitulum generale ad proximo futurum Capitulum citat, et per quemlibet super hoc requirendum abbatem de Ordine citari mandat peremptorie et personaliter et sub excommunicationis latae sententiae, necnon et depositionis ad abbatiali dignitate poenis, dominum Gallum abbatem Grandis silvae coram Diffinitoribus dicti proximi Capituli, ad secundum diem ipsius, responsurum ad obiicienda et proponenda contra ipsum pro parte dictorum Ordinis et Capituli, et ulterius processurum quod et prout fuerit rationis.

1396

Anno [a] Domini millesimo trecentesimo nonagesimo sexto statuta sunt haec quae sequuntur apud Cistercium in Capitulo generali.

ORATIONES [b].

1. Pro sanctissimo in Christo patre [c], *etc. ut in anno praeced. stat.* 39.

2. Pro serenissimo domino Carolo, *etc. ut in anno praeced. stat.* 40.

3. Pro burgensibus, *etc. ut in anno praeced. stat.* 41.

4. Pro felicis et inclitae, *etc. ut in anno praeced. stat.* 42.

5. Pro pace et unitate, *etc. ut in anno praeced. stat.* 43.

6. Item, abbates Ordinis universi, qui ad praesens generale Capitulum non venerunt, etc., ut supra in praeced. Capit. general. quemadmodum in anno 1390 (*stat.* 4). Nota quod nomina abbatum excusatorum in libro omissa sunt.

1396. *Fontes* : *J* : 1-51 ; *L*[1] : 1-51 ; *M* : 8, 13, 14, 31, 33, 35, 41, 50, 51. *P*[2] : 1, 7, 8, 13, 14, 31, 33, 35, 41, 42, 50, 51. *W* : 52. [a] *Titulus apud, JL*[1] *tant. Apud P*[2] *haec leguntur in margina* : Benedicto 13° antipapa, Iacobo 3° abbate cistercii 36. [b] Orationes fiunt ut in praeced. Cap. gen. : *J*. [c] *P*[2] *addit nomen Papae* : Bonifacio IX ; *apud L*[1] *haec statuta (*1-6) *iterum fuse recitantur.*

7. Pro Cistercio [a].

Generale Capitulum confirmat, approbat et per se statuit, aliis si quae forsan sint, ipsius Ordinis institutionibus contrariis, non obstantibus quibuscumque, ordinationem salubrem et devotam, imo verius hoc negotio diligentius perpensato, quam ad supplendos suspectos defectus et negligentias in, de et super celebrationibus multiplicum missarum in anniversariis ac aliis certis et quandoque singulis et continuis diebus pro plurimis nobilibus et aliis devotis personis utriusque sexus, quae propter hoc multos annuos et perpetuos redditus et alia multa bona temporalia mobilia et immobilia Cisterciensi monasterio successive temporibus retroactis piissime contulerunt, per quondam dominos abbates et conventum dicti Cisterciensis monasterii concessarum, promissarum et ordinatarum, et etiam ad abundantiorem honorem Domini nostri Dei, cultus etiam augmentum, aedificationem populi, et exercitium salutare personarum ipsius monasterii, cum non, ut in Ordinis exordio nostri, tantum corporalibus laboribus occupentur, reverendus in Christo pater, qui nunc est dominus abbas et conventus dicti monasterii Cisterciensis sancte pro defunctis cogitantes, unanimiter et concorditer fecerunt et constituerunt perpetuis temporibus duraturam, ut videlicet in dicto monasterio Cisterciensi in altari maiori, solemniter per conventum alta voce singulis diebus privatis et aliis, quibus non erant seu sunt vel erunt per et secundum Ordinis nostri statuta, vel alia causa duae missae regulariter in conventu, alta voce in ipso monasterio celebrandae et hoc cum alias ante statuta et ordinata ordinarieque debita missa quotidiana conventuali, celebretur etiam anniversarium cantando missam unam pro defunctis, sicut in omnibus fere cathedralibus et collegiatis, ac etiam regularibus aliorum Ordinum ecclesiis observatur, et a longitimis tantisque temporibus, quod de contrario memoria non existit hominum devotius existit observatum, exceptis tamen diebus inter et per octavas festorum Nativitatis dominicae et Resurrectionis eiusdem, ac etiam Pentecostes.

8. Ad supplendum defectus, si qui fuerint, et negligentias forsan habitas in, de et super celebrationibus multiplicum missarum in et pro anniversariis et aliis certis, et quandoque singulis et continuis diebus, pro nobilibus et aliis devotis pluribus personis

[a] *hic titulus apud J tant.*

utriusque sexus, quae propter hoc multos annuos et perpetuos redditus et alia bona temporalia mobilia et immobilia monasteriis Ordinis successive temporibus retroactis piissime contulerunt, per quondam abbates et conventus dictorum monasteriorum humillime concessarum, promissarum et ordinatarum; et etiam ad abundantiorem honorem Domini nostri Dei et cultus eius augmentum, ac aedificationem populi, exercitiumque salutare personarum Ordinis, cum, non ut in ipsius Ordinis exordio tantum in corporalibus laboribus occupentur, sancte pro defunctis cogitans Capitulum generale, salubriter et devote statuit, ordinat et diffinit ut perpetuis temporibus in omnibus et singulis Ordinis nostri monasteriis, maxime maioribus, et praesertim in quibus sunt, vel esse possunt, erunt vel esse poterunt duodecim monachi sacerdotes ac in aliis etiam ubi commode fieri poterit, in maioribus altaribus solemniter per conventus ipsorum alta voce, singulis diebus privatis, et aliis quibus non erunt per et secundum Ordinis statuta vel alia causa duae missae regulariter alta voce in conventu in ipsis monasteriis celebrandae simul et hoc cum alias ante statuta, ordinata et ordinarie debita alta voce missa quotidiana conventuali celebretur etiam anniversarium, et cantetur una missa pro defunctis, sicut in omnibus fere cathedralibus et collegiatis et etiam regularibus aliorum Ordinum observatur, et a longissimis et tantis temporibus, quod non est contrarii memoria extitit devotius observatum, exceptis tamen diebus inter et per octavas festorum Nativitatis Dominicae et Resurrectionis eiusdem ac etiam Pentecostes.

9. Contributio [e]. — Cum noster Ordo Cisterciensis specialiter, expresse et iuste domino abbati et conventui monasterii Cistercii ac ipsi monasterio Cistercii in viginti quinque millibus quadringentis octoginta et octo florenis aureis, tribus grossis argenteis, etc. ut supra in Cap. gen. celebrato ann. 1391 [f] (*stat.* 2).

10. Ad cogendum debitores [g]. Ad requestam reverendi patris domini abbatis et conventus monasterii Cistercii, etc., ut supra in eodem Capitulo anni 1391 (*stat.* 4 ; *seu ann.* 1390, *stat.* 19).

11. Pro scolaribus [h]. Praebere materiam intendens, felicis recordationis dominus Benedictus Papa XII quod in Ordine nostro

---

[e] *hic titulus apud J.* [f] *sic abbrev. J ; textus integer apud L*[1]. [g] *hic titulus apud J ; ita et abbreviatio decreti quod integrum legitur apud L*[1]. [h] *hic titulus apud J, qui etiam abbrev. statutum.*

per sacrae theologiae studium, etc. ut habetur in Capitulo generali celebrato anni 1390 (*stat.* 14).

Quas [i] sententias abbates supradicti iam per multos annos lapsos sustinuerunt, et adhuc, proh dolor, sustinent, animis induratis, imo de sententiis ipsis videntur omnimode non curare. Capitulum igitur generale praemissis horrendis malis non valens aliter obviare, nec super ipsis de remediis necessariis aliter commodius providere, dominis Cistercii, Firmitatis, Pontigniaci, Claraevallis et Morimundi monasteriorum abbatibus ac provisori et cellerario studii Sancti Bernardi Parisius, et eorum cuilibet in solidum, committendo praecipit benigniter et iniungit pro moderno et futuris temporibus irrevocabiliter, quatinus per se vel per alium seu alios ad hoc idoneos, cogi et compelli supplicent, procurent et faciant per iustitias, curias et iurisdictiones, iudices ac officiarios alios, potentiam et brachium serenissimi domini nostri Regis Franciae, ac aliorum excellentissimorum dominorum regum ac dominorum nobilium ducum, comitum et baronum, ac aliorum saecularium dominorum, omnes et singulos culpabiles, ut praemittitur, qui nunc sunt, et illos si qui, quod absit, fuerint temporibus futuris, ad solvendum omnes et singulas emendas et poenas pecuniarias supradictas, quas incurrerunt et incurrent in futurum, et ad faciendum, complendum et perficiendum omnia et singula supradicta in dictis papalibus et Ordinis statutis contenta, ac ad redeundum humiliter ad gremium, unitatem et communionem Ecclesiae matris nostrae, et hoc per captionem, detentionem, exploitationem et venditionem bonorum mobilium abbatum et conventuum ac monasteriorum praedictorum, et per omnem alium modum, prout iuste fieri poterit et debebit, et hoc etiam ad expensas totaliter abbatum et conventuum ac personarum culpabilium praedictarum.

12. Reformatio monasteriorum Castellae [j]. Reformationem omnium et singulorum monasteriorum [k], *etc., ut in anno* 1395, *stat.* 5.

13. Nonnullorum ambitiosorum de Ordine damnandos impetus, qui repromissae paupertatis propriaeque salutis immemores, ad honores et status, non expectata vocatione divina, inhiantes, ad Curiam romanam, nedum per alios, sed etiam in propria

---

[i] *haec clausula de cod. L[1] depromitur.* [j] *hic titulus apud J.* [k] *integer extus apud JL[1].*

persona accedentes, honestatem Ordinis dehonestant, formosa deformant, dum iuxta Iheremiae vaticinium in capite omnium platearum dispersi suorum monasteriorum bona idolo vanitatis immolant, quaerendo promotiones importune, vulpinose et temere, electos Ordinis et personas idoneas, scientificas et graduatas, exquisitis fraudibus perturbando, et interdum nequiter diffamando, refrenare cupiens Capitulum generale et ad rationis limites revocare, universos et singulos monachos Ordinis, qui culpabiles in praemissis processu temporis reperti fuerint, ex nunc non solum ad petita beneficia per ipsos, verum etiam ad petenda de cetero et etiam obtinenda quaevis alia Ordinis officia inhabiles fore ipsum Capitulum statuit, ordinat et diffinit. Abbates etiam propriis monasteriis non contenti in et super hoc delinquentes pro depositis habeantur ; patribus abbatibus et procuratori Ordinis in romana Curia dans ipsum Capitulum firmiter in mandatis, quatinus omnes et singulas personas in, de et super hiis culpabiles atque reas citent et evocent ad Capitula generalia, visuros et auditturos declarationes fieri de praemissis ultionibus, ac ad procedendum acrius contra ipsos, si negotii qualitas hoc requirat.

14. Quia viri in gradibus ac scientia prae ceteris eminentes sunt in favoribus, licentiis et gratiis rationabiliter attollendi, generale Capitulum universis et singulis sacrae theologiae professoribus concedit favorabiliter et indulget, quatinus monasteria monachorum eisdem ad visitandum commissa, iuxta sibi factae concessionis tenorem visitare valeant, absque eo quod abbatem accessorem evocare vel secum habere, nisi voluerint, teneantur.

15. Cum Ecclesia non claudat gremium redeunti, et frater Petrus Fortonis, monachus monasterii Montispetrosi, propter alimentorum defectum de praesenti cum parentibus commorans cupiat ad monasterium reverti, ibique repromissum Domino reddere famulatum, abbasque suus eidem renuerit ingressum, committitur abbati Bonae Vallis, Viennensis dioecesis, quatinus auctoritate Capituli generalis compellat et coerceat abbatem Montispetrosi praedictum, ad recipiendum dictum fratrem Petrum monachum, ad providendum eidem in victu, vestitu aliisque necessitatibus consuetis, et eadem auctoritate dictum fratrem Petrum ad missam, cucullam, gradum pristinum et ordinem processu temporis restituat, dum tamen sua merita suffragentur.

16. Attenta monasterii de Leoncello excessiva nimium paupertate guerrarum turbinibus aliisque incommodis, quibus dictum monasterium diutius existit incredibiliter flagellatum, quotam contributionum sibi et suo monasterio anno praeterito impositam nunc solvendam, de speciali gratia quittat et remittit Capitulum generale, attentoque dicti abbatis condolendo senio ipsum habet a via et accessu Capituli de cetero excusatum.

17. Perpensa fide dignorum relatu desolatione monasterii de Wastina, committit generale Capitulum domino Claraevallis ut eidem monasterio per dispersionem conventus vel alias provideat, quemadmodum expedientius iudicaverit secundum exigentiam loci et personarum, in plenaria Capituli potestate.

18. Cum prout ad generalis Capituli notitiam est deductum, pro promotione abbatissae Bonaecumbae Sancti Pauli in romana Curia existit diutius litigatum, quo tempore negotiis existentibus in turbido, inque regulae mensura vel ordine a monasterio praedicto quam plurimo fuerint hinc et inde distracta, et maxime plures litterae obligatoriae, quittatoriae, recognitoriae, terreriae et aliae ex quarum distractione multa monasterii iura deperdita fuerunt, et quotidie perduntur in corpore pariter et in membris, Capitulum generale mandat, iniungit et praecipit universis et singulis personis Ordinis, abbatibus, prioribus, monialium patribus seu confessoribus, procuratoribus, aliisque quocumque officio fungentibus, qui super hoc fuerint requisiti, requirit etiam alios qui de Ordine non fuerint, quatinus in dicto monasterio Bonaecumbae Sancti Pauli aliisque locis circumvicinis, universas et singulas personas utriusque sexus regulares et saeculares, in dicta distractione culpabiles conscias, canonica monitione praemissa, excommunicent et aggravent excommunicatos et aggravatos diebus dominicis et festivis, campanis pulsantibus et candelis extinctis publice denuntient, et ad ulteriora procedant, iuxta sanctiones canonicas et Cisterciensis Ordinis instituta.

19. Ad petitionem abbatis et conventus monasterii de Eleemosina, Carnotensis dioecesis, committitur abbati de Oliveto auctoritas et potestas plenaria compellendi, per censuram Ordinis et alia iuris remedia, abbatissam et conventum monasterii monialium de Claretis, Cenomanensis dioecesis, ad reddendum et solvendum certum redditum annuum in villa vocata de Firmitate Bernardi dictis de Eleemosina debitum, ut asserunt, faciendique in, de et super praemissis principali et accessoriis,

arreragiis, dependentibus et connexis, brevis et plenae iustitiae complementum.

20. Cum monasterium de Eleemosina, Carnotensis dioecesis, propter guerrarum turbines, aedificiorum ruinas, expensas factas in promotione monasterii abbatis eiusdem, tam in romana Curia quam alibi, sit diversis creditoribus multipliciter obligatum, ad quorum satisfactionem, nisi per venditionem certae portionis de silvis dicti monasterii non caeduis asserunt esse simpliciter impotentes, abbati de Oliveto, licentiato in Decretis, generale Capitulum in plenaria potestate committit, quatinus quam primum poterit, de praemissis se informet cum diligentia, et si habita informatione repererit non posse praemissis incommodis utiliori modo provideri quam per venditionem praefatam, abbati et conventui dicti monasterii det et conferat licentiam vendendi de suis silvis usque ad summam quae trecentas turonenses libras non excedat, servatis in praemissis et singulis papalibus et Ordinis institutis.

21. Ad petitionem ecclesiae, priorissae, ceterarumque monialium monasterii Vallisbrissiaci continentem quod, cum ipsae habeant in loco de Capriliis quamdam domum sive quoddam tenementum cum nonnullis possessionibus, videlicet terris et vineis modicum fructum afferentibus eisdem, tam propter distantiam loci quam aliter, propter quod dicta domus cum pertinentiis paulatim devenerit ad ruinam, ex eo quod necessitate compulsae de proborum et peritorum consilio ipsam domum cum petinentiis accensaverunt certis personis et in emphitheosim perpetuam tradiderunt, prout in tractatu sive instrumento inde confecto plenius continetur, abbati monasterii Bonaevallis, Viennensis dioecesis, per generale Capitulum et in ipsius plenaria potestate committitur potestas confirmandi et approbandi assensamentum praefatum per informationem in, de et super praemissis habitam et habendam, negotium in commodum monasterii redundare cognoverit et absque relatione fienda in sequenti Capitulo generali.

22. Committitur abbati de Savigniaco potestas plenaria dispensandi auctoritate Capituli generalis cum fratribus Roberto Gebbani, Iohanne Durandi, Iohanne Gomard, et Laurentio Piperis, monachis de Trappa, restituendi etiam ipsos vel eorumdem alterum ad gradus, administrationes et officia, eorum suf-

fragantibus meritis ac de voluntate conventus monasterii et assensu.

23. Domino Morimundi committit generale Capitulum in plenitudine potestatis, quatinus tractatum sive instrumentum publicum, per abbatem et conventum monasterii de Vallibus in Ornesio, Tullensis dioecesis, de et super admodiatione seu traditione ad vitam certarum possessionum confectum, si ipsum in commodum monasterii redundare cognoverit, servatis papalibus et Ordinis institutis et sine relatione fienda sequenti Capitulo, approbet, ratificet et confirmet.

24. Tractatum habendum inter dominum Castribelini et abbatem et conventum monasterii de Roseriis, de et super commutatione cuiusdam grangiae seu tegulariae monasterii ad alios redditus utiliores monasterio, generale Capitulum in omnimoda potestate domino Cistercii reverenter committit.

25. Domino Firmitatis committitur in Capituli generalis omnimoda potestate, auctoritas inquirendi, si tractatus habitus inter abbatem et conventum monasterii Chassaniae de et super quibusdam possessionibus, terris, pratis, nemoribus, stagnis et vineis, censibus pecuniaris, cum aliis redditibus, de et super quo in praesentia notarii publici tractatum inierunt, ut praefertur, possit ad monasterii commodum confirmari; quod si repererit ita esse, licentiam eisdem concedat de dicta permutatione fienda, vel alias ipsis inhibeat si hoc cognoverit monasterii detrimentum.

26. Deducto per fide dignos ad Capituli generalis auditum, quod abbas monasterii Fontis Iohannis suppriorem monasterii Sacrae cellae per potentiam saecularem nititur voluntarie carceribus mancipare, quod honestati Ordinis et institutis regularibus eiusdem obviare videtur, volens igitur Capitulum super hoc de remedio congruo providere, controversiam et querelas inter abbatem et suppriorem praedictos motas et movendas, domino Pontigniaci, sacrae theologiae professori, committit fine debito terminandas, inhibens dicto abbati districtius ne dictum suppriorem coram alio tractare seu alibi aliter molestare praesumat.

27. Petitionem abbatis et conventus monasterii Rigniaci admittit ad exauditionis gratiam generale Capitulum in substantia continentem, quod cum in civitate Antissiodorensi habeant quamdam domum, super qua recipere solebant annis singulis

tredecim libras turonenses, pro occasione cuius redditus praefatae domus ipsis quittata existit et est fere inutilis de praesenti, nam cum ipsis pro praefatae domus reparatione, quae ruinam minatur, non supportant facultates, et cum hoc eis vertatur in dubium, si reparationes forent tutae cum admortificatae non fuerint, nec sperent admortificationem huiusmodi obtinere, liceat eisdem de generalis Capituli licentia vendere dictam domum.

28. Cum monasterium de Rigniaco in territorio de Chableis et alibi certas possessiones steriles et a quadraginta annis incultas habeat, nullum omnino commodum afferentes, quas libenter traderent cultoribus excolendas praehabita Capituli licentia, domino Pontigniaci, sacrae theologiae professori, conceditur plenaria dandi abbati dicti monasterii licentiam accensandi et in emphiteosim tradendi possessiones praefatas, concurrente voluntate conventus et statutis papalibus et Ordinis observatis.

29. Ad petitionem abbatissae et conventus monasterii monialium de Claromarisco, Remensis dioecesis, continentem quod suum olim monasterium foris civitatem adeo est in domibus et aedificiis demolitum, quod in eo lapis super lapidem non remansit, ecclesia dumtaxat, quae ruinas minatur consimiles, et hoc occasione guerrarum et ordinationem civium Remensium, qui in recompensationem pulcherrimam domum infra muros civitatis situatam, in qua nunc moram trahunt, concesserunt et donarunt, committitur domino Claraevallis sacrae theologiae professori, quatinus viso personaliter et oculata fide dicti monasterii negotio, si ad reparationes prioris monasterii dictas moniales impotentes esse cognoverit, praecedente fundatorum loci beneplacito, det et concedat dictis monialibus licentiam transferendi dictam ecclesiam de loco priori coniungendam domui, in qua nunc morantur priusquam dicta ecclesia ulterius ruinetur.

30. Abbates monasteriorum de Alto fonte et de Montepetroso necnon fratres Iohannem dictum Bullin de Abicuvilla, monachum de Vallibus in Ornesio, Dominicum de Henlari priorem et procuratorem, Iohannem dictum Monior de Morleyo et Germanum de Lineyo, monachos monasterii de Escureyo, ex officio domini Cistercii citatos peremptorie et personaliter apud Cistercium ad praesens Capitulum generale, videlicet ad diem secundam ipsius Capituli coram dicto domino Cistercii ac ceteris Diffinitoribus, ad obiicienda et proponenda contra eos pro parte dictorum domini Cistercii et Diffinitorum, vocatos, et de benignitate

Capituli usque ad diem sequentem expectatos, non comparentes per se vel alium ad hoc idoneum, generale Capitulum, exigente eorum contumacia, excommunicat in hiis scriptis, et excommunicatos prout sunt, per suos patres abbates et alios quoscumque de partibus illis publice nuntiari praecepit, et ab omnibus evitari.

31. Cum, prout generali Capitulo expositum extitit, abbas et conventus monasterii de Dunis pia consideratione permoti, ut creditur, cupientes divini cultus obsequia pro viribus augmentare, claustrales et ceteros ipsius cultus pondera sustinentes per amplius animare, de bonis et redditibus monasterii per ipsos noviter acquisitis, hebdomadariis et ministris tam missae conventualis quam aliarum missarum, unicuique certam distributionem de unanimi omnium consensu dari et assignari perpetuis temporibus ordinaverunt inter se, sano freti [1] consilio, ut asserunt, de et super quo licentiam a praesenti Capitulo una cum confirmationis beneficio petierunt. Domino igitur Cistercii per se vel alium in omnimoda potestatis plenitudine reverenter committit, quatinus in, de et super huiusmodi negotio faciat, informatione praehabita, quod secundum rationis ordinem erit possibile faciendum.

32. Abbati de Alpibus per Capitulum generale committitur quatinus de et super negotio, pro quo abbas Altaeripae eidem Capitulo supplicavit, se informet, et referat domino Cistercii vel sequenti Capitulo generali.

33. Quoniam, ut beatus testatur Augustinus, nil melius est quod vel animo geramus, vel ore promamus, vel exprimamus calamo, quam Deo gratias, hoc enim nec dici brevius nec audiri laetius nec intelligi gratius, nec agi fructuosius quidquam potest ; hae sunt enim, ut ait sapiens, summae intentiones cum a mortalibus Deo gratiae peraguntur, in omnibus, inquit Apostolus, gratias agentes Deo, quod facere maxime decet fideles, super inenarrabili beneficio quod in sacramento altaris largitor gratiarum Christus Dominus noster seipsum nobis donans affluentissime nos replet omni munere gratiarum ; quod attendentes multi populi nationum dum sacerdos in praefatione missa salubriter eos monet dicens : *Gratias agamus domino Deo nostro*, tunc genua sua humiliter flectunt, quidam se inclinant profundius et devote,

[1] fieri : *M*.

scandalizati fere quod similia non faciunt nostri Ordinis professores ; ad hoc igitur evitandum scandalum praecipit et iniungit generale Capitulum universis et singulis personis Ordinis nostri, ut deinceps, dum sacerdos in praefatione *Gratias agamus Domino Deo nostro* proferet, sicut ad *Gloria Patri* in suis sedibus profunde se capitibus discoopertis inclinent humiliter et devote.

34. Domino Cistercii committit generale Capitulum ut, secundum compertam vel comperiendam, informatione praevia, possibilitatem monasterii de Pratea gratiam seu remissionem de contributionibus faciat abbati dicti monasterii, quantam decreverit, in plenaria dicti Capituli potestate.

35. Cum illustris miles dominus Franciscus dominus Mallebetti fervore devotionis accensus, a suorum progenitorum clara propagine non degenerans, qui semper ad monasterium Bonae vallis, Viennensis dioecesis, fuerit inter imo et supra nobiles alios de partibus illis in devotione praecipui, in charitatis unione concordes, in amicitia favorabiles, ac in eleemosinis liberales, cupiat et affectet progenitorum ipsorum ac parentum [m] ossa in claustro dicti monasterii inhumata, infra oratorium seu ecclesiam transferre, videlicet in capella sancti Benedicti vacante nec a quoquam occupata, et suam ipsius in eadem extrema mansionis eligere sepulturam. Attendens generale Capitulum dicti domini devotionem, annuit ut abbas dicti monasterii Bonaevallis laudabile dicti domini desiderium in hac parte compleat, concessurus eidem militi, si requisierit super hoc sub sigillo principis vel notarii publici signo litteras sive cartam.

36. Domino Claraevallis et abbati de Bullencuria, eorumque cuilibet, committit generale Capitulum ut si abbatem de Monasteriis in Argona repererint teneri seu obligatum esse Iohanni Clerc de Cuiz in quinquaginta francis, ipsum abbatem per censuram Ordinis compellant vel compellat eorum alter, ad solutionem dictorum quinquaginta francorum, in plenaria Capituli potestate.

37. Domino Cistercii et abbati de Moris, eorumque cuilibet, committit generale Capitulum ut omnes et singulas Ordinis personas, quas obligatas esse seu teneri repererint domino Claraevallis et eius conventui in quibuscumque pecuniarum summis aut rebus aliis, ad plenariam et debitam satisfactionem per cen-

[m] praesentium : *MP*[2].

suram Ordinis, auctoritate Capituli generalis coerceant et compellant.

38. Domino Claraevallis et abbati Signiaci, eorumque cuilibet, ad idem committit generale Capitulum pro abbate et conventu de Dunis.

39. Viarum discriminibus et senio gravitateque personali abbatis de Insula Barrensi compatienter attentis, generale Capitulum ipsum abbatem habet a via Capituli, si et quoties ad ipsum accedere commode non valuerit, benigniter excusatum. Ad idem de abbate Sancti Benedicti in Vepria. Ad idem de Barberyo. Ad idem de Cheminone.

40. Committit generale Capitulum domino Claraevallis ut, si pro monasterio de Moris fructuosum fore cognoverit peciam quamdam prati valoris sexaginta solidorum annuatim vendi Gerardo scutifero ad suam et Guillelmi eiusdem filii duntaxat vitam, venditionem ipsam auctoritate Capituli ratificet et confirmet.

41. Generali Capitulo seriose exposuit abbas de Sancto Andrea de Gouferno, quod ipsum monasterium plures possidet terras et hereditagia steriles et infructuosas, quae si saecularibus traderentur ad censum perpetuum, plurimum fructum dicto monasterio redderent et commodum, committit Capitulum generale abbati Savigniaci quatinus super praemissis sese diligenter informet, et quod super huiusmodi terrarum et heriditagiorum traditione repererit ad utilitatem dicti monasterii fieri posse, assensum praebente conventu dicti loci, faciat auctoritate et in plena dicti Capituli potestate ratificet, approbet et confirmet.

42. Ut vendendi de silvis non caeduis usque ad summam trecentorum francorum licentiam praebere possit abbas Savigniaci priorissae et conventui de Villaribus Queniveti, committit eidem abbati generale Capitulum, dum tamen hoc exegerit monasterii necessitas, et tractatus praecesserit, ut est moris.

43. Querimoniam abbatis dicti Andreae de Fonservo audiens generale Capitulum asserentis, quod quamvis pro pretio septuaginta quinque solidorum turonensium annui et perpetui redditus, abbati et conventui de Tironnello certam portionem terrae, dictus tamen abbas de Tironnello ipsam septuaginta quinque solidorum summam ei minime concederit solvereque recusat, quia nullas super huiusmodi traditione litteras asserit factas esse. Abbati de Persenia committit idem generale Capitulum quatinus

si, per informationem debitam, repererit dictos abbatem et conventum de Tironello ad dictam summam septuaginta quinque solidorum pro dicta terrae portione teneri, ipsos ad illius solutionem compellat per censuram Ordinis auctoritate Capituli memorati.

44. Abbati de Alneto committit generale Capitulum ut, si abbatem de Valle Richerii compererit per litteras aut documenta legitima teneri et debere abbati de Sancto Andrea viginti francos, ipsum ad eorum solutionem coerceat per censuram Ordinis, in plena dicti Capituli potestate.

45. Abbati Prulliaci committit generale Capitulum quatinus diligenter inquirat, an ad utilitatem monasterii de Barbello cedat nonnullas eiusdem terras, vineas, prata et possessiones alias ad dictum monasterium spectantes, sub annuo perpetuoque censu tradi, et sequenti Capitulo referat seriose, tractatu etiam conventus non omisso, quidquid super hoc pro dicti monasterii utilitate cognoverit expedire.

46. Super eo conquestus est generali Capitulo abbas Quinciaci quod assumptus dudum ad abbatiam Vallis lucentis frater Iohannes de Alacrimonte, proprius abbas dicti monasterii Quinciaci, multa bona ipsius dimissi monasterii secum tulit ad monasterium Vallis lucentis praedictum quae reddere differt aut recusat abbas eiusdem modernus ; quocirca domino Pontigniaci committit generale Capitulum, ut si per informationem debitam compererit ita esse, et ipsa bona monasterii Quinciaci versa fuisse in usum et utilitatem Vallis lucentis, abbatem dicti loci et eius officiarios viriliter et debite per monitiones, sententias et aliter per censuram Ordinis ad illorum bonorum seu valoris eorum restitutionem coerceat, in plenaria dicti Capituli potestate.

47. De Altaripa et de Bono monte monasteriorum abbatibus committit, praecipit et iniungit generale Capitulum quatinus diffinitivam sententiam alias per eos vel eorum praedecessores commissarios Capituli generalis latam contra abbatem et conventum de Thela, ad utilitatem abbatis et conventus de Altacrista, super manutentione cuiusdam aquaeductus, prout in dicta sententia plene contineri vidit idem Capitulum, executioni debitae demandent, dummodo prius eisdem de desertione seu invitatione appellationis pro parte dictorum de Thela pridem interiectae constiterit, ipsosque abbatem et conventum de Thela ad explementum dictae sententiae, necnon ad solutionem ex-

pensarum per praedictos commissarios taxatarum, coerceant et compellant per Ordinis censuram, auctoritate dicti Capituli generalis.

48. Reformationem monasterii de Benedictione Dei, in quo per visitatorum negligentiam, regulares observantias quasi prorsus absorptas et abolitas esse relatum est generali Capitulo, committit idem Capitulum domino Morimundi cum omnimoda ipsius Capituli potestate et clausulis ac modis ut in forma [reformationis].

49. In virtute sanctae obedientiae, et sub excommunicationis latae sententiae poena, abbati de Altocristo praecipit et iniungit generale Capitulum quatinus infra Natale Domini proximo venturum domino Claraevallis satisfaciat integraliter in omnibus in quibus ipsum constat dicto domino Claraevallis obligatum, alioquin elapsa die praefixa dictae excommuniationis sententiae poenam noverit irretitum.

50. Inauditum scelus crimenque nefandissimum, quod undecima die septembris novissime lapsa in domo Cisterciensi Divionensis villae perpetravit frater Petrus de Castellione, quondam abbas Pontisthiefridi Metensis, invadendo videlicet gladio munita manu, et atrociter in faciem, quam revereri debuerat, vulnerando reverendissimum in Christo patrem dominum Iacobum abbatem Cistercii, praesidentem Capituli generalis, totiusque Ordinis huius caput et dominum principalem, sciens et veraciter agnoscens, ipsum generale Capitulum tum ex principali contuitu rei gestae, tum ex dicti fratris Petri confessione spontanea ultro fatentis et publice quod gladium absque vagina sub habitu detulerat, ut praedictum dominum Cistercii perimeret et etiam dominum Morimundi, memoratum generale Capitulum habita deliberatione matura, in nomine Domini, praedictum fratrem Petrum de Castellione praesentem in iudicio per diffinitivam sententiam propter expressum superius flagitium iudicat in hiis scriptis, et condemnat ad panem doloris et aquam tristitiae, districtam carceris clausuram, manicas ferreas, compedes et perpetua vincimina catenarum.

51. In nomine Domini Amen. Visis et diligenter inspectis processibus huius causae motae, videlicet inter reverendum patrem dominum Iacobum abbatem Cisterciensem, Cabillonensis dioecesis, et fratrem Girardum de Fonteneto, asserentem se abbatem monasterii Clarifontis dicti Ordinis, Bisuntinensis dioe-

cesis, visis quoque testium pro utraque parte productorum depositionibus seu attestationibus, et aliis quae de iure videnda fuerant, quaeque nostros movere poterant et debuerant animos, nos Diffinitores Capituli generalis, eiusdem Capituli in nomine, Deum prae oculis habentes, per sententiam nostram diffinitivam, quam auctoritate Apostolica nobis in hac parte commissa ferimus in hiis scriptis dicimus, pronuntiamus, et declaramus dictum fratrem Girardum iuste, rite et sancte secundum Ordinis ipsius constitutiones fuisse et esse per dictum dominum abbatem Cistercii ab officio et dignitate abbatiali depositum, tamquam de sodomiae nefando crimine convictum. Quapropter nos eiusdem domini Cisterciensis approbantes sententiam, ipsum fratrem Girardum perpetuis mancipandum carceribus, ad agendum perpetuam poenitentiam, pane doloris et aquae tristitiae sustentandum, ut commissa mala defleat et flenda non committat ulterius, condemnamus. Locum nihilominus misericordiae et gratiae, si quando promeruerit illius compunctio, reservantes, et praedicto domino abbati Cisterciensi adiudicamus expensas in hoc pro parte sua legitime factas, sibi per dictum fratrem Girardum, vel eius fideiussores seu cautores debere refundi [n], ipsarum taxatione per dominos abbates Morimundi et Fonteneti prius facta, quam ex nunc eisdem auctoritate qua supra committimus faciendam.

52. Ad dirimendas lites inter monasteria Lubens et Novam cellam, abbates de Porta et de Veteri cella a Capitulo generali diriguntur.

1397

Anno [a] Domini millesimo trecentesimo nonagesimo septimo statuta sunt haec in Capitulo generali Cistercii celebrato.

ORATIONES.

1. Pro sanctissimo in Christo patre domino domino Benedicto divina Providentia Papa XIII nunc universalem Ecclesiam gubernante, *etc. ut in anno praeced.*

---

[n] deffundi : *M.*

1397. *Fontes* : *J* : 6-58 ; *L*¹ : 1-58 ; *M* : 32, 47, 49 ; *P*² : 1, 9, 10, 32, 33, 47, 49. [a] *Titulus apud JL*¹ ; *in margina P*² : Benedicto 13° antipapa, Bonifacio 9° vero papa.

2. Pro serenissimo domino nostro Carolo, *etc. ut in anno praeced.*

3. Pro burgensibus, *etc. ut in anno praeced.*

4. Pro felicis et inclitae recordationis, *etc. ut in anno praeced.*

5. Pro pace et unitate, *etc. ut in anno praeced.*

[DIFFINITIONES] GENERALES

6. Abbates Ordinis universi qui ad praesens generale Capitulum non venerunt, etc. ut in anno 1390, usque ad : solos autem et dumtaxat abbates infra scriptos qui impedimentum seu licentiam habentes huiusmodi, de ipsis debitam fidem fecerunt secundum dicta papalia instituta, ut constat eidem Capitulo, habet ipsum Capitulum in, de et super hoc favorabiliter excusatos, videlicet, de Tribus Fontibus, de Thela, de Valcellis [b], de Monasteriis in Argona, de Altofonte, de Laude, de Valle clara, de Bonofonte, de Bodelo, de Capella [de] Tosan, de Charmeya, de Boheriis, de Fusniaco, de Ursicampo, de Loco crescenti, de Gratia Dei, de Valle crescenti, de Precibus, de Villa nova, de Veteri villa, de Pietate, de Charitate, de Tironello, de Brolio Grolandi, de Trisagio [c], de Valle lucenti, de Barbello, de Domo Dei super Carum, de Altacumba, de Stamedio, de Sancto Laurentio, de Rupe, de Signiaco, de Esclancio, de Alto Christo, de Bonomonte, de Caroloco, de Septem Fontibus, de Fonte Morum, de Pinu [d], de Castellariis, de Misericordia Dei, de Caricampo, de Valleriis, de Voto, de Eleemosina, de Mortuo mari, de Bono portu, de Valle Beatae Mariae, de Regalimonte, de Frigidomonte, de Bello becco, de Fulcardimonte, de Briostello, de Bonoradio, de Longoponte, de Ripatorio, de Bullencuria, de Lucella, de Longovillari, de Valloliis, de Belloprato.

7. Contributio [e]. — Cum Ordo noster Cisterciensis, etc. ut supra anno 1391 (*stat.* 2).

8. Ad cogendum debitores. — Ad requestam reverendi patris domini abbatis et conventus monasterii Cistercii, etc. ut supra anno 1390 (*stat.* 19).

---

[b] etc. : *J, qui sic desin.; apud* L^1 *decretum totum transcribitur.* [c] Petrisagio : L^1. [d] Pigini : L^1. [e] *titulus apud J qui abbrev. ; textus integer apud* L^1*. Item de stat.* 8.

SPECIALES

9. Abbati monasterii de Calercio ipsum, tenore statuti praesentis, peremptorie et canonice mandat, praecipit et iniungit Capitulum generale, in virtute sanctae obedientiae et sub excommunicationis latae sententiae poena, quatinus infra triginta dies post diem notificationis praesentis diffinitionis sibi factae immedite secuturos, quorum triginta dierum decem primos pro primo, decem secundos pro secundo, et decem reliquos pro tertio et peremptorie termino ac monitione canonica idem Capitulum assignat eidem abbati per praesentes, mittat et solvat per se vel per alium reverendissimo in Christo patri ac domino domino cardinali Saluciarum, in aliqualem deductionem pensionis sibi per Ordinem debitae, vel dicto suo nuntio per eum ad hoc specialiter deputato seu deputando, cum expensis suis aut ipsarum contributionum vel Ordinis, prout fieri debebit mediante ratione, totum et quidquid idem abbas de Calercio recepit et pro contributionibus Ordinis ubicumque fuerit retroactis temporibus, quod non solvit vel restituit aut tradidit reverendo in Christo patri domino abbati Cistercii vel receptoribus aliis, per dictum Capitulum ad hoc specialiter deputatis. Alioquin dictis triginta diebus elapsis nisi praemissa fecerit, et in ac super hoc paruerit cum effectu, dictus abbas de Calercio ipsum propter hoc ex nunc pro tunc in hiis scriptis excommunicat idem Capitulum generale, nisi tamen causam seu causas praetendere, proponere et allegare voluerit idem abbas de Calercio, propter quam seu quas ad praemissa compelli non debeat, et praemissa contra ipsum fieri non debeant. Ad quam seu quas habet et voluerit praetendendas, proponendas et allegandas, citat [f] ipsum abbatem de Calercio dictum Capitulum generale per praesentes peremptorie coram dicto reverendo in Christo patre domino abbate monasterii Cistercii, ad diem ultimam dictorum triginta dierum, eidem, ut praemittitur, assignatorum seu assignandorum nisi fuerit feriata, alioquin ad primam diem post immediate sequentem non feriatam et iuridicam, praedictas causam seu causas praetensurum, propositurum et allegaturum, et alias ulterius in et super hoc et praemissa tangentia processurum et facturum, procedi et fieri visurum prout et quod fuerit rationis. Praesentem autem diffinitionem,

---

[f] *hic incip. P*^{2}, *et abbrev.*

sub dictae excommunicationis in eumdem abbatem monasterii de Calercio latae sententiae poena, praecipit idem Capitulum per praesentes, si tradita sibi fuerit eius portitori per eumdem indilate reddi ipsius copia, si voluerit habere, tradita prius sibi; et de die receptionis eius per dictum abbatem idem Capitulum certificari competenter et dictum dominum Cistercii, si et prout super hoc fuerit requisitus per eiusdem portatorem.

11. Abbatem et conventum de Albaripa et personas omnes et singulas ipsius conventus hortatur et monet generale Capitulum peremptorie et canonice, tenore statuti praesentis, eis in virtute sanctae obedientiae et sub excommunicationis latae sententiae in ipsum abbatem et in singulares personas dicti conventus poena, praecipiens et iniungens quatinus infra quindecim dies post diem notificationis praesentis statuti sibi factae, seu faciendae, immediate secuturos, quorum quindecim dierum quinque primos pro primo, quindecim secundos pro secundo et reliquos quinque pro tertio et peremptorio termino et monitione canonica eis assignat dictum Capitulum per praesentes, mittant ad studium Sancti Bernardi Parisiense ac in eodem continue teneant, quod damnabiliter nimium distulerunt, unum monachum scolarem cum bursa et provisionibus debitis et statutis per papalia et Ordinis instituta; alioquin, dictis quindecim diebus elapsis, nisi praemissis paruerit cum effectu, ipsos abbatem et praedictas singulares personas conventus dicti monasterii de Albaripa propter hoc ex nunc pro tunc excommunicat in hiis scriptis idem Capitulum generale, nisi tamen causam, etc., ut in forma praedicta de Calercio [g].

12. Cum reverendus in Christo pater dominus abbas et conventus monasterii Cistercii, ad causam ipsius monasterii ex iusto et legitimo titulo habeant ius accipiendi et percipiendi annuatim perpetuo, super thesaurum serenissimi principis domini nostri regis Franciae Parisius centum libras turonenses annui et perpetui redditus admortificatas in termino festi Omnium Sanctorum, de et pro quibus multa arreragia pro multis transactis annis, quae arreragia debentur ipsis religiosis, et de ipsis arreragiis propter multa alia onera eidem thesauro incumbentia et de quibus est oneratus, dicti dominus abbas et conventus dicti monasterii Cistercii nihil potuerunt habere vel percipere, nec habituros pro

[g] *sic apud J, qui abbrev. Textus integer apud L*[1]. *Textum abbrev. praebet P*[2].

futuro se multum sperant. Quapropter habuerunt colloquia per procuratores et amicos suos cum dominis thesaurariis dicti domini nostri regis, et sperant, Domino concedente, quod finale cum ipsis tractabunt et concordabunt, si placet dicto domino regi, in modum qui sequitur quod, mediantibus et pro mille libris turonensibus vel alia rationabili summa, quae tradentur et solventur realiter et sine dilatione per ipsum dominum nostrum regem pro valore dictarum centum librarum turonensium annui et perpetui redditus, de quibus mille libris vel de maiori summa, si habeant simul vel per patres dicti religiosi dominus abbas et conventus dicti monasterii Cistercii poterunt acquirere redditus annuos vel hereditagia quaecumque usque ad dictam summam centum librarum turonensium annui et perpetui redditus, extra tamen feuda et altam iustitiam. Et dictus dominus noster rex tenebitur concedere et permittere, ac inde suas litteras authenticas dare, quod dicti religiosi dominus abbas et conventus dicti monasterii Cistercii tenebunt et possidebunt perpetuo et pacifice dictas centum libras turonenses annui et perpetui redditus, vel alios redditus seu hereditagia usque ad earumdem valorem admortisatas et tanquam rem admortisatam, absque eo quod ipsi religiosi aut eorum successores cogi valeant per ipsum dominum regem vel suos officiales aut alios quoscumque dimittere vel ponere extra potestatem et manus ipsorum religiosorum et ipsius monasterii Cistercii, et etiam absque eo quod propter hoc dicti religiosi vel sui successores debeant et teneantur seu cogi possint solvere vel tradere aliquam financiam dicto domino nostro regi vel suis gentibus, ex contemplatione dicti domini nostri regis, affectandis dictum suum thesaurum de talibus redditibus deonerare, ac propter utilitatem maximam dicti sui thesauri praedicti dominus abbas et conventus dicti monasterii Cistercii pro se et suis successoribus ac monasterio cedent, tradent, concedent et transportabunt dicto domino regi dictas centum libras turonenses annui et perpetui redditus, quas accipiunt et percipiunt super dictum thesaurum cum omnibus et singulis arreragiis ipsarum eisdem debitis de et pro toto tempore retroacto, usque ad diem datae praesentium litterarum. Capitulum igitur generale praemissa omnia et singula diligenter considerans et attendens, concedit, quantum potest, dictis domino abbati et conventui dicti monasterii Cistercii licentiam et auctoritatem omnia supradicta concordandi, concedendi et faciendi,

prout superius sunt expressa, vel alio modo prout discretionibus eorum videbitur faciendum et poterunt concordare.

13. Querimoniis gravibus et infestationibus longaevis multorum abbatum et conventuum monasteriorum Ordinis nostri dicentium, se dictaque sua monasteria plurimum a principio et retroactis temporibus fuisse praegravatos, et multo magis nunc continue propter decrementum et diminutiones, ac in multis locis fere totales destructiones et adnullationes, ob videlicet sterilitates temporum, guerrarum turbines, paupertates colonorum, ac multas alias dolorosas censuum, fructuum, reddituum et proventuum ipsorum monasteriorum ruinas gravari et opprimi, inde et pro taxatis et impositis olim eisdem et dictis suis monasteriis, etiam dum multum, valde plus tunc quam nunc in temporalibus bonis et redditibus abundabant, nimis et ultra debitum modum, excessivis quotis partibus et portionibus contributionum generalium Ordinis et ipsius Capituli generalis, quae diversis ex causis quamvis rationabilibus fuerunt hactenus impositae et annis singulis imponuntur per ipsum Capitulum generale. Compatiens idem Capitulum, et eisdem pro viribus super hoc cupiens providere, statuit, ordinat et diffinit, quod abbates et conventus monasteriorum Ordinis nostri quorumcumque et ipsa monasteria, qui et quae videlicet ad maiores et grandiores trium librarum pro quibuslibet mille libris dictarum contributionum quotas portiones seu summas ad, et propter hoc taxati et impositi, seu taxata et imposita fuerunt et sunt, non debeant nec teneantur solvere nec solvant, de et pro dictis eos et sua monasteria contingentibus et concernentibus contributionibus Ordinis per dictum generale Capitulum hactenus singulis annis praeteritis impositis, quas videlicet debite non solverunt, vel de et super quibus cum domino abbate qui nunc est monasterii Cistercii, aut praedecessoribus suis abbatibus Cistercii, vel eorum aut alterius ipsorum aut eiusdem Capituli super hoc deputatis commissariis forsan non concordarunt, et etiam de, ac pro ipsis contributionibus de cetero ex nunc per ipsum Capitulum usque ad quinque annos immediate subsecuturos imponentur, in, de et pro singulis annis nisi per hunc modum qui sequitur, videlicet quod quilibet abbas et conventus cuiuslibet monasterii et ipsum monasterium quolibet Ordinis nostri quid et quod ad maiores, ulteriores et graviores trium librarum pro mille libris dictarum contributionum quotas, summas seu portiones ad, et

propter hoc, taxati et impositi, taxatum et impositum fuerint et sunt, debeant ac teneantur solvere ac solvant solummodo et dumtaxat de, et pro singulis mille libris contributionum Ordinis impositis, temporibus praeteritis et imponendis usque ad dictos solummodo quinque annos in, de et pro singulis annis dicti quinquennii tres libras monetae ipsius Capituli generalis ad quam, de qua, et secundum quam solitum est dictas contributiones solvi, nec ad maiorem hoc praedicta moderata ac minori trium librarum pro quibuslibet mille libris dictarum contributionum valeant summam cogi, licet ad maiorem forsan hac praedicta summam vel quotam seu portionem taxata et imposita fuerint monasteria supradicta. Cetera autem monasteria Ordinis, quae ad maiores trium librarum pro quibuslibet mille libris summas, quotas seu portiones, ad propter et super hoc taxata et imposita fuerunt et sunt, in illis antiquis et solitis suis quotis, taxis et impositionibus remaneant sicut prius, et quoad ipsa talia monasteria nihil super hoc aliud quam prius statuitur, mutatur et innovatur. Vult etiam, ordinat, statuit et diffinit idem Capitulum, astallans arreragia dicta contributionum adhuc per abbates et conventus quoscumque monasteriorum Ordinis quorumcumque, et per monasteria pro praeteritis temporibus debitarum, videlicet in hunc modum, quod abbas et conventus ac personae cuiuslibet monasterii dicti Ordinis qui, ut praemittitur, super hoc non concordarunt, solvere debeant et teneantur ac solvant, de et pro dictis arreragiis dictarum contributionum, ipsos et sua dicta monasteria concernentes et contingentes, per eos adhuc debitarum singulis immediate sequentibus annis infra festum Resurrectionis dominicae receptoribus ipsarum contributionum, usque ad plenariam solutionem ipsarum, secundum et iuxta moderamen earum supra dictum, et hoc sub excommunicationis latae sententiae poena, et etiam sub aliis poenis contra non solventes dictas contributiones Ordinis, inflictis statutis et promulgatis per papalia statuta ac per dictum Capitulum generale decem libras, et cum hoc nihilominus solvere quotas et portiones contributionum annis singulis in futurum per ipsum generale Capitulum imponendarum, temporibus et terminis super hoc statuendis. Sententias autem excommunicationum et alias poenas quas abbates Ordinis, quicumque officiales et ceterae personae monasteriorum Ordinis quorumcumque propter defectum solutionis dictarum contributionum in, de et pro praeteritis annis et

temporibus impositarum, statutis terminis non solutarum, forsitan incurrerunt, tollit et movet, ac ipsos abbates, officiales et personas a dictis sententiis et poenis absolvit cum eisdem super irregularitatibus et inhabilitatibus, si quas incurrerunt propter hoc, quantum potest misericorditer dispensans in hiis scriptis per tenorem huius statuti, dictum Capitulum generale.

14. Venditionem, cessionem et quittationem quas fecerunt abbas et conventus monasterii de Maceriis, Cabillonensis dioecesis, cuiusdam domus cum suis iuribus et pertinentiis ad dictum eorum monasterium pertinentis, sitae apud Voonam prope Nuciacum, abbati et conventui monasterii de Buxeria Aeduensis dioecesis, attendens generale Capitulum praedictis de Maceriis et de Buxeria fore utiles et fructuosas, confirmat, ratificat et approbat secundum super hoc confectarum litterarum seriem et tenorem.

15. Abbatissae et conventui monasterii monialium de Insulis, prope Antissiodorum, tradendi unam plateam sitam in praedicta civitate, in burgo Sancti Lupi, continentem circiter quinque toisias in longum et duas cum dimidia in latum, contiguamque maceriae Martini de Brignon ex una parte, et domum quam tenet Guillelmus Tribaulot ex alia, sub annuo censu quinque solidorum Stephano Villani procuratori in curia domini Ballivi Senonensis, licentiam impertitur Capitulum generale.

16. Cum fratre Iohanne Loisel, monacho monasterii Caricampi, misericorditer dispensat Capitulum generale, ut non obstante apostasia quam damnabiliter per spatium quatuordecim annos vel circiter per saeculum evagando, habitu regulari temere derelicto, noscitur incurrisse, poenitentiamque humiliter peregisse pro hoc culpa, ad omnes actus legitimos, voces et Ordinis officia quaevis, citra tamen abbatialem dignitatem valeat promoveri.

17. Informatum sufficienter generale Capitulum de et super nonnullis criminibus et excessibus per fratrem Petrum Castini, monachum monasterii Altae Cumbae, in quadam grangia ipsius monasterii perpetratis, abbati monasterii Bonae vallis, Viennensis dioecesis, committitur ut super eisdem, informatione per ipsum abbatem praehabita diligenti, praefatum fratrem Petrum, si sua exegerint demerita, eumdem de praedicta grangia expellat et ad praedictum suum monasterium de Alta Cumba remittat, ibidem recepturum pro demeritis ultionem.

18. Domino Pontigniaci et abbati de Fonteneto, ac eorum

cuilibet, committit generale Capitulum ut abbati et conventui monasterii de Escharleiis quamdam domum et unum arpentum vineae, sitas in villa et finagio de Brauches, tradendi sub censu perpetuo, dummodo huiusmodi traditio monasterio praedicto cedat ad commodum, auctoritate Capituli generalis licentiam conferant, seu eorum alter conferat et liberam potestatem.

19. Ut non obstante defectu natalium, quem patitur frater Iohannes Corriart, monachus monasterii de Bona Requie, ex solutis parentibus genitus, ad omnes actus legitimos, voces et Ordinis officia valeat promoveri generale Capitulum benigniter admittit et concedit.

20. Cum sororibus Emelina de Trambleto et Iohanna Laguiote, monialibus monasterii de Monte Beatae Mariae prope Provinum, misericorditer dispensat generale Capitulum, quae instigante diabolo humani generis inimico deprehensae fuerunt in contagio carnis et convictae, puerperio inde subsecuto, ut ad omnes actus Ordinis legitimos, dignitate abbatiali semota, valeant promoveri.

21. Dispensat misericorditer generale Capitulum cum fratre Iohanne de Furno, monacho monasterii de Noa, ut non obstante quod de carnis contagio fuerit convictus, ad quaevis Ordinis voces, administrationes et officia, citra tamen abbatialem dignitatem, promoveri valeat et assumi.

22. Non obstante apostasia quam incurrerunt Petrus de Magnavilla, Guillelmus de Parisius, et Petrus de Roseto, monachi monasterii Mortuimaris, in saeculo per spatium trium mensium vel circiter vagando, ut ad omnes actus legitimos, voces et Ordinis officia promoveri valeant, cum eisdem dispensat generale Capitulum, secluso tamen abbatiali honore.

23. Ut cum fratre Stephano Clarin, monacho monasterii de Eschalleiis cum una muliere in ipsius monasterii dormitorio deprehenso, et de furto convicto, de et super quibus per dimidium annum poenam carceris humiliter sustinuit, abbas Fonteneti valeat dispensare, ut ad omnes actus Ordinis legitimos, voces, gradus et officia, citra tamen abbatialem, si dicti fratris Stephani suffragentur merita, dicto abbati generale Capitulum auctoritatem et licentiam impertitur.

24. Cum fratre Iohanne dicto Morborum, monacho monasterii Belli prati Tullensis dioecesis, dispensat generale Capitulum, ut non obstante apostasia quam per spatium unius anni vel circiter

evagando per saeculum incurrit, ad omnes actus legitimos, voces gradus et Ordinis officia, citra tamen abbatialem, valeat promoveri.

25. Domino Morimundi committit generale Capitulum ut si, informatione debita praecedente, repererit abbatem et conventum monasterii de Escureyo, non absque unius ipsarum domus cum pertinentiis in villa et finagio de Columbeyo Lafosse sitae summam sexdecim librarum turonensium valentis annuatim, vel alterius membri praedicti valoris usque ad quatuordecim annos impignoratione posse creditoribus dicti monasterii satisfacere praedictam impignorationem, prout utilius iudicaverit auctoritate dicti Capituli licentiam largiatur.

26. Attenta meditatione pensans generale Capitulum, assignationem de quatuordecim libris parisiensibus per abbatem monasterii de Sacracella suo conventui pro suo vestiario super redditibus et aliis certis bonis ipsius monasterii, eisdem per aliquos Christi fideles ad hoc specialiter erogatis, fore iustam et consonam rationi, idem Capitulum praedictam assignationem et litteras in, de et super hoc confectas secundum earumdem seriem et tenorem confirmat, ratificat et approbat.

27. Ut non obstante quod absque licentia de carceribus et monasterio de Curia Dei, frater Iohannes Monachi, monachus dicti monasterii, exierit, possit ad omnes actus legitimos et Ordinis officia, citra tamen abbatialem, assumi, dispensat generale Capitulum cum eodem.

28. Reformationem omnium et singulorum monasteriorum et locorum conventualium sexus utriusque in Bituricensi, Lemovicensi, Pictaviensi, Lucionensi, Malleacensi, Turonensi et Xantonensi dioecesibus constitutorum, absque patrum abbatum praeiudicio, magistro Iohanni nunc de Oliveto, licentiato in decretis, et de Pratea monasteriorum abbatibus, et eorum cuilibet in solidum, cum multa sint, prout ad dicti generalis Capituli pervenit audientiam, in dictis partibus et monasteriis reformandis, usque ad immediate sequens triennium dumtaxat, committit Capitulum generale praecipiens eisdem commissariis ac iniungens dictum Capitulum, quatinus ad ipsa monasteria personaliter accedant, et ibidem cuiuscumque generationis existant, corrigant, statuant, instituant et destituant, visitent et reforment tam in spiritualibus quam in temporalibus, tam in capitibus quam in membris, quaecumque in eisdem instituenda et destituenda, sta-

tuenda et corrigenda, visitanda et reformanda, viderint secundum Deum, papalia et nostri Ordinis instituta, invocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis. De contributionibus autem Ordinis, tam antiquis quam novis, non solutis inquirendis et cum debitoribus componendi et ad certos terminos astallandi, recipiendi et dandi litteras quittatorias de receptis, absolvendi solventes, et componentibus sententias excommunicationis et alias poenas relaxandi, super quibus dictorum commissariorum conscientias onerat praefatum Capitulum coram Deo et eius tremendo iudicio rationem debitam reddituri, et specialissime compellendi abbates ad mittendos scolares Parisius vel ad alia Ordinis studia generalia cum bursis, a papalibus et Ordinis contentis, irremissibiliter delinquentibus infligendis, et haec omnia faciant ad expensas monasteriorum et locorum dicti Ordinis quas expensas abbates et abbatissae ac praesidentes monasteriorum et locorum praemissorum procurent, ministrent et solvant dictis commissariis integraliter sine mora, et ad hoc compelli valeant per dictis commissarios per censuram Ordinis viriliter et districte. Universis igitur et singulis personis Ordinis nostri, in virtute sanctae obedientiae et sub excommunicationis sententiae poena, commissionis huius tenore dat idem Capitulum firmiter in mandatis, quatinus in omnibus et singulis supra dictis praefatis abbatibus aut eorum alteri obediant humiliter et devote, ipsisque praestent consilium, auxilium et favorem. Et de negotio dictarum contributionum referant singulis annis dicti triennii quidquid egerint in praemissis.

29. Diffinitionem editam anno Domini 1387, cuius tenor sequitur et est talis : Desolationem studiorum Ordinis generalium et praecipue Sancti Bernardi Parisius propter paucitatem imo quasi nullitatem studentium personarum dolenter intuens, et eidem subvenire totis viribus cupiens Capitulum generale, praecipiendo firmius statuit, ordinat et diffinit, ut de quolibet Ordinis monasterio, cuiuscumque provinciae seu generationis, in quo sunt, erunt aut esse poterunt duodecim monachi, ad aliquod dicti Ordinis studium generale, etc. ut habetur in primo folio 1387 usque huc : Ex certa scientia, iterum renovat Capitulum generale, roborat et confirmat, volens eam et praecipiens sub poenis in et clarius expressis districte et inviolabiliter observari [h].

---

[h] *sic abbrev. J ; textus integer apud L¹.*

30. Certis et causis rationabilibus, generale Capitulum citat peremptorie et personaliter fratrem Iohannem de Bihes monachum de Fontemorum, et citari praecipit, et mandat per quamcumque personam Ordinis super hoc requisitam aut requirendam, ad dictum nostrum sequens immediate generale Capitulum, super sibi oppositis vel opponendis, quod iustum fuerit responsurum, et super eisdem processurum et facturum procedi et fieri visurum, prout et quod fuerit rationis.

31. Abbati de Fonteneto committit generale Capitulum quatinus de, et super quibusdam pactis et conventionibus factis inter abbatem de Cherisiaco et suum conventum, praesertim de et super assignatione quinquaginta solidorum per dictum abbatem cuilibet monacho dicti sui monasterii pro suo vestiario anno quolibet assignatorum, informatione praehabita diligenti, ordinet et faciat prout melius iudicaverit faciendum, in plenaria Ordinis potestate. Reformationem etiam dicti monasterii, quoad annum praesentem, cum potestate reformatoribus dari consueta per generale Capitulum, eidem abbati Fonteneti committit Capitulum memoratum.

32. Cum sorore Iohanna de Briffueil, moniali de Vigulto [i] quae dudum iuvenili ducta lascivia suum monasterium exiit per aliquos dies illicentiata, suspecta de carnali contagio, dispensatur misericorditer per generale Capitulum, ut ad omnes gradus status et honores Ordinis legitimos, etiam abbatialem dignitatem, de speciali gratia, si sua merita suffragentur in posterum promoveri valeat et assumi.

33. In primis [j], editas anno praeterito diffinitiones in generali Capitulo super anniversariis quotidie pro defunctis in quolibet Ordinis monasterio, ubi sunt vel esse possunt et debent duodecim sacerdotes monachi celebrandis; ac etiam contra Ordinis abbates extra sua monasteria sine causa moram trahentes continue in scandalum plurimorum; similiter et pro scolaribus mittendis ad studium, cum poenis et sententiis delinquentibus infligendis, iuxta dictarum diffinitionum totalem continentiam, animadvertens generale Capitulum fore Deo gratas et hominibus, ipsas penitus ratificat, approbat et confirmat.

34. Horribiles fratris Iohannis Radulphi, monachi de Precibus,

---

[i] Vignereto: L^1. [j] *apud* JL^1 *repetitur titulus*: Anno Domini 1397, etc.; *deinde*: Generales.

excessus per ipsum ausu temerario perpetratos in studio, civitate Parisiensi et alibi, veridicis fide dignorum relatibus informatum Capitulum generale, furti videlicet, dum a suo monasterio libros quamplures absque licentia proprii abbatis, inobediens et rebellis eidem, de nocte fugiens Parisius destinavit, vendidit et alienavit. Proditionis in cellerarium dicti loci, quem pacto habito cum aliquibus regiis clientibus fraudulenter in Casteletum retrudi procuravit bugias et aliqua quae penes dictum cellerarium reperit, secum deferens et ordinans ad suae voluntatis irrationabilis abusum, et conspirationis habitae multipliciter et frequenter nunc et alias contra dominum Cistercii et alios Ordinis superiores, et etiam specialiter contra studii Sancti Bernardi provisorem, et illos de consilio, a quibus dum corrigeretur de suis excessibus frivole appellavit, et alia deformia quamplurima, fama publica referente, graviter ponderans generale Capitulum ipsum tamquam vile membrum repudiat et repellit a studio, remittens ad claustrum, in quo detentum sub arctiori disciplina, omni officio, dignitate penitus et honore privat de cetero Capitulum supradictum, inhibendo abbati dicti loci et aliis quibuscumque personis Ordinis, sub poena excommunicationis latae sententiae, ne de cetero ad aliqua praemissorum quomodolibet promoveant, seu quod ad studium revertatur procurent, quinimo si praesumptuose illuc accesserit, cellerario dicti studii praecipit et iniungit idem Capitulum, quatinus vinculatus horrido carcere recludatur invocato ad hoc, si necesse fuerit, auxilio brachii saecularis, super hiis omnibus et singulis nemine dispensante, nisi per idem Capitulum vel ipsius Ordinis generalem reformatorem aliud fuerit ordinatum. Ceterum quia gradum in theologia contra papalia et Ordinis instituta attigit absque licentia, decernit idem Capitulum gratias et privilegia in huiusmodi favorem concessa nostri personis Ordinis, eisdem minime quomodolibet suffragari ipsius Ordinis per statuta. Addit cum hiis idem Capitulum reverenterque committendo domino Cistercii quod dictum fratrem Iohannem in vinculis detineat, quamdiu sibi videatur expediens, ac quousque in ipso vitae signa emendatioris appareant de praemissis.

35. Ortum scandalum in villa de Seneneriis, prope Sanctum Maurum, per nonnullos studii Sancti Bernardi parisiensis scolares, videlicet de Claromonte, de Precibus, de Persenia, de Chalocheyo, et de Buzayo, abbatibus de Prulliaco et de Belloprato,

seu eorumdem alteri per emissionem ad sua monasteria, vel alias prout expedire iudicaverint, terminandum committit generale Capitulum in ipsius plenitudine potestatis.

36. Generalis Capituli relatione veridica pervenit ad aures, quod in Ordinis dispendium, studii Sancti Bernardi confusionem permaximam frater Iohannes Carondi, monachus de Persenia, dum a suis per studii praefati provisorem corrigeretur excessibus, maxime quia illicentiatus in villa usque ad medium noctis remansit, et muros aliunde quam per portam intravit, unde quasi deprehensus in carnis contagio punire debebat, a quo frivole appellavit ; idem Capitulum tantam refrenare volens audaciam ut ceteris veniat in terrorem,dictum transgressorem ad proprium remittit monasterium, absque spe aliqua sine licentia praefati Capituli reversurum.

37. Si per legitima documenta perpendat abbas de Balerna abbatem de Miratorio et suum conventum, annis singulis in summa triginta solidorum et medietate castronis, abbati et conventui de Roseriis teneri, eosdem ad solvendum auctoritate generalis Capituli coerceat per censuram Ordinis.

38. Cum fratre Petro de Silvaneto, monacho Caroliloci, qui per quinque dies vagus apostatavit, dispensat misericorditer generale Capitulum, ut hoc non obstante ad omnes Ordinis actus et honores legitimos admittatur, sectus a nihilominus dignitate abbatiali.

39. Ad petitionem abbatis et conventus monasterii de Eleemosina, Carnotensis dioecesis, committitur abbati de Oliveto auctoritas et potestas plenaria compellendi, per censuram Ordinis et alia de iure remedia, abbatissam et conventum monasterii de Claretis, ad reddendum et solvendum certum redditum annuum in villa vocata de Firmitate Bernardi dictis de Eleemosina debitum, ut asserunt, faciendique in, de et super praemissis principali et accessoriis, arreragiis, dependentibus et connexis breve et plenae iustitiae complementum.

40. Nobilis ac potentis dominae Margaretae de Ventadour, comitissae Ioigniaci, et dominae de Antigneyo devotionem mellifluam, qua mediante, fundavit unam missam quotidianam, alta voce in monasterio de Buxeria Aeduensis dioecesis in perpetuum, pro se, suis praedecessoribus, ad maius altare celebrandam, viscerosis amplexibus admittit generale Capitulum praefatam de missa ordinationem, et quidquid in litteris, super hoc confectis

sigillis abbatis et conventus dicti monasterii de Buxeria sigillatis, plenius continetur, ad humilem ipsorum supplicationem idem Capitulum, ob reverentiam magnam fundatricis, laudat, approbat, ratificat et confirmat.

41. Dispensatur gratiose per generale Capitulum cum fratre Iohanne de Nevylleyo, monacho monasterii de Caladia, qui per duas quindenas bis in anno cum suo habitu discurrit per saeculum, sine licentia vagabundus, ut hiis non obstantibus, citra tamen abbatialem, ad omnes Ordinis gradus et honores legitimos promoveri valeat et assumi.

42. Tractatum habitum inter abbatem et conventum de Pratea et dictum Malestu domicellum, super quibusdam conventionibus, si dicto monasterio sit utilis ut inquirat et faciat quod a iure permittitur, ac sibi videbitur expediens, abbati de Oliveto committitur per generale Capitulum, absque ultiori relatione facienda, plenarie confirmandum in ipsius Capituli plenitudine potestatis.

43. Dudum abbatis et conventus de Caherio petitio continebat quod, cum debitorum sarcinis, ruinis irreparabilibus, absque suorum membrorum alicuius alienatione vellent nollent onerati, vix aut nunquam possent respirare, nisi super hoc per Capitulum generale provisum extitisset, et praesertim in venditione quindecim librarum terrae vel census annui super domum suam de Cathalauno, de quo multiplicibus interpolatis diebus tractaverant cum Iaquineto, dicto Lebbrat [k], burgensi Cathalauni, annorum circiter sexaginta, pro francis octoginta recipienda ad semel per ipsos. Verum tamen quia morbo ingravescente praedictum ulterius cogere non valent, ut asserunt, domino Claraevallis committitur per generale Capitulum, ut ipsius monasterii comperta indigentia per se vel per alium faciat super hoc quod rationis esse viderit, et tractatum super hoc habitum confirmet, auctoritate Capituli generalis.

44. Quia vir nobilis et inclitus dominus Guillelmus de Mailliaco miles, quamdam bladi sarcinam equorum ferme sexaginta reddere tenetur, anno quolibet, super quamdam terram Brideriis nuncupatam abbati et conventui de Valencia in Pictavia, longe a suo monasterio per viginti leucas et amplius distantem, et in partibus Lemovicensibus situatam, quod est dicto monas-

[k] de Viat : *L*[1].

terio modicae utilitatis ; verumtamen quia dictus miles bono ductus animo cupit terram praefatis de Valencia propinquius assignare, ac magis praecipuam ad requestam praefatorum abbatis et conventus de Valencia, domino Pontigniaci, si ad partes illas in brevi adire contigerit vel exusante, de Stella et de Misericordia Dei monasteriorum abbatibus coniunctim generale Capitulum committit, ut si dictam viderint assignationem dicto fore utilem monasterio, absque ulteriori relatione facienda Capitulo, eamdem confirmet et ratificent, in ipsius Ordinis plenitudine potestais.

45. Domino Cistercii reverenter et abbati de Moris, eorumque cuilibet, committit generale Capitulum, ut omnes et singulas Ordinis personas, quas obligatas esse vel teneri repererint domino Claraevallis et eius conventui, quocumque nomine censeantur, in quibuscumque pecuniarum summis aut rebus aliis, ad plenariam et debitam satisfactionem, per censuram Ordinis, auctoritate Capituli generalis, coerceant et compellant.

46. Domino Claraevallis et abbati Signiaci, eorumque cuilibet, committit generale Capitulum, ut omnes et singulas Ordinis personas quas per legitima documenta fore viderint obligatas abbati et conventui de Dunis, ad dictorum de Dunis humilem supplicationem ipsi Capitulo porrectam, coerceant viriliter per censuram Ordinis, ad plenariam et debitam satisfactionem.

47. Ut inquirat et diligenter se informet abbas Prulliaci, cui dominus Claraevallis visitationem monasterii de Fontemorum, immediate sibi subiecti, commisit, de controversia inter abbatem loci et fratrem Iohannem de Bihes, suum commonachum, eidem committit generale Capitulum, cuius veritate comperta faciat, auctoritate Capituli generalis, partibus iustitiae complementum.

48. Si fratrem Bertrandum, conversum monasterii de Mortuo mari, repererint et dignum censuerint monachari abbas et conventus dicti loci, sibi conceditur a generali Capitulo licentia et auctoritas de converso ad monachi ritum statim et habitum commutare.

49. Ne propter augmentationem nimiam personarum regularium in monasterio monialium Beatae Mariae de Angelis, prope Sanctum Iustum, monasterio Bonaevallis immediate subiectum, contingat ipsum monasterium minui retardarique ab aedificio-

rum ibidem necessariorum [l] structura generale Capitulum de ipsius loci angustia et nimio personarum numero informatum plenarie, futuris ipsius incommodis obviare, ac incrementa salubria pro viribus cupiens procurare, ipsum monasterium, matura deliberatione praehabita, pro ipsius evidenti commodo, ex certa scientia ad numerum viginti monialium professarum taxat, limitat, ordinat et reducit ; inhibendo abbatissae dicti loci, quae est vel fuerit pro tempore, sub excommunicationis sententiae poena, nullas de iam receptis expellendo, quousque professarum numerus minor vicenario fuerit, aliquam nullatenus admittat vel recipiat absque speciali generalis Capituli, seu domini Cistercii licentia petita pariter et obtenta.

50. Cernens generale Capitulum oculis compassivis lugubrem desolationem monasterii Leoncelli, in Valentinesii partibus situati, ubi tam domini Raymundi de Turenna, quam Vasconum et aliorum vispilionum guerrae longo iam tempore sevierunt, ex quibus fuerunt effugati cultores, bovina et ovina animalia vel praedonice capta, vel ex fugis mortua, vel ex foeni [m] et palearum defectu consumpta ; ex quibus monasterium ipsum in septingentis florenis obligatum, viduatum mobilibus et personis, concurrente modica eiusdem fundatione, quae solum in agricultura consistit, est ad maximae paupertatis inopiam devolutum ; abbatibus Bonaevallis Viennensis, et Vallis crescentis Dyensis dioecesium, et eorumdem alteri, committit Capitulum generale in ipsius potestate plenaria, quod, ne dictum monasterium Leoncelli, olim membrum notabile Ordinis multa veneratione decorum, omnino depereat, tractent, concordent et procurent, quod monasterium monialium Vernesonis cum omnibus membris suis dicto monasterio Leoncelli uniatur perpetuo, et quod inde, et super hoc fecerint, referant sequenti Capitulo generali, quod ipsius unionis finale negotium sibi duxit ex certa scientia reservandum.

51. Domino Cistercii reverenter committit generale Capitulum ut secundum compertam aut comperiendam, informatione praevia, possibilitatem monasterii de Pratea gratiam seu remissionem de contributionibus faciat abbati dicti monasterii quantum decreverit in plenaria dicti Capituli potestate.

---

[l] inchoatorum : *L*[1]. [m] senio : *MP*[2].

52. Generalis Capituli cernens auctoritas compunctionem cordis et amaritudinem, quam habuit post delictum frater Robertus de Dumeis, monachus de Escureyo, qui regulari habitu per decennium vel quasi vagabundus extitit in saeculo, eumdem nihilominus oculis compassionis, auctoritate abbatiali semota, restituit ad priores gradus et honores generale Capitulum supra dictum.

53. In virtute sanctae obedientiae et sub excommunicationis latae sententiae poena, generale Capitulum abbati de Monte Sanctae Mariae praecipit et iniungit quatinus domino Claraevallis, cui per suas litteras et sanctiones in summa quadraginta francorum tenetur, infra festum Omnium Sanctorum proximo venturum de dicta summa satisfaciat integraliter et complete, alioquin dicto tempore transacto se noverit excommunicationis laqueis irretitum.

54. Reformationem omnium et singulorum monasteriorum aliorumque locorum conventualium utriusque sexus, et omnium et singularum personarum nostri Cisterciensis Ordinis in regnis, dominiis et terris dominorum regum Castellae, Legionis, Galleciae et Portugalliae consistentium, in quibus prout ad Capituli generalis audientiam pervenit, sunt plurima reformanda, dictum generale Capitulum committit de Superaddo, de Vallebona, et de Carraceto monasteriorum abbatibus, aut eorum duobus tertio vacare non potente, per tres annos continuos immediate praesens Capitulum subsecuturos, praecipiens eisdem commissariis et iniungens dictum Capitulum, quatinus ad ipsa monasteria et loca personaliter accedant, et ibidem absque praeiudicio patrum abbatum cuiuscumque generationis existant, corrigant, statuant, instituant et destituant, visitent et reforment, tam in spiritualibus quam in temporalibus, tam in capitibus quam in membris, quaecumque in eisdem instituenda et destituenda et corrigenda, visitanda et reformanda viderint secundum Deum, papalia et nostri Ordinis instituta, invocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis. De contributionibus autem Ordinis, tam antiquis quam novis non solutis, inquirendi, et cum debitoribus componendi, et ad certos terminos astallandi, easque remittendi si sibi videantur, donandi, quittandi et recipiendi, et dandi litteras quittatorias de receptis, absolvendi solventes, et componentibus sententias excommunicationis et alias poenas relaxandi, ac quae receperint mittant anno quolibet ad generale

Capitulum receptoribus contributionum, super quibus dictorum commissorum conscientiae onerat, referantque anno quolibet dicto Capitulo quid super hoc fecerint, receperint et a quibus, praefatum Capitulum coram Deo et eius tremendo iudicio rationem debitam reddituri, compellendique abbates ad mittendos scolares Parisius vel ad alia Ordinis studia generalia cum bursis a statutis papalibus et Ordine deputatis, sub poenis et sententiis in dictis statutis papalibus et Ordinis contentis, irremissibiliter delinquentibus infligendis. Et haec omnia faciant ad expensas monasteriorum et locorum dicti Ordinis ; quas expensas abbates et abbatissae ac praesidentes monasteriorum et locorum praemissorum procurent, ministrent et solvant dictis commissariis integraliter sine mora, et ad hoc compelli valeant per dictos commissarios per censuram Ordinis viriliter et districte. Universis igitur et singulis personis Ordinis nostri in virtute sanctae obedientiae et sub excommunicationis sententiae poena, commissionis huius tenore dat idem Capitulum firmiter in mandatis, quatinus in omnibus et singulis supradictis praefatis abbatibus aut eorum duobus, tertio alias occupato, humiliter obediant et devote, ipsisque praestent auxilium, consilium et favorem. Praedictis autem duobus abbatibus de Superaddo et de Carraceto dictum Capitulum dat specialiter in mandatis, quatinus abbati Vallisbonae satisfieri procurent de bonis communibus Ordinis, pro expensis per ipsum factis contra fratrem Garsiam falsarium, qui se in Hispania generalem Reformatorem asserebat, ipsumque detineant in vinculis donec aliter per Capitulum generale fuerit ordinatum. Et similiter coerceant abbatem Sancti Ysidori, Hispallensis dioecesis, prout fuerit rationis.

55. Abbatis de Claromarisco senio et corporis gravitati compatiens generale Capitulum, ipsum a via Capituli de cetero favorabiliter habet excusatum. De Sancto Urbano ad idem. De Gardo ad idem. De Theoloco ad idem. De Caladia ad idem.

56. Quia citatus per dominum Morimundi personaliter ad praesens Capitulum frater Manaldus de Lobersano, dudum monachus de Boilhanis, nunc vero cum abbate de Caduino moram trahens in civitate Tholosana, minime comparuit sufficienter vocatus, et expectatus usque ad extremam diem Capituli, ipsum fratrem Manaldum contumacem reputans generale Capitulum excommunicat in hiis scriptis, mandans eumdem per quemlibet,

super hoc requisitum, abbatem Ordinis excommunicatum publice nuntiari.

57. Ad instantiam domini Morimundi sacrae theologiae professoris et abbatis Bonaevallis, Viennensis dioecesis, Reformatorum ad linguae [n] Occitanae et partes alias anno praeterito in generali Capitulo deputatorum, citari praecipit ipsum Capitulum, vult, ordinat et iniungit peremptorie et personaliter abbatem monasterii Vallis magnae, Magalonensis dioecesis, per quemcumque notarium, capellanum, monachum de Ordine seu alium, qui super hoc requisitus fuerit, ad vicesimam diem instantis mensis Ianuarii coram domino Cistercii in suo monasterio Cistercii, Cabilonensis dioecesis, vel ubi tunc ipsum adesse contigerit, visurum et auditurum taxari ac soluturum expensas, quas dicti Reformatores fecerunt ad suum praedictum monasterium accedendo, cum intimatione, quod, sive comparuerit sive non, contra ipsum procedetur prout rationis fuerit, sua contumacia non obstante.

58. Si fratri Bernardo de Sancto Romano, viro discretissimo, monacho Populeti, constiterit per quaecumque sufficientia ad hoc documenta, fratrem Iohannem Colli, monachum monasterii de Sanctis Crucibus, auctoritate Capituli citatum fuisse ad praesens Capitulum, contumacem reputet, quem etiam reputat contumacem dictum Capitulum, si fuerit citatus, ut profertur, et ipsum excommunicat in hiis scriptis, excommunicatum denuntiet, et ab omnibus personis, etiam sub eadem districtione sententiae, faciat evitari. Si vero non citatum fuisse repererit, citet eum peremptorie ad sequens immediate generale Capitulum, super sibi obiicienda quos iustum fuerit responsurum.

59. Inimici rugientis saeviens astutia fratrem Iohannem de Genicuria, monachum de Monasterio in Argona, dum iuvenilibus in annis ordiri dumtaxat inciperet, succidere nitebatur, unde sine [o] versutiis a proposito resilientem pervertit et ad saeculum reversus pluries inter gentes habitans, opera didicit eorum et suis sculptilibus deservivit, prioris oblitus propositi adeo, quod nuptias contrahens sophistico cum quadam conversa matrimonio copulabatur, per decennium vel quasi tam cum ipsa quam aliis mundialibus negotiis implicatus. Verum quia sui spiritus Beata Trinitas ipsius cordialia vibramine perlustravit, in tantum

[n] adhuc : *L*[1]. [o] cum suis : *L*[1].

quod delictum gurgitibus lacrimosis absorbuit, quapropter generale Capitulum poenitentes in visceribus amplectens charitatis, gaudium existimans fore gratius angelis Dei super uno peccatore agente poenitentiam quam iustis innumeris, qui non egent poenitentia, ipsi compatiens generale Capitulum de gratia speciali ad habitum, statum, gradum et honores Ordinis legitimos, praedictis non obstantibus restituit, abbatiali dignitate seclusa.

1398

Anno [a] Domini millesimo trecentesimo nonagesimo octavo statuta sunt haec apud Cistercium in cisterciensis Ordinis Capitulo.

ORATIONES

1. Pro romanae Ecclesiae statu quem Dominus omnipotens felicem concedat, et specialiter pro domino cardinali Saluciarum Ordinis nostri benevolo protectore, et aliis dominis cardinalibus ; pro dominis primatibus, patriarchis, archiepiscopis, episcopis,etc. ut habetur in Capitulo generali celebrato anno 1395 [b] (*stat.* 39).

2. Pro serenissimo domino nostro Carolo, *etc. ut supra.*

3. Pro burgensibus, *etc. ut supra.*

4. Pro felicis et inclitae recordationis dominis, *etc. ut supra.*

5. Pro pace et unitate, *etc. ut supra.*

6. Excusatio abbatum [c]. Abbates Ordinis universi qui ad praesens generale Capitulum non venerunt, etc. ut habetur in anno 1390 (*stat.* 4). In praesenti tamen anno habet Capitulum generale excusatos abbates sequentes, videlicet de Tribus fontibus, de Bullencuria, de Gratia Dei, de Loco Dei, de Fusniaco, de Igniaco, de Valloliis, de Loco crescenti, de Sancto Sulpicio, de Longo ponte, de Valle clara, de Valcellis, de Valle regis, de Caroloco, de Tela, de Sancto Urbano, de Charmeya, de Laude, de Recluso, de Boheriis, de Insula Barrensi, de Alpibus, de Altacumba, de Alto Christo, de Bonomonte, de Caroliloco, de Bellobecco, de Lanneyo, de Caricampo, de Valle Beatae Mariae, de Ursicampo,

---

1398. *Fontes* : *J* : 1, 6-60 ; *L*[1] : 1-60 ; *P*[2] : 1, 9, 39. [a] *Titulus apud J L*[1]. [b] *Sic abbrev. J ; fuse repetit statuta* 1-5 *codex L*[1]. [c] *Titulus ex J, qui etiam abbrev. et de excusatis abbatibus tres primos tantum citat.*

de Ripatorio, de Begar, de Relech, de Prulliaco, de Frigido monte, de Regali monte, de Bonofonte Remensi, de Valle crescenti, de Bonoportu, de Balerna, de Sancto Benedicto in Vepria, de Alta ripa, de Miratorio, de Escureyo, de Vallibus in Ornesio, de Fontanis albis in Turonia, de Claritate, de Pietate, de Sancto Albino, de Oratorio, de Eslancio, de Signiaco, de Longovillari, de Barbello, de Stella, de Charone, de Gratia Dei, de Barzella, de Moroliis, de Landesio, de Callovio, de Nigrolacu, de Ré, de Fontemorum, de Septem fontibus, et de Gardo.

7. Cum Ordo noster Cisterciensis, etc. ut habetur in anno 1391 [d] *(stat. 2)*.

8. Ad cogendum debitores [e]. — Ad requestam reverendi patris domini abbatis... Cistercii, etc. ut habetur in anno 1390 *(stat. 19)*.

9. Conceditur per Capitulum generale ut privatis et festivis unius missae diebus, cum in missa conventus pro defunctis dicta fuerit consueta collecta, videlicet *Omnipotens sempiterne Deus, qui vivorum dominaris*, etc. in alia de die missa regulari possit dici illa veneranda et a multis multum frequentata collecta : *A cunctis nos Domine, mentis et corporis defende periculis*, etc.

10. Cum abbas monasterii de Dunis exegerit, levaverit et receperit per se vel per suos, de et pro quodam redditu quadraginta librarum monetae flandrensis, quem habent dominus abbas et conventus monasterii Cistercii in Flandria in stacario Furnensi, de et pro pluribus transactis annis, usque ad summam trecentorum nonaginta trium francorum aureorum, quam summam tradere seu restituere dictis domino abbati et conventui Cistercii in, de et super hoc debite requisitus recusaverit et recusat dictus abbas de Dunis indebite et iniuste, in damnum gravamen et iacturam dictorum Cisterciensium, sicut religiosus frater Martinus de Champlyto, dicti monasterii Cistercii procurator, et procuratorio nomine, conquerens asseruit coram Capitulo generali, petens sibi super hoc nomine quo supra per debitum iustitiae de remedio celeri provideri ; hinc est quod Capitulum generale ad instantiam dicti domini Martini procuratoris et procuratorio nomine quo supra, hortatur et monet peremptorie et canonice tenore praesentis diffinitionis, dictum abbatem de Dunis, sibi-

---

[d] *Textus integer apud L*[1]. [e] *Hic titulus apud J ; iterum fuse repetit statutum L*[1].

que in virtute sanctae obedientiae et sub excommunicationis latae sententiae in ipsum abbatem de Dunis poena, per praesentes praecipit et mandat, quatinus infra tres menses post praesentationem, intimationem seu notitiam praesentis diffinitionis sibi factam immediate secuturos, quorum trium mensium primum pro primo, secundum pro secundo, et tertium pro tertio et peremptorio termino ac monitione canonica sibi abbati de Dunis per praesentes assignat ipsum Capitulum generale, dictis domino abbati et conventui monasterii Cistercii seu eorum procuratori requirentibus tradat, solvat, restituat et deliberet realiter et cum effectu dictam summam trecentorum nonaginta trium francorum aureorum, alioquin dictis tribus mensibus elapsis, nisi dictus abbas de Dunis fecerit, et adimpleverit haec praemissa et praesentibus paruerit cum effectu, ipsum praedictum abbatem de Dunis propter hoc, ex nunc pro tunc, in hiis scriptis excommunicat dictum Capitulum generale, nisi tamen ipse abbas de Dunis causam seu causas praetendere, proponere et allegare voluerit, propter quam seu quas ad praemissa compelli non debeat, et praemissa contra eum fieri non debeant, ad quam seu quas si voluerit proponendas, praetendendas et allegandas citat dictum Capitulum generale per praesentes dictum abbatem de Dunis peremptorie Parisius coram provisore studii Sancti Bernardi Parisini in dicto studio, ad diem ultimam dictorum trium mensium ut praemittitur, assignatorum, nisi fuerit feriata, alioquin ad primam diem immediate post sequentem non feriatam et iuridicam, praedictas causam seu causas praetensurum, propositurum et allegaturum, et alias ulterius in, de et super hoc et aliis praemissis, et ea tangentibus processurum et facturum procedi et fieri visurum, prout et quod fuerit rationis. Cui provisori studii Sancti Bernardi committit per praesentes dictum Capitulum generale, auditionem, cognitionem, decisionem et tractationem praesentis negotii et omnium praemissorum et ea tangentium et emergentium ex eisdem per censuram Ordinis, in quo prout ipsum Capitulum omnimoda potestate. Praesentes autem litteras seu praesentem diffinitionem, sub dicta excommunicationis in ipsum abbatem de Dunis latae sententiae poena, praecipit idem generale Capitulum per praesentes ipsius diffinitionis portatori, si sibi praesentata vel intimata fuerit per ipsum abbatem de Dunis indilate reddi ipsius copia si voluerit habere tradita praesens sibi, quae omnia et singula praemissa sibi abbati

de Dunis intimat, insinuat et omnibus hic astantibus notificat, et ad sui notitiam deducit et deduci vult per praesentes dictum Capitulum generale.

11. De Fonteneto, sacrae theologiae professori, Aeduensis dioecesis, et de Bonavalle Viennensi monasteriorum abbatibus in Capituli generalis, et domini Claraevallis patris abbatis immediati ac visitatoris monasterii Altaecumbae potestate plenaria committitur, quatinus ad dictum Altaecumbae monasterium personaliter accedant, ibidemque visitent, reforment, statuant, instituant, destituant et corrigant tam in capitibus quam in membris, tam in spiritualibus quam in temporalibus quaecumque ibidem et maxime de et super nonnullis, de et super quibus dicti monasterii abbas apud dictum Capitulum et nonnullos bonos et graves super debili, vitioso, negligenti, remisso et inutili regimine delatus extitit, visitanda, reformanda, corrigenda, statuenda, destituenda cognoverint iuxta exigentiam materiae, dictante ratione, iuris solemnitatibus non servatis, sed solum simpliciter et de plano et iuxta nostri Ordinis instituta, invocato ad praemissorum omnium et singulorum executionem, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis. Et est intentionis Capituli generalis et praefati domini Claraevallis, quod omnia et singula materiam huius modi tangentia ac concernentia per dictorum commissariorum alterum, alio non valente seu legitime impedito, adimpleri valeant et executioni debitae demandari. Quaeque universa et singula factum huiusmodi tangentia ad expensas dicti monasterii Altaecumbae integraliter compleantur. Universis igitur et singulis praefati monasterii personis religiosis, in virtute sanctae obedientiae et sub suae salutis incommodo, praesentis commissionis tenore, damus districtius in mandatis quatinus in omnibus et praemissis, et singulis emergentibus et connexis ac dependentibus ab eisdem praefatis commissariis, et eorumdem alteri, obediant humiliter et devote. Inhibens districtius abbati Altaecumbae praedicto, ne fratri Andreae de Fontana monacho suo poenam aut vindictam inferat ex, et pro eo quod ipse ad nos accessit remedium petiturus seu aliis quibuscumque, sed usque ad adventum dictorum commissariorum seu alterius eorumdem omnia differantur.

12. Ob reverentiam et honorem domini ducis dominaeque ducissae Austriae, considerationemque discursum gentium armigerarum, necnon ignis voraginem quarum occasione monas-

terium Sancti Urbani, proh dolor, devastatum extitit, ac in suis redditibus diminutum; contributiones Ordini debitas; annis praeteritis non solutis, quittat penitus Capitulum generale et remittit de speciali gratia, dum tamen contributiones imponendas in praesenti Capitulo et deinceps curet integraliter persolvere in terminis consuetis, dispensans cum dicto abbate et officiariis super irregularitate contracta, sententiis et poenis excommunicationis, si quas incurrerint, dictas contributiones statutis terminis non solvendo.

13. Ad petitionem abbatissae et conventus monasterii de Argensoliis committitur domino Claraevallis, sacrae theologiae professori, potestas plenaria compellendi, per censuram Ordinis et alia iuris remedia, abbatem et conventum de Cheminione ad solvendum et reddendum integraliter et complete dictis petentibus certam bladorum portionem, videlicet super molendinum Vitriaci in Partisio, de quo dictae petentes docebunt loco et tempore per legitima documenta.

14. Item, abbatissae et conventui de Argensoliis conceditur licentia vendendi de silvis suis non caeduis usque ad duo arpenta, dum tamen venditionis huiusmodi pecunia in reparationem sui claustri ruinosi, ut asserunt, et in nonnullos usus alios convertatur.

15. Ad omnes gradus ordinis, dignitates et officia generale Capitulum restituit, de speciali gratia, fratrem Iohannem Ronteleti, monachum de Caladia, quae perdidisse dicitur, iuxta Ordinis instituta, ex et pro eo quod idem per quindecim dierum spacium vel circiter apostatavit, proviso quod aliud canonicum non obsistat.

16. Eadem gratia conceditur fratri Iohanni Morleti conmonacho dicti loci, quod consimiliter deliquerit.

17. Concordiam, transactionem, seu pactum quem abbas et conventus monasterii de Stella, Pictaviensis dioecesis, inierunt et fecerunt cum fratre Iohanne Gaborini, conmonacho suo, prout in litteris inde confectis sigillis abbatis et conventus sigillatis, quibus diffinitionem praesentem affigi vult ipsum Capitulum continetur plenius, idem Capitulum ratificat et confirmat, dum tamen hoc de patris abbatis beneplacito processerit et consensu.

18. Cum abbas de Valle lucenti indurato et pertinaci animo contributiones per generale Capitulum impositas per multos annos solvere recusavit et recusat, allegando excusationes fri-

volas in peccatis multiplicesque sententiarum laqueos incurrendo irregularitatem etiam, cum non vereatur se immiscere divinis, in divinae Maiestatis offensam, exempli perniciem, contemptum Ordinis et scandalum plurimorum, generale Capitulum ex certa scientia dictum abbatem decernit et declarat sententias et poenas quascumque per statuta papalia et Ordinis contra non solventes contributiones latas incidisse, et ulterius ipsum abbatem de Valle lucenti in persona, cellerario et procuratore dicti monasterii tunc praesentibus, idem Capitulum citat peremptorie et personaliter, et hoc sub poena depositionis ab abbatiali dignitate, videlicet ad undecimam diem instantis mensis octobris coram reverendo patre domino Cisterciensi, responsurum ad ea quae sibi obiiciuntur ex officio per dominum memoratum, cum intimatione quod, sive comparuerit sive non, contra ipsum procedetur prout rationis fuerit, eius contumacia non obstante. Mandat igitur dictum Capitulum ipsiusque Diffinitores universis et singulis abbatibus circumvicinis et eorum loco tenentibus, aliisque ad quorum notitiam praesens diffinitio devenerit, quatinus dictum abbatem singulis diebus dominicis palam et publice in suis capitulis excommunicatum denuntient, et ab omnibus etiam a propriis monachis praecipiant evitari.

19. Idem de abbate Montispetrosi, et citatur in octavis Omnium Sanctorum in forma, in persona procuratoris sui.

20. Ad generalis Capituli deducto notitiam pro parte honorabilis viri Richardi Dornaris, canonici Bisuntini, nepotis et haeredis universalis venerabilis viri domini Petri Dornaris, quondam decani Montisbeligardi, quod cum idem decanus dum viveret devotione motus magnos sumptus et expensas in reparationibus aedificiorum monasterii Loci crescentis fecerit, instante abbate dicti monasterii, pro redditibus emendis mutuaverit multas pecuniae quantitates, quas in litteris inde confectis dictus exponens asserit contineri, ipsique abbas et conventus pro dicti decani funeralibus ducentos sexaginta florenos in eleemosina et alias a dicto haerede, ut idem asserit, receperunt, ultra alia, de et super quibus dictus idem haeres informare proponit coram iudice deputando, quo circa ne ob defectum iustitiae per nos minime ministratae, ad alia iudicia recurratur, de Bellavalle et de Charitate monasteriorum abbatibus potestatem concedimus cognoscendi, audiendi, decernendi et ordinandi, auctoritate praesentis generalis Capituli, quidquid in praesenti negotio

potest idem generale Capitulum iuxta conscientiae dictamen, rationis ordinem et canonicas sanctiones.

21. Cum prout abbas et conventus monasterii de Mortuomari ad praesentis Capituli notitiam deducere convenerunt, quaedam eorum grangia Quercus heri nuncupata, propter importabiles census et onera ac alia incumbentia, eisdem reddatur non solum simpliciter inutilis sed damnosa, nec ab eis verisimiliter speretur de maiori commodo in futurum, abbatibus de Belloprato, sacrae theologiae professori, et de Ursicampo committitur in generalis Capituli et totius Ordinis potestate plenaria, quatinus ad dictum monasterium de Mortuomari quam primum commode potuerint se transferant personaliter, et auditis hinc inde propositis, faciant quod dictante ratione pro monasterii utilitate et commodo cum bona conscientia censuerit faciendum.

22. Abbati monasterii de Caroliloco, sacrae theologiae professori, committit generale Capitulum in omnimoda potestate auctoritas plenaria compellendi, per censuram Ordinis et alia rationabilia remedia, abbatem de Noa ad restituendum et reddendum omnia bona mobilia quaecumque fuerint et quocumque nomine censeantur, quae magister Robertus Aegidii, prius dicti monasterii de Mortuomari monachus, ad dictum monasterium de Noa promotionis suae tempore deportavit.

23. Committitur abbati de Caroliloco, sacrae theologiae professori, quatinus, informatione praehabita, si transactiones, conventiones et pacta factae et facta inter abbatem et conventum de Vallibus Sernaii et priorem et conventum de Valleviridi prope Parisius, Cartusiensis Ordinis, ceda ntad dicti monasterii de Vallibus utilitatem et commodum, ipsas auctoritate generalis Capituli, si et in quantum de iure procedunt, ratificet et confirmet.

24. Ut admodiationes quaedam seu traditiones locorum monasterii Bellibecci a diu eisdem penitus inutilium, videlicet de Bernesanilt, Haningonnore, Rubri molendini et de Courcellis, factae per abbatem ad vitam aliquorum et etiam ad census annuos et perpetuos, de consensu et consilio abbatis de Savigniaco patris abbatis sui, et etiam de abbatum de Belloprato et de Lanneyo, commissariorum Capituli generalis, ut asseritur, sint futuris temporibus valiturae, praesens Capitulum easdem in quantum rite procedunt, acceptat, roborat et confirmat.

25. Ad famam, gradus et honores Ordinis restituuntur per Capitulum generale fratres Matheus de Sancto Paulo, Natalis

de Sancto Germano, Iohannes Peliot et Iohannes Sonday monachi monasterii Belliprati, si peractis prius infamiae poenis abbas eorum qui est vel fuerit ad melioris vitae vias dispositos esse credet.

26. Ad petitionem abbatis et conventus monasterii Caricampi restituitur frater Iohannes de Estariis ad famam, gradus, honores ac dignitates quas propter apostasiam perdidit, iuxta Ordinis instituta.

27. Cum sorore Alemanda, moniali monasterii Bonaecumbae Sancti Pauli, dispensatur per generale Capitulum quatinus ad gradus, honores, administrationes, gestationem annuli et officia deinceps assumi valeat suis exigentibus meritis, non obstante incontinentiae vitio, de quo convicta extitit et punita, dum de abbatissae suae provenerit beneplacito et consensu.

28. Cum, fama publica referente, saepius et frequenter ad audientiam pervenerit Capituli generalis quod frater Raymundus Bordilli abbas monasterii de Columna, Bituricensis dioecesis, plures et enormes commisisset excessus et delicta, essetque de et super ipsis apud bonos et graves in partibus ipsi monasterio de Columna vicinis et alibi multipliciter et graviter diffamatus, videlicet de incontinentiae vitio, periurio, bonorum monasterii dilapidatione, reddituum et possessionum ipsius ob culpam et negligentiam dicti abbatis perditione, divini servitii quod per quatuordecim annos in dicto monasterio celebratum non extitit omissione, inobedientia et contra Ordinem rebellione, quorum praemissorum occasione dictum monasterium de Columna ad extremae desolationis exterminium asserebatur devenisse. Quos excessus generale Capitulum non valens sub dissimulatione occulis conniventibus praeterire, abbati tunc de Oliveto nunc de Curia Dei, licentiati in decretis, praedicti monasterii de Columna et aliorum monasteriorum in Lemovicensi et Bituricensi partibus existentium Reformatori perinde committendum decrevit, qui commissarius volens scire utrum clamorem qui contra dictum abbatem de Columna ad generalis Capituli aures devenerat, idem abbas opere complevisset, ad memoratum monasterium de Columna et loca eorum vicina personaliter accedat, citato ipso abbate, processit super veritate criminum praedictorum, et quoniam veritate comperta, ipsum abbatem reperit culpabilem et praedictis criminibus irretitum, ad secundum diem praesentis Capituli personaliter, peremptorie et sub poena convictionis cri-

minum praedictorum citavit eumdem cum intimatione, quod sive veniret, sive non, ad diem sibi, ut praemittitur, assignatam, dictum generale Capitulum procederet contra eum ut esset rationis, quo in dicta die minime comparente, praefatus commissarius informationem contra saepe fatum abbatem prudenter et canonice factam nobis Diffinitoribus praedictis ostendit, per quam a nobis visam et diligenter informatam evidenter et luce clarius constitit et constat dictum abbatem de Columna praedictos excessus et crimina damnabiliter perpetrasse, in animae suae periculum et totius cleri et populi pernitiosum exemplum, ipsumque de dictis criminibus esse sufficienter et legitime convictum. Nos igitur attendentes quod periurae et viles personae non debent habere praelaturas, quin potius si eas habeant, ipsis debent merito privari, cum infamibus portae patere non debeant dignitatum, et constat, ut praefertur, praelibatum fratrem Raymundum Bordilli abbatem dicti monasterii de Columna periurium, incontinentiam, dilapidationem et alia scelera declarata superius commississe. Quare, iustitia suadente, contra eundem sententiam depositionis, suis exigentibus demeritis, promulgandam duximus in hunc modum.

In nomine Domini. Amen. Nos frater Iacobus, abbas Cistercii ceterique Diffinitores nostri Cisterciensis Ordinis Capituli generalis, fratrem Raymundum Bordilli, abbatem de Columna, Bituricensis dioecesis, licet absentem, eius absentiam divina replente praesentia, de et super incontinentiae vitio, periurio, bonorum monasterii sui dilapidatione, possessionum ipsius monasterii ob ipsius abbatis culpam et negligentiam perditione, divini officii per quatuordecim annos in dicto monasterio omissione, et contra Ordinem rebellione, iuste et legitime convictum, ab officio, administratione et dignitate abbatiali dicti monasterii de Columna, Deum habentes prae oculis in hiis scriptis perpetuo deponimus et privamus, ipsumque carceri mancipandum decernimus pane et aqua sustentandum usque ad beneplacitum Capituli generalis, aut nostri Cisterciensis abbatis praedicti, declarantes exinde ipsum monasterium de Columna vacare et carere pastore et abbate, mandantes ac tenore praesentium committentes abbati de Curia Dei, quatinus ad praefatum monasterium de Columna nunc vacans nostram praesentem sententiam debitae executioni demandet, invocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis, dictoque monasterio de Columna per electionem canonicam aut

alias provideat de abbate, auctoritate Capituli generalis, servatis in omnibus canonicis et nostri Ordinis institutis, et ipsum abbatem creandum in possessionem dicti monasterii de Columna inducere studeat corporalem.

29. Miserabilis desolationis exterminium monasterii Cheseriaci ex vitioso regimine abbatis dicti loci procedens, cernens generale Capitulum oculis compassionis, abbatibus de Fonteneto, sacrae theologiae professori, et de Bonavalle Viennensi reformationem ipsius committit in ipsius Capituli plenaria potestate, eisdem ordinans et iniungens quatinus, quam primum commode poterint, ad dictum monasterium se transferant personaliter, ibidemque visitent, reforment, statuant, instituant, destituant et corrigant, tam in capite quam in membris, tam in spiritualibus quam in temporalibus, quaecumque in eodem visitanda, corrigenda, reformanda, statuenda, instituenda et destituenda cognoverint iuxta papalia et nostri Ordinis instituta, invocato, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis. Universis autem dicti monasterii personis regularibus idem Capitulum, in virtute sanctae obedientiae et sub suae salutis incommodo, mandat et praecipit quatinus dicto commissario obediant humiliter et devote.

30. Ad idem committitur abbatibus de Clarofonte et Belloprato pro monasterio Altaesilvae.

31. Attenta debilitate virium abbatis de Sancto Benedicto in Vepria ipsum habet generale Capitulum a via et accessu ad ipsum perpetuo excusatum.

32. Abbati de Altasilva committit Capitulum generale ut compellat abbatem et conventum de Bongart, Argentinensis dioecesis, omnibus viis et modis quibus poterit, etiam per captionem et venditionem bonorum quorumcumque dicti monasterii ubicumque existentium, ad satisfaciendum abbati et conventui monasterii Belliprati de quatuor carrectis vini Alsaciae, arreragiorum temporibus praeteritis minime solutorum, in quibus dicti abbas et conventus de Bongart de annuo et perpetuo censu dicto abbati et conventui de Belloprato tenentur, prout in litteris super hoc factis plenius continetur. Cui abbati de Belloprato una cum dicto abbate de Altasilva committit, praecipit et iniungit idem Capitulum generale, quatinus dictum abbatem de Bongart cogant et compellant ad obediendum Ordini, per captio-

nem et detentionem sui proprii corporis vel alias, invocato ad omnia praemissa auxilio brachii saecularis.

33. Cum[f] lis, controversia et grandis quaestionis materia verteretur, et maior in posterum verti speraretur inter abbatem et conventum monasterii de Cheminione, Cathalaunensis dioecesis, ex una parte, et abbatem et conventum monasterii de Caladia, Verdunensis dioecesis, ex altera, de, pro et super eo quod cum dudum illi de Chiminione pro certis necessitatibus sui monasterii supportandas vendidissent, ut asseritur, praefatis de Caladia quamdam eorum grangiam vulgariter La Borde à Thogny nuncupatam, pro certa summa quam receperunt in pecunia numerata ; verum quia iam dudum inter eos fuerat ordinatum quod occasione dictae grangiae, de qua fuerant in receptis diminuti illi de Cheminione, Caladiensi illos acquittare et solvere quinque libras si et quoties imponebatur decima per Summum Pontificem pro se vel alteri concessa per ipsum quovis modo. Cum autem lapsu magni temporis dicta portio decimae per Caladienses illis de Cheminione fuerit minime persoluta, postea dicti de Cheminione advertentes notabile sui monasterii membrum, dictam videlicet grangiam a suis manibus evulsam fuisse pro qua dicebant Caladienses quinque libras in qualibet decimae impositione solvere teneri eis de Cheminione, quos pluries requisierunt, et de transactis iam multis annis et temporibus arreragia sibi solvi, et in possessionem reduci, Caladiensibus in hoc renitentibus et oppositum asserentibus tam per praescriptionem temporis, quam alias, prout rationis fuerit pluries utrobique coram papalibus iudicibus ventilatae, sicuti hoc praemissa dictae partes asserebant. Tandem pro bono pacis, de consilio peritorum sibi coassistentium et amicabiliter componentium, de voluntate et assensu fratris Ioannis de Sancto Desiderio monachi de Cheminione, et fratris Iacobi de Ponte monachi Caladiae procuratorum et procuratoriis nominibus, praesente etiam et consentiente abbate de Caladia in eorum praesentia fuit ordinatum et in modum qui sequitur accordatum, videlicet quod causae, lites et controversiae quae de et super praemissis ubicumque vertebantur inter partes ex nunc penitus et in perpetuum cessent et cessabunt. Item, quod quamlibet dictarum partium quittat aliam de omnibus expensis et damnis, quamlibet et quomodocumque et ubicumque propter

[f] *ante hoc stat. J iterum inscribit titulum* : Anno Domini 1398.., *etc.*

hoc factis et habitis. Item, quod dicti de Caladia remanent quitti et liberi de arreragiis, si quae debebant, et quae petebant illi de Cheminione occasione praemissorum. Item, quod quoties et de cetero integra decima pro domino nostro Summo Pontifice imponetur et requiretur, vel alteri per ipsum concedetur, praedicti Caladienses solvere propter hoc tenebuntur, et solvent illis de Cheminione solum et dumtaxat sexaginta solidos monetae tunc currentis in Campania. Et si dimidia imponatur decima, medietatem solvent dictae summae, seu aliam quotam prout imponetur. Ad quae omnia et singula praemissa et alias infra scripta observanda et tenenda fideliter dictae partes obligabunt se per litteras super hoc conficiendas, et suis sigillis sigillandas, et praesertim Caladienses ad solvendum vel solvendas summam seu summas, ut praefertur, obligaverunt et obligabunt se et principaliter suam grangiam de Herbaumonte, supponentes et submittentes se propter hoc ordinationi, iurisdictioni et coercitioni domini Cistercii et Capituli generalis. Promiserunt etiam ambae partes, quod in suis capitulis hora capitulandi, ut moris est in Ordine, quemlibet abbatem et conventum sui monasterii ad hoc consentire facient, pro quibus etiam in omnibus et singulis praemissis et ea tangentibus, dependentibus et connexis, omnino consenserunt, consentiant penitus absque revocatione quacumque.

34. Quia poenitentiam sibi per suum superiorem iniunctam devote peregerunt fratres Gerardus de Malmenia et Guillelmus de Villanis, monachi Fonteneti, qui quasi per tres annos apostatando secum mulieres duxerunt per saeculum damnabiliter evagantes, cum eis misericorditer dispensat generale Capitulum, ut hoc non obstante, seclusa tamen abbatiali dignitate, ad omnes status, gradus et honores Ordinis legitimos valeant promoveri.

35. Domino Pontigniaci, sacrae theologiae professori, et abbati quem eligere decreverit, committitur per generale Capitulum quatinus in monasterio de Stella ipse dominus vel alter quem deputaverit, inquirat diligenter; si traditio grangiae suae de Nyeul ad censum et vitam duarum vel trium personarum saecularium, sit ipsi monasterio fructuosa, et referat Capitulo generali futuro.

36. De Curia Dei, Aurelianensis dioecesis, licentiato in decretis, de Nigro lacu et de Pratea monasteriorum abbatibus, ac eorum cuilibet in solidum committitur per generale Capitulum quatinus, lites et iurgia mota inter abbatem de Bonoloco et fra-

trem Iohannem de Bellobourdino, monacho dicti loci, qui contra suum abbatem appellationem interiecit, diversis mediis eum ad hoc moventibus, de quibus et omnibus dependentibus ab eisdem et connexis, tam iurgiis, causis et appellatione praemissis, quam aliis, veritate comperta, fine debito terminent, et partibus faciant iustitiae complementum.

37. Domino Cistercii reverenter et abbati de Moris, eorumque cuilibet, committit generale Capitulum, ut omnes et singulas personas quas, per legitima documenta fore viderint obligatas domino Claraevallis et suo conventu, ad dictorum Claraevallensium supplicationem ipsi Capitulo porrectam, coerceant viriliter, per censuram Ordinis, ad plenariam et debitam satisfactionem.

38. Similiter pro abbate et conventu de Dunis, et sint iudices dominus Claraevallis et abbas Signiaci.

39. Abbatis et conventus de Monasteriis in Argona petitioni favens generale Capitulum, dispensat misericorditer cum fratre Alberto dicti loci monacho, ut non obstantibus protervis responsionibus dudum factis in Capitulo et alibi suis superioribus et maxime suo abbati, dum ipsum redargueret, quia locum alium adierat quam illum pro quo licentiam obtinuerat, et adiuratus super hoc in verbo sacerdotis incurrit periurium, de quo punitus, et tamen adhuc rebellior appellavit, demum retrusus in carcerem quasi per quindenam, istis exigentibus demeritis, poenitentiae luctu detergens reatum, suos mores commutans in melius, seipsum praebuit quasi dignum veniae, ad omnes gradus, status, et honores admittatur, auctoritate generalis Capituli, abbatiali nihilominus dignitate seclusa.

40. Cum fratre Petro de Sancto Quintino, monacho Monasterii in Argona, dispensatur misericorditer per generale Capitulum, ut non obstante apostasia quam incurrit per saeculum discurrens bis per quatuor annos, regulari habitu derelicto, cuius agens demeriti poenitentiam filium se praebuit meritoriae compunctionis, ad omnes gradus et status Ordinis, citra dignitatem abbatialem, restauretur.

41. Domino Claraevallis in Ordinis plenitudine potestatis committitur per generale Capitulum, quod si viderit monasterio de Caherio decem librarum Turonensium venditionem ad vitam dumtaxat Coleti Pagani, clerici et civis Verdunensis, super certas domos et vineas sitas ibidem, fructuosam esse, dum tamen ex

pecunia super hoc habita redimantur quinque calices et una crux ad usuras commissi pro principali septuaginta septem francorum aureorum cum litteris obligatoriis duplum concernentibus, tractatum ex hinc habitum vel habiturum confirmet auctoritate Capituli generalis.

42. Ad petitionem abbatis et conventus de Cheminione restituitur ad omnes status et gradus Ordinis legitimos, citra tamen abbatialem, frater Petrus de Jusseyo, suus conmonachus, non obstante apostasia quam incurrit discurrens quasi per annum in habitu Ordinis per saeculum vagabundus.

43. Admittens generale Capitulum abbatis et conventus de Altofonte petitionem qua cum fratre Iohanne de Brena, suo monacho, qui aliquandiu apostatavit, dispensari petebat, ipsum instaurat ad omnes actus, status, et gradus Ordinis praedictum Capitulum, abbatiali dignitate seclusa.

44. De poenitenta, luctu voluntatis, tamdiu post reatum subiit patienter frater Iohannes de Yonval, monachus de Monasteriis in Argona, generale Capitulum per abbatem loci plenarie informatum, ipsum restituit ad pristinos gradus, status et honores Ordinis, quamvis per annum apostataverit, citra nihilominus abbatiatum.

45. Cum fratre Iacobo de Hampigneyo, monacho de Bullencuria, misericorditer dispensat generale Capitulum et ipsum restaurat ad omnes gradus, honores Ordinis, et status legitimos, citra dignitatem abbatialem, sibi missam restituens, quam amiserat apostatando, quam per sex annos, regulari habitu derelicto, celebrans in saeculo, et alia ministrans indebite sacramenta, non obstantibus apostasia et irregularitate praedictis.

46. Fratris Iohannis du Bouchon, monachi de Cheminione, simplicitate pensata, qui dum licentiam obtinuisset certum locum adeundi, male consultus divertit ad alium in eadem die, quem nihilominus suus abbas reputavit apostatam, et publicam egit poenitentiam, generale Capitulum ipsum reparat et admittit ad omnes status Ordinis etiam abbatialem dignitatem.

47. Domino Cistercii committit reverenter generale Capitulum, ut secundum compertam vel comperiendam informatione praevia possibilitatem monasterii de Pratea gratiam seu remissionem de contributionibus faciat abbati dicti monasterii quantam decreverit, in plenaria dicti Capituli potestate.

48. Ad petitionem abbatis et conventus monasterii de Elee-

mosina, Carnotensis dioecesis, committitur abbati Curiae Dei, licentiato in decretis, Aurelianensis dioecesis, auctoritas et potestas plenaria compellendi, per censuram Ordinis et alia iuris remedia, abbatissam et conventum monasterii de Claretis, Senonensis dioecesis, ad reddendum et solvendum certum redditum annuum in villa vocata de Firmitate Bernardi dictis de Eleemosina debitum, ut asserunt, faciendique inde et super praemissis principali et accessoriis, arreragiis, dependentibus et connexis, breve et plane iustitiae complementum.

49. Abbati de Vallibus Sernaii committitur per generale Capitulum quod si abbatem de Noa repererit, iuxta Benedictinam, teneri abbati et monasterio de Alneto in decem libris, ratione cuiusdam sui monachi qui per unum annum vel quasi, moram traxit in dicto monasterio de Alneto, ad satisfactionem plenariam compellat et coerceat auctoritate Capituli generalis.

50. Ad petitionem abbatis et conventus Joyaci pro fratre Thoma Condé, monacho dicti loci, qui suis iuvenilibus in annis apostatavit quasi per annum, supplicantium ut hiis non obstantibus ad omnes gradus Ordinis restituatur, votum admittens generale Capitulum ipsum reparat et restituit ad omnes status, gradus et honores Ordinis legitimos, citra nihilominus abbatialem dignitatem.

51. Abbati de Belloprato, sacrae theologiae professori et provisori studii Sancti Bernardi Parisius formato bachalaureo in theologia, et cuilibet in solidum, committitur per generale Capitulum ad humilem supplicationem abbatis et conventus de Vallibus Sernaii potestas plenaria coercendi et compellendi, per censuram Ordinis, abbatem de Brollio a reddendum computum de certis pecuniis per ipsum et pro ipso ad romanam Curiam deportatis, quia tunc erat monachus de Vallibus Sernaii, et postmodum confirmatus in abbatem dicti monasterii de Brollio per Papam, compellendumque ad solutionem et faciendum, auctoritate Capituli generalis, partibus iustitiae complementum.

52. Ut, per censuram Ordinis et alia iuris remedia, compellat ad satisfactionem plenariam faciendam de hiis in quibus tenetur abbas de Escarleis abbati et conventui Joyaci, per generale Capitulum abbati Prulliaci committitur in ipsius plenitudine potestatis.

53. Si, ut porrecta generali Capitulo petitio continebat, frater Iohannes Ymer, monachus Joyaci, grangiam quae vocatur

Memorin ipsi monasterio pertinentem laudabiliter rexit per quindecim annos, dum tamen de consensu loci abbatis et conventus maxime processerit, quod habeat et gubernet quamdiu vitam duxerit in humanis, prout decreverint et ordinaverint, concedit et consentit idem Capitulum confirmando.

54. Cum per quatuor annos apostatavit frater Petrus dictus Gaiselet, monachus de Bethania, et ad cor redierit poenitentis, ad petitionem tamen abbatis sui, qui eius morum conversionem agnoscit, ad omnes gradus et status Ordinis, citra nihilominus abbatiatum, resituitur per generale Capitulum, de gratia speciali.

55. Per generale Capitulum committitur abbati de Eleemosina ut si repererit abbatem de Curia Dei teneri Emmonio Bullet, servitori quondam sui praedecessoris, in aliqua pecunia sui ratione servitii, auditis utrobique partibus iustitiae faciat eisdem complementum.

56. In virtute sanctae obedientiae praecipit et iniungit generale Capitulum committendo abbati Fusniaci quatinus de vita, moribus et conversatione fratris Iohannis Lupi, monachi apostatae de Grandiprato, Leodiensis [dioecesis], cum omni diligentia se informet, et si repererit ipsum culpabilem et vitiosum puniat eum per carceres vel alias ut demeruerit, auctoritate Capituli generalis, praecipiatque abbatissae de monasterio Dominarum sub poena excommunicationis, quatinus dictum fugitivum de suo monasterio expellat indilate.

57. Ad petitionem abbatis et conventus monasterii de Buxeria, Andegavensis dioecesis, dispensatur misericorditer per Capitulum cum fratre Petri Forban suo conmonacho, ut non obstante quod in sua camera in dicto monasterio quaedam mulier dissoluta reperta fuerit, ad omnes Ordinis gradus et honores, citra statum abbatialem, valeat promoveri.

58. Abbatissae et conventus monasterii de Gaudio Beatae Mariae prope Hen[ne]bont, Venetensis dioecesis, annuens petitioni generale Capitulum, cum sorore Theophania suae conmoniali dispensatur gratiose, ut quamvis maculata fuerit et de carnali convicta contagio, puerperio subsequente, ad omnes gradus, status, honores et officia Ordinis assumi valeat, abbatiali dignitate seclusa.

59. Quia de fratris Iohannis Multoris, monachi de Oratorio, laudabili conversatione generale Capitulum per abbatem et

conventum loci existit informatum, ad gradus, status et honores Ordinis legitimos restituit, quos amiserat occasione cuiusdam mulieris, quae fuit in sua camera Parisius in studio Sancti Bernardi reperta per consilium, citra nihilominus abbatiatum.

60. Si repererit per litteras, aut alia documenta legitima, teneri et obligatum esse abbatem de Thorigneyo monasterio de Alneto in aliqua summa pecuniae vel alias, abbas de Sancto Andrea in Gouferno, sibi committitur per generale Capitulum ipsum coercendi, per censuram Ordinis, ad satisfactionem plenariam de probatis.

61. Cum sorore Jaqueta de Castillione, moniali de Amore Dei prope Troissiacum, dispensatur per generale Capitulum quatinus ad omnes gradus et honores Ordinis legitimos deinceps assumi valeat, suis meritis exigentibus, non obstante quod suspecta fuerit de puerperio, quamvis nec accusata fuerit nec convicta.

1399

Anno [a] Domini millesimo trecentesimo nonagesimo nono statuta sunt haec apud Cistercium in Cisterciensis Ordinis Capituli generali.

ORATIONES.

1. Pro romanae Ecclesiae statu quem Dominus, etc. ut supra anno 1395 [b] *(stat.* 39 *seq.)*.

2. Pro serenissimo domino Carolo rege Francorum, etc. ut supra anno 1395.

3. Pro burgensibus, etc. ut supra anno 1395.

4. Pro felicis et inclitae recordationis dominis quondam nostris dominis Philippo, Iohanne, et Carolo regibus Francorum, et reginis eorum consortibus ultimo defunctis, et maxime pro felicis et piae recordationis dominae quondam Blancha de Navarra regina Franciae, etc. ut supra ano 1395.

5. Pro pace et unitate, etc. ut supra.

1399. *Fontes* : *J* : 1-46, 48-73 ; *L*[1] : 1-73 ; *M* : 36-41 ; *P*[2] : 1, 14, 33, 36-41, 46, 54, 56, 64. *W* : 40. [a] *Titulus apud JL*[1]. [b] *J abbrev.* ; *L*[1] *ubique fuse recitat unumquodque statutum.*

6. Contra abbates qui non venerunt in Capitulo generali. — Abbates Ordinis universi, qui ad praesens generale Capitulum non venerunt, etc. ut in anno 1390 *(stat.* 4). Infrascriptos dumtaxat habet idem Capitulum in, de et super hoc favorabiliter excusatos, videlicet de Buzeyo, de Ponte oltrani, de Insula de Ré, de Pratea, de Ursicampo [c], de Morolia, de Charone, de Trisagio, de Gratia Dei, de Brolio, de Castellariis, de Domo Dei super Carum, de Fontemorum, de Thela, de Caroloco, de Prulliaco, de Oratorio, de Frigidimonte, de Boheriis, de Belloprato Belvacensi, de Vetericampo, de Pietate Dei, de Claritate, de Eslancio, de Barbello, de Eleemosina, de Valle clara, de Carmeya, de Sancto Albino, de Calercio, Valle regis, de Briostella, de Bullencuria, de Caroliloco, de Luzela, de Bonavalle in Pictavia, de Valentina, de Vallibus in Ornesio, de Misericordia Dei, de Signiaco, de Chezeriaco, de Relec, de Cassania, de Fusniaco, de Laude, de Longoponte, de Bonofonte, de Valle Beatae Mariae, de Joyaco, de Vallemagna, de Oliveto, de Bonomonte.

7. Cum Ordo noster Cisterciensis, etc. ut in anno 1391 (*stat.* 2).

8. Ad cogendum debitores. — Ad requestam reverendi patris domini, etc. ut habetur in anno 1390 (*stat.* 19).

9. Conceditur per Capitulum generale, etc. *ut in anno praeced. stat.* 9.

10. Quamvis soror Kzeketta [d], filia domini Philippi de Reinghersuliete, monialis monasterii de Braella nostri Ordinis, defectum natalium, ut asserit, patiatur, genita de soluto et soluta, quia tamen fide digno testimonio relatum est Capitulo generali eam paternae incontinentiae sectatricem non esse, sed bonae conversationis et vitae, et quod alias sibi ad dispensationis gratiam obtinendam merita suffragantur, ut igitur, non obstante dicto defectu natalium, possit ad omnes actus, honores et dignitates Ordinis, si sibi alias merita congruentia suppetant, promoveri dicta Kzeketta secum dictum generale Capitulum misericorditer dispensat.

11. Abbatissae monasterii de Monstereolo, in virtute sanctae obedientiae et sub excommunicationis et depositionis et abbatiali dignitate latae sententiae poenis, districte praecipit et iniungit generale Capitulum certis et iustis causis ad hoc permotum, quatinus infra tres dies post diem notificationis praesentis diffini-

[c] etc. : *J qui sic desin.* [d] Bizelvetta : L^1.

tionis sibi factae immediate sequentes, quorum dierum primum pro primo, secundum pro secundo et tertium pro tertio et canonico ac peremptorio termino sibi dictum Capitulum assignat fratrem Iohannem Lupi monachum, ut dicitur de Grandiprato, dioecesis Leodiensis, expellat, eiiciat a dicta abbatia de Monstereolo, et ab omni conversatione et frequentatione ipsius monasterii et omnium personarum eius, ipsum numquam de cetero in dicta abbatia vel in sua et aliarum personarum dicti monasterii societate, sub dictis poenis admissura vel receptura, cum satis constat dicto Capitulo generali, quod dictus frater Iohannes Lupi nullam omnino causam habeat ibidem morandi, nec sua mora aliqualiter cedit in utilitatem dicti monasterii, sed in infâmiam gravem sui ipsius ac dictarum abbatissae et personarum ipsius monasterii et animarum suorum detrimentum, Ordinis dedecus, et scandalum plurimorum. Abbatibus autem, praecipue de Ygniaco, de Valle clara, et de Boheriis, et aliis abbatibus Ordinis nostri in illis partibus constitutis, et eorum cuilibet, in virtute sanctae obedientiae, praecipit dictum Capitulum generale, quatinus praesentem diffinitionem coram tabellione publico vel sufficientibus testibus nuntient et notificent sine dilatione abbatissae praedictae, data sibi copia eiusdem ad expensas suas, si voluerit habere, et quidquid inde fecerint, sub instrumento publico vel sub patentibus litteris eorum sigillis sigillatis proximo referant Capitulo generali, absolutionem autem praedictarum sententiarum sibi reservat dictum Capitulum generale.

12. Cum abbas de Bella brancha indurato et pertinaci animo contributiones per generale Capitulum impositas per multos annos solvere recusaverit et recusat, allegando excusationes frivolas in peccatis, multiplices sententiarum laqueos incurrendo, irregularitatem etiam cum non vereatur se immiscere divinis in divinae Maiestatis offensam, exempli perniciem, contemptum Ordinis et scandalum plurimorum, generale Capitulum ex certa scientia dictum abbatem decernit et declarat sententias et poenas quascumque per statuta papalia et Ordinis contra non solventes contributiones latas incurrisse, et ulterius ipsum abbatem de Bellabranca per quoscumque notarios apostolicos, imperiales et alios capellanos curatos, non curatos; abbates, priores, cellerarios et alios officiales Ordinis, qui super hoc requisiti fuerint; ipsum Capitulum citari requirit, praecipit et iniungit peremptorie et personaliter, et hoc sub poena depositionis ab abbatiali digni-

tate, videlicet ad tricesimam diem a pronuntiatione et citatione praesenti computandam coram reverendo patre domino Cisterciensi abbate, responsurum ad ea quae sibi obiicientur ex officio per dominum memoratum, cum intimatione quod, sive comparuerit, sive non, contra ipsum procedetur prout rationis fuerit, eius contumacia non obstante. Mandat igitur dictum Capitulum ipsiusque Diffinitores universis et singulis abbatibus circumvicinis, et eorum loca tenentibus, aliisque ad quorum notitiam praesens diffinitio devenerit, quatinus dictum abbatem de Bellabranca singulis diebus dominicis et festivis, palam et publice, in suis capitulis excommunicatum denuntient, et ab omnibus et singulis, etiam a propriis monachis dicti abbatis de Bellabranca praecipiant evitari.

13. Abbati de Montepetroso restituit generale Capitulum administrationem regiminis temporalis, eidem per dominum Cistercii ex certis rationibus nuper ablatam, videlicet hinc ad annum revolutum, ita tamen quod anno immediate sequenti in Capitulo generali dictus abbas, de et super dispensatis et administratis per ipsum plenam et lucidam habeat reddere rationem.

14. Cum frater Laurentius monachus monasterii Beatae Mariae de Cyps, Stringonensis dioecesis, bono zelo motus, propter mala et excessus quae fiebant in proprio monasterio, ad monasterium Morimundi tanquam ad superiorem accessit, sine proprii abbatis licentia, Capitulum generale decernit et declarat nullum apostasiae crimen incurrisse, sed acquisivisse meritum, committendo domino Morimundi ad cautelam plenariam potestatem absolutionis beneficium eidem impendendi, si forte dictus frater Laurentius scrupulosa conscientia ductus requisierit eamdem.

15. Executionem et processum per dominum abbatem Grandissilvae, commissarium domini Morimundi, factam in, et super installatione abbatis Scalae Dei, tamquam rite et canonice factam, Capitulum generale ex certa scientia corroborat, confirmat et ratificat.

16. Domino Pontigniaci, sacrae theologiae professori, et abbati de Valle Beatae Mariae per generale Capitulum committitur, quatinus si traditionem cuiusdam domus in villa de Argenceol cum torculari, vineis et aliis quibusdam haereditagiis sitis, per abbatem et conventum monasterii Caroliloci factam Guillelmo Le Francois et Perrenelle eius uxori ad censum annuum et per-

petuum, invenerint dicto monasterio fructuosam, eamdem auctoritate Capituli generalis ratificent et confirment.

17. Informationes et processus facti contra fratrem Stephanum abbatem monasterii Altifontis hinc ad generale Capitulum anni immediate sequentis committuntur et differuntur, ita tamen quod dictus abbas promisit, medio iuramento, in dicto anni sequentis Capitulo vel si tunc legitime fuerit impeditus, quam primum commode poterit coram domino Cistercii personaliter comparere, stareque in omnibus et per omnia absque appellatione seu reclamatione quacumque, et parere, in et super praemissis, ordinationi dicti Capituli seu domini Cistercii, et hoc sub poena depositionis, ad quam praefatus dominus Cistercii de consensu et assensu Diffinitorum eiusdem Capituli ex nunc prout ex tunc, prout exponitur, profert, promulgat et pronuntiat in hiis scriptis.

18. Ad petitionnem abbatis et conventus monasterii de Villanova, Nannetensis dioecesis, generale Capitulum committit iniungendo abbatibus de Buzeyo et de Precibus Nannetensis et Venetensis dioecesium, et eorum cuilibet in solidum, quatinus omnes et singulas Ordinis nostri Cisterciensis personas quas repererint obligatas esse seu teneri dictis abbati et conventui dicti monasterii de Villanova in quibuscumque pecuniarum summis et rebus aliis, ad satisfaciendum eisdem abbati et conventui monasterii Villaenovae de dictis pecuniarum summis et rebus aliis, per censuram Ordinis, auctoritate dicti Capituli et in eiusdem Capituli plenaria potestate, viriliter coerceant et compellant, invocato, ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

19. Idem committitur abbati de Belloprato, sacrae theologiae professori, Belvacensis dioecesis, pro abbatissa et conventu monialium de Gomeri[e] Fonte, Rothomagensis dioecesis, pro debitis in quibus eis tenentur, ut asserunt, abbatissa et conventus monasterii de Thesauro.

20. Ad supplicationem Colini de Quemin, civis Rothomagensis, abbati de Mortuomari eiusdem dioecesis generale Capitulum committit quatinus, abbatissam et conventum monasterii monialium de Fonte Gerardi, dictae dioecesis, coerceat et compellat per censuram Ordinis, ad solvendum et reddendum dicto Colino

---

[e] Bornier : *L*[1].

omnia et singula debita, in quibus dictam abbatissam et conventum per testes idoneos seu legitima documenta obligatas esse repererit, invocato ad hoc, si opus fuerit, iudicum ecclesiasticorum auxilio et brachii secularis.

21. Attentis virtutum meritis, quibus frater Iohannes Sedematre, monachus monasterii de Capella [de Thosan] post quatuor annorum et ultra apostasiam et lapsum carnis perpetratum in villa de Brugis [f] laudabiliter claruit, eumdem generale Capitulum restituit ad officia, administrationes, dignitates et ceteros legitimos actus Ordinis exercendos, si dum et quoties de abbatis et conventus dicti monasterii de Capella beneplacito provenerit et assensu.

22. Cum sorore Margareta Vavassoris moniali monasterii de Sancta Colomba in Blandeka dispensat generale Capitulum quatinus, non obstante defectu natalium quem patitur ex religioso et soluta progenita, ad omnes actus Ordinis legitimos, abbatiatu secluso, suis exigentibus meritis valeat promoveri.

23. Reformatio omnium monasteriorum in tota lingua Occitana et regnis Hispaniae domino Morimundi committitur in omnimoda potestate, ut in forma [consueta].

24. Abbatibus de Buzayo et de Vallenova, et eorum cuilibet in solidum, generale Capitulum committit iniungendo quatinus omnes et singulas personas Ordinis, quas abbati et conventui monasterii de Precibus obligatas esse repererit in quibuscumque pecuniarum summis et rebus aliis, ad satisfaciendum eisdem abbati et conventui de Precibus, per censuram Ordinis, viriliter coerceant et compellant.

25. Cum fratre Iohanne de Buona [g], monacho Boniportus, gratiose dispensat generale Capitulum quatinus, non obstante apostasia trium mensium per ipsum damnabiliter perpetrata, ad omnes actus Ordinis legitimos, voces, gradus, administrationes et officia, suis exigentibus meritis, valeat promoveri.

26. Hoc idem conceditur fratri Guillelmo Macana, monacho de Populeto, non obstante apostasia quatuor mensium, regulari habitu derelicto.

27. Ad petitionem abbatis et conventus de Longovillari, Morinensis dioecesis, committit et iniungit generale Capitulum de Caricampo et de Gardo monasteriorum abbatibus, quatinus si

---

[f] Baugis : L^1. [g] Briona : L^1.

traditio quorumdam terrarum arabilium cuiusdam parvae grangiae, nemus Iohannis nuncupatae, et unius molendini siti in villa de Estoëriffe ad dictum monasterium de Longovillari pertinentium, videlicet ad censum annuum et in emphiteosim sit ipsi monasterio de Longovillari necessaria vel utilis, faciant quod fiendum viderint ad monasterii relevamen, auctoritate Capituli generalis.

28. Diffinitio quaedam anno immediate praeterito edita corroboratur, ratificatur et confirmatur, cuius quidem diffinitionis tenor sequitur et est talis : Domino Cistercii committit reverenter generale Capitulum ut, secundum compertam vel comperiendam, informatione praevia, possibilitatem monasterio de Pratea gratiam seu remissionem de contributionibus faciat abbati dicti monasterii, quantam decrevit in plenaria dicti Capituli potestate.

29. Domino Pontigniaci, sacrae theologiae professori, committit generale Capitulum quatinus, si duo deserta vinearum in finagio Antissiodorensi sita, Iohanni Regnier iuniori et Guidoni Bunos [h] Antissiodori commorantibus ad census annuos et perpetuos tradita cedant, ad utilitatem monasterii de Barbello sive de Sacro portu tractatum, in, de et super hoc per abbatem et conventum praedicti monasterii Sacri portus confectum et praedictos Iohannem et Guidonem confectum et initum, cedant ad utilitatem et commodum praefati monasterii et conventus, dictum tractatum si, et in quantum rite procedit, confirmet et ratificet, auctoritate praefati Capituli generalis.

30. Reformationem monasterii de Palatio, monasterio de Dalone [i] immediate subiecti, in quo regulares observantiae, prout ad generalis Capituli audientiam deductum est, pene penitus perierunt; committit idem Capitulum de Curia Dei, de Feneriis, de Pratea et de Obazina monasteriorum abbatibus, et eorum cuilibet in solidum, cum omnimoda ipsius Capituli potestate et clausulis opportunis et rationabiliter requisitis.

31. De Curiae Dei, de Feneriis, de Pratea et de Obazina monasteriorum abbatibus, et eorum cuilibet in solidum, committit generale Capitulum omnimodam potestatem compellendi nonnullos abbates de generatione monasterii de Dalone, ad expensas moderatas et rationabiles cuiusdam monachi de Dalone, pro visi-

---

[h] Bitirot : L^1. [i] Salone : L^1.

tandis monasteriis sibi immediate subiectis deputati, per censuram Ordinis et quibuscumque aliis remediis opportunis.

32. Cum prout abbas monasterii Bonaecumbae Capitulo generali insinuare curavit, multae monasterii sui terrae, grangiae et possessiones aliae in partibus Rutenensi et Albigesii occasione guerrarum et mortalitatum, quae longo tempore, ut asserit, in suis partibus viguerunt, remanserint et remanent incultae, et dicto monasterio minime fructuosae, patri abbati et Silvanesio monasteriorum abbatibus generale Capitulum committit et iniungit quatinus de praemissis se informent, cum diligentia et adhibito senioris partis conventus consilio, dicto incommodo meliori modo quo poterunt obviare laborent, auctoritate Capituli generalis.

33. Informationes et processus factos contra abbatem de Stamedio, generale Capitulum hinc ad alium Capitulum anni immediate sequentis Capitulum praesens, modo et forma quae sequitur continuare decrevit. Primo, dictus dominus abbas de Stamedio tenebitur in proprio monasterio residentiam continuam facere, nullamque grangiam praesertim grangiam de Enresiol inhabitare, frequentare aut intrare quomodolibet infra Capitulum anni [M] CCCC, nisi forte transitorie et nisi super hoc gratiam vel permissionem a domino abbate Cistercii, vel patre abbate habuerit specialem. Item, tenebitur dictus abbas infra festum Purificationis proxime venturum comparere coram dicto domino Cistercii[j]; exhibiturus litteras domini comitis Sabaudiae, benevolentiam et amicitiam praefati domini erga ipsum continentes, et alias sufficienter informare dictum dominum Cistercii quomodo ceteri domini patriae et fundatores loci contentantur de ipsius regimine et vita. Item, non poterit ullam administrationem temporalem vel spiritualem infra dictum Capitulum personaliter exercere, nisi prout dictum est a praelibato domino Cistercii, seu a suo patre abbate, super hoc licentiam habuerit specialem. Item, nullam poterit renuntiationem seu cessionem status sui in manus cuiuscumque facere, nec et quemlibet tractatum inire super abbatiae permutatione, nisi de licentia patris abbatis praefati. Item, tenebitur personaliter comparere in dicto proximo venturo Capitulo generali, recuperationem impositorum sibi criminum ostensurus. Et haec omnia et singula tenebitur adimplere et

---

[j] etc. : *P*[2] *qui sic desin.*

facere dictus abbas Stamedii sub poena depositionis ab abbatiali dignitate, qua depositionis poena praefatus dominus Cistercii de unanimi omnium ipsius Capituli generalis Diffinitorum consensu et vice ac nomine eorum eximitur prout eximit et contra profert et pronuntiat in hiis scriptis. Quam etiam depositionis sententiam saepe dictus abbas de Stamedio in se suscepit et suscipit absque reclamatione per ipsum in posterum facienda.

34. Exigente contumacia abbatis monasterii Vallis benedictae, Lugdunensis dioecesis, qui citatus peremptorie et personaliter et sub poena depositionis ab abbatiali dignitate ad praesens Capitulum ibidem accedere, nec se quomodolibet excusare curavit, ipsum Capitulum excommunicat in hiis scriptis, et excommunicatum per patrem abbatem et alios requirendos ipsum, palam et publice, in monasterio proprio et locis circumvicinis praecipit nuntiare. Et quoniam dictus abbas Vallis Benedictae de et super nonnullis criminibus apud nos nonnullosque bonos et graves delatus et diffamatus extitit, ut monasterium suum praedictum a noxiis et incommodis praeservetur; regimen et administrationem temporalis eiusdem, sub dicta depositionis poena, eidem abbati inhibet, et per patrem abbatem praecipit inhiberi, committendo dictum regimen temporale uni vel pluribus idoneis vel idoneo; qui de tractandis per ipsos sciant reddere rationem eidem patri abbati, praecipiens et iniungens quatinus quam primum commode poterit ad dictum monasterium Vallis Benedictae personaliter se transferat, de ac super praetactis excessibus per testes idoneos se informet cum diligentia, et quidquid super hoc repererit, domino Cistercii transmittere seu deportare non negligat, citando ipsum abbatem Vallis Benedictae, uno edicto pro omnibus, personaliter et hoc sub poena depositionis ab abbatiali dignitate, ac carceris, ad certum et competentem diem, coram praefato domino Cistercii cum intimatione quod, sive comparuevit sive non, contra ipsum procedetur, prout rationis fuerit, eius contumacia non obstante.

35. Traditiones nonnullarum possessionum sterilium et incultarum ac etiam aliarum ad censum annuum et perpetuum per abbatem et conventum monasterii Bonaevallis, Viennensis dioecesis, factas de unanimi eorumdem consensu et pro monasterii commodo, Capitulum generale ratificat et confirmat, et de consimilibus consimiliter tradendis inposterum licentiam impertitur.

36. Quoniam observari discretio debet in numero religiosorum in monasteriis ponendorum, ut videlicet tot simul et non plus cohabitent, qui vivere possint ordinate, ne vel excusante paucitate vivant irregulariter, vel prae multitudine cohabitantium necessitatibus eorum illicite quaerere compellantur, sed dum quaerunt plura, exterior cura crescit, per diversas regiones Ecclesiae beneficia sparguntur, et pro regendis ipsis fratres necessario sparsi subsequuntur, soli inter saeculares habitant, et nolentes pati fraudem iudicio contendere sunt parati. Qui vero per cellulas duo vel tres, vel etiam quatuor aut quinque simul habitant, claustrali non coarctuntur lege, sed pro libitu plerique suo vivunt, et inter gentes commixti discunt eorum vitam et opera, et ut saeculares diversis serviunt sculptilibus vitiorum, ac religionis statuta et Ordinis formam, ac observationes devotas nedum non servantes, pene penitus obliviscuntur. Propter quod antiqui nostri sancti patres salubriter, imo necessario propter observantiam regulae sancti Benedicti secundum quam regulam nos omnes solemniter vovimus [k] et promisimus conversari, statuerunt in diffinitionibus per eos editis, ut ad novam abbatiam minus quam duodecim monachi cum abbate tertiodecimo non mitterentur, ipso loco prius domibus, libris, et aliis necessariis sic aptato, qui ibi competenter vivere possent et regulam observare, quodque minora monasteria tam monachorum quam monialium, in quibus non possent congrue sustentari duodecim monachi vel moniales ibidem assidue residentes, ut per omnia possent communia statuta Ordinis observare, patres abbates committerent [l] aliis monasteriis et unirent. Cum igitur monasterium monialium de Insulis, Antissiodorensis dioecesis, immediate Citerciensi subiectum monasterio, sit adeo tenuiter reddituatum, et bonis temporalibus insufficienter dotatum, quod nullatenus aut vix in eodem possit [m] dictus numerus monialium cum personis eis propter sua spiritualia temporaliaque negotia procurando necessariis ad vitam suam transigendam sufficienter procurari, seu commode sustentari, generale Capitulum propter hoc et alia plura, ipsum ad hoc merito inducentia multum iuste unit, incorporat et annectit dictum monasterium de Insulis monasterio Pontigniacensi satis eidem propinquo pro grangia vel cella-

---

[k] vivimus : *JMP*². [l] coniungerunt : *M*. [m] possent quatuor vel quinque : *L*¹.

rio faciendis, abbati dicti monasterii Pontigniacensis committendo praecipiens et iniungens idem Capitulum, quatinus abbatissam, moniales et ceteras personas regulares, quae nunc sunt dicti monasterii de Insulis, emittat auctoritate dicti Capituli extra dictum monasterium ad alia singula monasteria monialium dicti Ordinis nostri, quae sint potentia ad sibi necessaria sicut ceteris suis monialibus ministranda, et in eisdem singulis monasteriis faciat eas recipi regulariter quamdiu vixerint commorandas, possessionemque dicti monasterii de Insulis veram, manualem, et realem reddituum, proventuum, fructuum et emolumentorum, bonorum, haereditagiorum, possessionum, rerum et pertinentiarum, mobilium et immobilium eiusdem accipiat et intret pro se et suo conventu ac monasterio Pontigniaci, per censuram Ordinis, invocato ad praemissa et infrascripta, si opus sit, auxilio brachii saecularis ; ita tamen quod ipsi abbas et conventus dicti monasterii Pontigniaci, et sui successores, iugiter omni tempore teneant in loco dicti monasterii de Insulis, expulsis inde perpetuo monialibus et aliis mulieribus quibuscumque, et sustentent in sibi necessariis, et ad haec facienda sint obligati et astricti, tot monachos sacerdotes quot ibidem propter reverentiam divini cultus et inhumatorum seu sepultorum corporum humanorum et salutem animarum ipsorum, qualibet die una missa ad minus indeficienbiliter celebretur. Et nihilominus committit idem Capitulum generale universis et singulis abbatibus dicti Ordinis, et specialiter abbatibus de Prulliaco et Rigniaco, et eorum cuilibet quatinus si necesse fuerit, et ad hoc ex parte dictorum abbatis et conventus Pontigniaci fuerint requisiti, ad dictum monasterium de Insulis et ipsius pertinentias personaliter se transferant, et executioni debitae praesentem diffinitionem demandent, praecipitque districte ac iniungit, sub poenis excommunicationis et incarcerationis perpetuae, praefatis abbatissae et monialibus; quae pro nunc sunt in dicto monasterio de Insulis, quod dicto abbati Pontigniaci ceterisque commissariis abbatibus, si qui ad hoc fuerint evocati, pareant humiliter ac devote, nullam rebellionem vel contradictionem in hiis quae concernunt praesens nostrum statutum vel ipsum contingentia, emergentia et dependentia, per seipsas vel alias quascumque personas, ullatenus inferendo. Ita tamen quod dicti abbas et conventus monasterii Pontigniaci tenebuntur, in festo sancti Remigii de capite octobris, postquam pacificam et integram possessionem

dicti monasterii de Insulis eiusque pertinentias habuerint, seu fuerint assecuti, solvere decem libras turonensium parvorum domui studii Sancti Bernardi parisiensis pro reparatione et sustentatione domorum studii memorati, et hoc singulis annis in perpetuum, et de eo faciant dictae domui Sancti Bernardi et eius gubernatoribus, sine mora post adeptam possessionem litteras obligatorias patentes et alias competentes.

37. Consimili modo et cum conditionibus praedictis, unit et incorporat generale Capitulum monasterium de Monte Nostrae Dominae prope Pruvinum, dioecesis Senonensis, monasterio Prulliaci, dioecesis supradictae.

38. Consimili modo et cum conditionibus praedictis, unit et incorporat Capitulum generale monasterium monialium de Penthemont, dioecesis Belvacensis, monasterio Belliprati, dioecesis supradictae.

39. Consimili modo et cum conditionibus praedictis, unit et incorporat Capitulum generale monasterium monialium de Consolatione Beatae Mariae, alias de Masuris, Remensis dioecesis, monasterio de Ellancio, dioecesis supradictae.

40. Consimili modo et cum conditionibus praedictis, per centum solidorum turonensium annuatim dumtaxat, unit et incorporat Capitulum generale monasterium monialium de Benedicta Valle, Tullensis dioecesis, monasterio Claraevallis, Lingonensis dioecesis.

41. Consimili modo et cum conditionibus praedictis, libere tamen, unit et incorporat Capitulum generale monasterium monialium de Valle Vinearum, Lingonensis dioecesis, monasterio Claraevallis, dictae dioecesis Lingonensis.

42. Domino Cistercii reverenter et abbati de Moris, aut alteri eorumdem, committit generale Capitulum quatinus ipsi vel eorum alter, qui primus super hoc fuerit requisitus, coerceat et compellat, per censuram Ordinis et alia iuris remedia, omnes et singulas utriusque sexus nostri Ordinis personas quas, per testes idoneos seu alia documenta legitima, esse repererint obligatas domino Claraevallis et suo conventui, tam particulariter et divisim quam coniunctim, in quibuscumque pecuniarum summis et rebus aliis, quocumque nomine censeantur.

43. Ad petitionem abbatissae et conventus monasterii de Sewinke [n], committit abbati de Dunis generale Capitulum qua-

---

[n] **Selbineleo : *L*¹.**

tinus de paupertate et inopia dicti monasterii se informet. Quod si tanta fuerit, quod ipsius monasterii debita persolvi nequeant absque venditione redditus viginti francorum aureorum ad vitam unius vel duarum personarum simul, dictam venditionem faciendi, auctoritate dicti Capituli, licentiam tribuat et concedat, proviso quod pecunia de venditione huiusmodi habita, in nullos alios quam in debitorum monasterii solutionem quorumlibet convertatur.

44. Domino Claraevallis, sacrae theologiae professori, et abbati de Valle clara, et eorum cuilibet in solidum, committit generale Capitulum quatinus omnes et singulas Ordinis personas, quas teneri seu fore obligatas repererint abbati et conventui Ygniaci, in quibuscumque pecuniarum summis et rebus aliis, ad satisfaciendum eisdem abbati et conventui integraliter et complete, per censuram Ordinis, auctoritate dicti Capituli et in ipsius potestate, coerceant viriliter et compellant.

45. Ad supplicationem abbatis Bellaevallis, cum fratre Nicolao Salomonis, monacho monasterii Lucellensis, per generale Capitulum dispensatur quod, non obstante apostasia quam incurrit per octennium vel quasi, assumi valeat ad omnes actus Ordinis legitimos, abbatiatu secluso.

46. Abbatis de Bonoportu senio et gravitati compatiens generale Capitulum, ipsum habet a via Capituli de cetero favorabiliter excusatum.

47. Ad idem de Bella pertica.

48. Ad idem pro abbate de Veteri villa.

49. Ad idem de Gratia Dei in Burgundia.

50. Ad idem pro abbate de Caroloco.

51. Ad idem de Berdonis.

52. Abbatis et conventus monasterii de Barbello petitio continebat quod, cum dudum frater Adam de Parisius suus monachus, animi ductus levitate per spacium ferme trium mensium apostataverit, regulari habitu derelicto, verumtamen quia suam vitam commutavit in melius dignaretur cum eo generale Capitulum dispensare ; hinc est quod dictum Capitulum, misericorditer agens cum illo, dispensat ut, hiis non obstantibus, ad omnes actus, status, gradus et honores Ordinis legitimos promoveri valeat etiam abbatialem dignitatem.

53. De Curia Dei, Aurelianensis dioecesis, licentiato in decretis, de Nigro lacu et de Pratea monasteriorum abbatibus, et eo-

rum cuilibet in solidum, committitur per generale Capitulum quatinus, lites et iurgia mota inter abbatem de Bonoloco et fratrem Iohannem de Bellobourdino, monachum dicti loci, qui contra suum abbatem appellationem interiecit, diversis mediis eum ad hoc moventibus, de quibus et omnibus dependentibus ab eisdem et connexis, tam iurgiis, causis et appellatione praemissis quam aliis, veritate comperta, fine debito terminent, et partibus faciant iustitiae complementum.

54. Fratris Iohannis de Vallibus, prioris monasterii de Miratorio, per generale Capitulum admittitur petitio continens in substantia quod, cum de suorum parentum bonis acquisierit pro perpetuo decem terrae libratas, de consensu proprii abbatis et conventus, dictum redditum possideat quamdiu vitam duxerit in humanis, dum tamen post eius decessum idem redditus a dicto monasterio possideatur.

55. Domino Claraevallis, sacrae theologiae professori, et abbati Signiaci, eorumque cuilibet in solidum, committit generale Capitulum, ut omnes et singulas Ordinis personas quas, per legitima documenta, fore viderint obligatas abbati de Dunis et eiusdem loci conventui, ad dictorum supplicationem ipsi porrectam Capitulo, coerceant viriliter, per censuram Ordinis, ad plenariam et debitam satisfactionem.

56. Si de consensu processerit et voluntate abbatis et conventus de Mellereyo, dispensatur gratiose per generale Capitulum cum fratre Guillelmo Oliverii, monacho et cellerario dicti loci, ut non obstante quod, sine licentia et quasi contra inhibitionem proprii abbatis expressam; occasione sui cellerariatus officii in villa de Mellereyo pernoctavit, de quo sibi postmodum iniunctam poenitentiam devote peregit, ut dicitur, ad omnes status, gradus, honores et dignitates valeat promoveri.

57. De Curia Dei et de Calocheyo monasteriorum abbatibus committitur per generale Capitulum quatinus ad monasterium de Ponte octrani personaliter accedentes, diligenter se informent de vita, moribus et conversatione fratris Iohannis Morini, monachi dicti monasterii de Ponte otranic, ut dicitur, intrusum et irrationabiliter dicti monasterii regimen occupantem; quod si repererint dictum fratrem Iohannem intrusum et criminosum, a dicto monasterio expellant viriliter, auctoritate Capituli generalis, cuius loco secundum Ordinis instituta alius idoneus per eos subrogetur.

58. Cum alias fuerit dispensatum cum fratre Iohanne Marescalli, monacho monasterii de Buzeyo, qui occasione cuiusdam furti, per eum tamen restituti, poenam carceris pertulit, ut dicitur, patienter, ut hoc non obstante et apostasia quam olim incurrit, adduci posset et assumi ad omnes actus legitimos, citra nihilominus abbatiatum, de ipsius moribus in melius commutatis generale Capitulum informatum, si de consensu abbatis sui et conventus processerit, etiam dictis gratiis adiungit abbatialem dignitatem.

59. Ad humilem supplicationem abbatis et conventus Joyaci, per suas litteras in patenti restituuntur ad omnes gradus, honores Ordinis legitimos et dignitates fratres Iohannes Morini et Iacobus de Oratorio, sui conmonachi, qui suadente diabolo per saeculum vagabundi quasi per duos menses iuveniliter apostataverunt.

60. Si de beneplacito processerit et assensu serenissimi Principis domini ducis Britanniae, qui specialem devotionem ad monasterium de Precibus habere dignoscitur, frater Iohannes Radulphi, monachus dicti monasterii de Precibus, ad omnes gradus, status et honores, ita tamen quod de cetero Parisius ad studium non revertatur, de speciali gratia per generale Capitulum admittitur, non obstante diffinitione, suis demeritis exigentibus, anno 1397 in generali Capitulo edita contra ipsum.

61. Domino Pontigniaci, sacrae theologiae professori, et abbati Prulliaci, ac eorum cuilibet in solidum, per generale Capitulum committitur ut super eo quod conquestus est ipsi Capitulo abbas Igniaci modernus, de fratre Iohanne de Alacrimonte suo praedecessore immediato, quod cum assumptus fuerit suo tempore in abbatem monasterii Vallis lucentis multa bona ipsius dimissi monasterii secum tulit, ut asserit, et duxit ad monasterium Vallis lucentis praedictum, equum videlicet valoris quasi triginta librarum turonensium, et unam caudam plenam diversis mobilibus, quae reddere modernus Vallis lucentis abbas differt et recusat in conquerentis et sui monasterii praeiudiium et gravamen, inquirant diligenter ipsi vel alter eorum. Quod si per informationem debitam compererint ita fore, et ipsa bona monasterii Quinciaci versa fuisse in usum et utilitatem monasterii Vallis lucentis praesertim cum similiter reverendissimus pater dominus Cistercii et eiusdem loci conventus, per suum procuratorem, a dicto patre Iohanne de Alacrimonte, dudum monacho

Cistercii, requisierint et habuerint in suo peculio, facta compositione, sexaginta libras turonenses, quas persolvit dictum monasterium Quinciaci, abbatem dicti loci Vallis lucentis et eius officiarios viriliter et debite per monitiones, sententias et aliter, per censuram Ordinis, ad praemissorum omnium restitutionem coerceant, in plenaria dicti Capituli potestate, seu alias faciant ut fuerit rationis.

62. Ad abbatis Quinciaci et eiusdem loci conventus petitionem conceditur generale Capitulum de speciali gratia fratri Iohanni de Rota, suo conmonacho, ut ad omnes status, gradus, et honores, dignitatesve admitti valeat et assumi non obstante quod per annum vel quasi apostataverit, regulari habitu derelicto.

63. Ut non obstante defectu natalium quem patitur soror Margareta de Brena monialis monasterii de Valle Vinearum ex solutis parentibus genita, suis meritis exigentibus, ad omnes actus gradus et honores Ordinis legitimos, dignitates et officia promoveri valeat, generale Capitulum annuit et concedit, citra nihilominus abbatiatum.

64. Alias habilitatum per dominum Cistercii fratrem Iacobum Romani, monachum de Bonoportu, super apostasia dudum contracta per aliquod temporis intervallum, ad omnes actus et honores Ordinis, citra dignitatem abbatiatus, gratiam ampliando generale Capitulum etiam ad statum abbatialem admittit.

65. De poenitentiae luctu voluntario quam diu post reatum subiit patienter frater Iohannes de Yonvalle, monachus de Monasteriis in Argona, super eo quod quasi per annum apostataverit, et inde per generale Capitulum habilitatus citra dignitatem abbatialem, penitus restaurat etiam ad gradum abbatiatus de gratia speciali.

66. Fratrem Iohannem de Balveolis, monachum Fonteneti, qui quasi per novem annos apostatavit, sitque celebrando et eucharistica sacramenta in saeculo ministrando notam incurrit irregularitatis, propter quod iniunctam sibi poenitentiam sustinuit et sustinet humiliter, absolvit generale Capitulum dispensando misericorditer cum eodem super irregularitate praedicta, ut quod ad actus, status, voces, gradus et officia possit assumi, dignitate tamen abbatiali seclusa.

67. Quia dudum per generale Capitulum dispensatio extitit cum fratre Petro de Sancto Quintino, monacho de Monasteriis in Argona, super eo quod aliquamdiu bis apostatavit, ut ad omnes

status et gradus Ordinis legitimos restituatur, citra nihilominus abbatiatum, gratiam amplians dictum Capitulum etiam ad abbatialem dignitatem vult admitti, si suo in posterum merita suffragentur.

68. Fratrem Bernardum de Monte Ursino, monachum Scalae Dei, citatum peremptorie et personaliter ad praesens generale Capitulum, ad instantiam et de mandato Ordinis, per abbatem Grandisilvae, quia non misit nec comparuit, contumacem reputat et decernit idem Capitulum generale, et propter hoc excommunicat in hiis scriptis, mandans, praecipiens, et iniungens praedicto de Grandisilva et de Bonofonte monasteriorum abbatibus, et cuilibet in solidum, quatinus ipsum ubilibet excommunicatum denuntient, et ab omnibus faciant evitari. Quod si animo indurato in sua pertinacia diutius perseveraverit, dictis abbatibus, seu alteri eorumdem, potestas a Capitulo plenaria conceditur, dictum fratrem capiendi et in carceribus Ordinis vinculatum strictius detinendi, auctoritate praedicti Capituli generalis, invocato ad hoc, si necesse fuerit, auxilio brachii saecularis, praesertim cum sit impeditor negotiorum Ordinis et totius nostrae iurisdictionis.

69. Domino Claraevallis, sacrae theologiae professori, committit generale Capitulum quatinus omnes et singulas Ordinis personas, quas teneri seu obligatas esse repererit abbati et conventui de Moris in quibuscumque pecuniarum summis et rebus aliis, ad satisfaciendum eisdem abbati et conventui de Moris integraliter et complete, per censuram Ordinis, auctoritate dicti Capituli et in eius potestate, coerceat viriliter et compellat.

70. Cum fratre Alberto, monacho de Monasteriis in Argona, fuit alias dispensatum et concessum a generali Capitulo ut, secluso abbatiali honore, ad omnes alios Ordinis gradus et honores possit admittit, non obstantibus protervis responsionibus multoties et ubique suis superioribus indebite factis, periurioque quod incurrit, mentiendo adiuratus super aliquibus per abbatem de veritate dicenda, unde punitus rebelliorque factus appellavit, in carcere luens suum delictum pro demeritis emendatioris vitae signa demonstravit. Quia vero humilibus est parcendum, eapropter dictum Capitulum amplians suam gratiam praefatam monachum ad abbatiatus apicem, si meruerit, vult admitti.

71. Dispensatur gratiose per generale Capitulum cum sororibus Maria Evognes, Caresia Manuelis, Maria Roderici de Cas-

trillo et Agnete Alvari de Osorio, monialibus monasterii Vallisoleti, Palentinae dioecesis, ut non obstante defectu natalium, quem patiuntur, ex solutis parentibus procreatae, ad omnes status et gradus, beneficia et honores Ordinis legitimos, citra abbatiatum promoveri valeant de gratia speciali.

72. Similem gratiam confert in forma consueta generale Capitulum fratri Garciae, monacho de la Vega, citra statum abbatialem.

73. Cum abbas de Precibus, post visitationem factam in suo monasterio per abbatem de Buzeyo, suum patrem abbatem, diversis causis ipsum moventibus, ad praesens generale Capitulum de suo patre abbate appellavit, nec in illo per se vel per alium comparuerit, ad instantiam abbatis de Mellereyo, procuratoris dicti abbatis de Buzeyo, et personaliter pro ipso comparentis, dictum de Precibus et reputans idem Capitulum generale contumacem, excommunicat in hiis scriptis, mandans eumdem per quemlibet abbatem super hoc requisitum, vel alium monachum idoneum Ordinis, excommunicatum publice nuntiari. De Curia Dei, licentiato in decretis, et de Chalocheyo monasteriorum abbatibus, praecipiendo dictum Capitulum iniungit et ordinat quatinus ipsi personaliter ad dictum monasterium de Precibus accedentes, auditis partibus utrobique coram se evocatis in et super causis appellationis interiectae faciant iustitiae complementum, succumbentem partem ad expensas alterius condemnantes, et ad solvendum viriliter compellentes. Dictum vero de Precibus ad primas expensas pro contumacia condemnat in hiis scriptis praefatum Capitulum generale.

1400

Anno [a] Domini millesimo quadringentesimo statuta sunt haec apud Cistercium in Cisterciensis Ordinis Capitulo generali.

1. Pro romanae Ecclesiae statu, *etc. ut in anno* 1399.

2. Pro serenissimo domino nostro, domino Carolo, *etc. ut in anno* 1399.

1400. *Fontes* : *J* : 1-6 *in forma abbrev.*, 7-60, 62-71 ; *L*[1] : 1-71 ; *M* : 31, 37, 65, 66 ; *P*[2] : 1 *in forma abbrev.*, 31, 32, 37, 65, 66, 70. [a] *Titulus apud JL*[1] ; ***apud P*[2] *in margina*** : Schismate Benedicti XIII durante ; ex anno 1400, 14 sept.

3. Pro burgensibus, mercatoribus, *etc. ut in anno* 1399.

4. Pro pace et unitate sanctae matris Ecclesiae dicantur tres missae de *Pace* in singulis domibus Ordinis universi.

5. Pro felicis et inclitae recordationis dominis, *etc. ut in anno* 1399 et singulis baronibus, baronissis et aliis nobilibus defunctis, pro religiosis omnibus et maxime professis Ordinis nostri, et pro omnibus benefactoribus nostris et aliis fidelibus defunctis, dicantur tres missae de *Requiem* in singulis domibus Ordinis universi.

6. Abbates Ordinis universi, qui ad praesens Capitulum non venerunt, *etc. ut supra anno* 1390, *n*o 4. Solos autem... excusatos : de Monte petroso, de Bono fonte [b], de Valle Beatae Mariae, de Igniaco, de Ursicampo, de Longoponte, de Bullencuria, de Barbello, de Rigniaco, de Alpibus, de Laude, de Valcellis, de Monasteriis in Argona, de Tela, de Vallibus, de Valle lucenti, de Bono monte, de Caricampo, de Castellariis, de Prulliaco, de Bolbona, de Caroloco, de Sancto Andrea, de Loco Dei, de Claromarisco, de Alta cumba, de Noa, de Calercio, de Mortuo mari, de Boheriis, de Fusniaco, de Oratorio, de Buxeria Andegavensi, de Escureyo, de Valle Beatae Mariae, de Voto, de Caladia, de Briostello, de Belloprato, de Fulcardi monte, de Frigido monte, de Callovio, de Rupibus, de Ponte octrandi, de Tironello, de Claro monte, de Pratea, de Charmeya, de Domo Dei super Carum, de Insula barrensi, de Fonte Danielis, de Veteri villa, de Pinu, de Bonavalle in Pictavia, de Valencia, de Escarleis, de Curia Dei, de Cassania, de Trizaio, de Gratia Dei, de Bella branca, de Barzella, de Charone, de Ré, de Persenia, de Brolio, de Morolia, de Pietate Dei, de Charitate, de Alta ripa, de Loco crescenti, de Sancto Loco, de Tribus fontibus, de Capella Thosan, de Theisinaco, de Ripatorio, de Moris et de Caherio.

7. Cum Ordo noster, *etc. ut supra, anno* 1390, *n*o 7,.. in viginti quinque millibus quadringentis octoginta et octo florenis aureis, tribus grossis argenteis... contributionem sex millium florenorum pro dictis debitis persolvendis... *etc. ut supra, excepto quod abbas de Savigniaco iam non citatur inter receptores contributionum.*

8. Ad requestam, *etc. ut supra anno* 1390, *n*o 19.

9. Praebere materiam intendens, *etc. ut supra anno* 1390,

---

[b] Bono portu : L^1.

n° 14, *usque ad verba*: Ordinis institutis (p. 587, *c. medium*), *deinde*: Praemissis igitur in spiritualibus et temporalibus incommodis, detrimentis, ac periculis et tantis malis obviare pro viribus et super hiis de medio providere cupiens Capitulum generale, omnes et singulos abbates Ordinis, maxime de Oratorio, de Bella brancha, de Persenia, de Valle lucenti et de Alba ripa monasteriorum abbates qui, prout debebant temporibus et annis praeteritis, *etc. ut supra, usque ad verba*: publice nuntiari. *Deinde* Et una cum praemissis, dictum Capitulum generale propter praemissa praedictos abbates de Oratorio, de Bella brancha, de Persenia, de Valle lucenti, de Alba ripa et omnes et singulos alios abbates Ordinis praemisso modo culpabiles, et qui, ut praemittitur, deliquerunt in praemissis, suspendit in hiis scriptis ab administrationibus, regiminibus et gubernationibus dictorum suorum monasteriorum, et interdicit eis et cuilibet eorum omnem administrationem, regimen et gubernationem dictorum suorum monasteriorum, tam in spiritualibus quam in temporalibus, donec et quousque solverint et miserint dupla provisionum praemissarum, et sicut in papalibus et Ordinis statutis et superius continetur.

Quod si, quod absit, regimina, administrationes et gubernationes praedictorum suorum monasteriorum assumpserint et tenuerint et exercuerint, et eis se immiscuerint contra praemissas suspensionem et inhibitionem, dictum Capitulum tribus diebus elapsis post quos attentaverint seu fecerint praemissa mala contra praedictas suspensionem et inhibitionem, et sic transgressi fuerint, propter hoc et nunc pro tunc et ex tunc pro nunc dictos de Oratorio, de Bella brancha, de Persenia, de Valle lucenti et de Alba ripa monasterium abbates, et alios abbates Ordinis consimiliter culpabiles, et qui sic deliquerint et transgressi fuerint, in hiis scriptis deponit et privat perpetuo ab abbatialibus dignitatibus et officiis per praesentes. Reverendissimis igitur patribus ac dominis archiepiscopis et episcopis universis ac eorum officialibus, quibus hoc praesens statutum seu diffinitio praesens ostendetur, supplicat humillime et attente dictum Capitulum generale, quatinus praedictos abbates dictorum monasteriorum in suis dioecesibus consistentium mandant et faciant per parochiales ecclesias excommunicatos et aliis praedictis sententiis innodatos publice nuntiari singulis diebus do-

minicis et festivis dum divina coram populo sacramenta celebrabuntur.

10. Sacrosanctae romanae Ecclesiae tot et tantis tribulationibus et adversitatibus propter Ecclesiae quod nimis viguit schisma praesens Domino Deo, nostris peccatis exigentibus, occulto suo sed tamen iusto iudicio permittente, pro dolor! subiacenti mystice condolere videtur propheta sanctissimus indè lugens :

Egressus est, inquit, a filia Sion omnis decor eius, deposita est vehementer,non habens consolatorem ; repulit Dominus altare suum, maledicit sanctificationi suae. Cui compati condolereque debent universales Ecclesiae et universi christiani, qui, prout ait quidam, quod stipiti rami, quod capiti membra, quod soli radii, quod fonti rivuli, hoc Apostolicae Sedis eminentiae debent omnes ecclesiae, quas ubique terrarum religio christiana fundavit, et divinae pietatis auxilium, cordium medullis, et praecordiorum affectibus devotius debent etiam implorare, quos ad hoc exhortari nititur idem propheta sanctos consolans subiungendo : non repellet in sempiternum Dominus ; quod si abiecit, et miserebitur secundum multitudinem misericordiarum suarum, non enim humiliavit ex corde suo et abiecit filios hominum ; scrutemur, inquit, vias nostras, requiramus et revertamur ad Dominum, levemus corda nostra cum manibus ad Dominum in coelos, quare in perpetuum oblivisceris nostri, Domine, de derelinquas nos in longitudinem dierum. Converte nos, Domine ad te, et convertemur ; innova dies nostros sicut a principio. Et in adversitatibus durioribus sanctus Daniel consimiliter sic orabat : Ne quaesumus, Domine, tradas nos in opprobrium propter nomen tuum, et ne dissipes testamentum tuum, neque auferas manum tuam a nobis, nec confundas nos, sed fac nobiscum iuxta mansuetudinem et secundum multitudinem misericordiae tuae, et erue nos in mirabilibus tuis, et da gloriam nomini tuo, Domine. Praemissis igitur piis prophetarum et aliis sermonibus et devotis exhortationibus, et ut impleat suae piae servitutis officium et debitum caritatis, permotum Capitulum generale universas et singulas personas Ordinis nostri sexus utriusque exhortatur attentius et monet, ipsis nihilominus in virtute sanctae obedientiae et sub attestatione divini iudicii firmiter praecipiens et iniugens quatinus idem sapientes, eamdem caritatem habentes, unanimes idipsum sentientes, solliciti servare unitatem spiritus in

vinculo pacis, devote recurrant ad eum apud quem terror et potestas est, qui facit concordiam in sublimibus suis, et coram quo probata sunt concordia fratrum et amor proximorum, et qui suo dixit summo vicario : Ego rogavi, Petre, ut non deficiat fides tua ; et : Tu es Petrus et super hanc petram aedificabo ecclesiam meam, et portae inferi non praevalebunt adversus eam. Benignam pulsent eius clementiam unusquisque et unaquaeque nostrum ad minus semel omni die verbis et modis quibus inspiraverit ei Deus, deprecantes eum ut avertens faciem suam a peccatis nostris et delicta nostra minime reminiscens, Ecclesiae suae sanctae quam sponsam vocare et cruore proprio redimere dignatus est, praedictum schisma, discordiam et dissentionem quibus laceratur, scindens et dirumpens praefatam pacem, caritatem, unitatem et concordiam largiatur.

11. Appellationem interiectam et emissam per fratrem Petrum Castini olim abbatem monasterii de Stamedio Tarentasiensis dioecesis propter sua demerita defectuosumque regimen ab abbatiali dignitate depositum, prout per processus inde confectos continetur plenius, generale Capitulum discusso prius mature in Diffinitorio negotio huiusmodi et auditis hinc et inde propositis, ipsum Capitulum frivolam reputat et inanem, dictam depositionem approbans et ex certa scientia ratificans et confirmans, iniungendo abbatibus de Bonavalle Viennensis dioecesis, patri abbati dicti monasterii Stamedii, et de Sancto Sulpitio quatinus infra quindecim dies ab exitu praesentis Capituli computandos, vel quam citius commode poterunt, ad dictum monasterium de Stamedio personaliter se transferant, et ibidem per electionem canonicam seu provisionem de persona idonea dicto vacanti monasterio auctoritate generalis Capituli et ordinaria provideant, ac in eodem monasterio visitent, corrigant, statuant et reforment, servatis in omnibus et singulis canonicis et nostri Ordinis institutis, omnesque singulares personas dicti monasterii Stamedii, quae ad praesens Capitulum citatae fuerant peremptorie et personaliter per abbatem Sancti Sulpitii, nec comparuerunt sufficienter, illos maxime qui captioni et incarcerationi ac detentioni dicti fratris Petri ante eius depositionem interfuerunt, seu facientibus praebuerunt auxilium, consilium, vel favorem, excommunicatos denuntiat et decernit, absolutionem eorumdem dicto Capitulo seu domino Cistercii reservando.

12. De Regali monte sacrae theologiae professori et de Valle

Beatae Mariae monasteriorum abbatibus per generale Capitulum committitur, ut si traditio quarumdam possessionum ad monasterium de Bello prato Belvacensis dioecesis spectantium, de quibus dictum monasterium nullam vel modicam utilitatem reportat, expediens fuerit, et dicto monasterio fructuosa cum diligentia se informent, et secundum reperta per ipsos concedant licentiam abbati et conventui dicti loci dictas possessiones tradendi ad censum annuum et in emphiteosim perpetuam auctoritate Capituli generalis, servatis papalibus et Ordinis institutis.

13. Consimili modo eisdem committitur pro monasterio de Lanneyo dioecesis Belvacensis.

14. Tractatum quem habuerunt abbas et conventus monasterii Pontigniaci Antissiodorensis dioecesis cum communitate de Vermentone super redditu octo modiorum vini, si prout et in quantum dictus tractatus rite et canonice processit, generale Capitulum approbat, ratificat et confirmat.

15. Ad requestam abbatis et conventus monasterii de Oratorio Andegavensis dioecesis, de Challocheyo, de Claromonte et de Mellereyo, et eorumdem alteri generale Capitulum iniungendo committit omnes et singulas Ordinis nostri personas utriusque sexus, quas repererint obligatas esse seu teneri dictis domino abbati et conventui dicti monasterii de Oratorio in quibuscumque pecuniarum summis et rebus aliis per censuram Ordinis auctoritate dicti Capituli, et in eiusdem Capituli plenaria potestate viriliter coerceant et compellant, seu eorum alter coerceat et compellat, invocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio ecclesiasticorum iudicum et brachii saecularis.

16. Exposito generali Capitulo pro parte Nicolai Clarambaut de Divione et Guillelmettae eius matris, quod cum bonae memoriae dominus Gerardus quondam abbas Cistercii vel saltem ante adeptam possessionem monasterii Cistercii pro speciebus et aliis in apotheca dictae Guillelmettae receptis teneretur eidem in summa 31 francorum, 7 grossorum, 11 denariorum, prout in papiris dictae Guillelmettae plenius reperitur, quam summam dictus abbas de Fonteneto modernus dictis exponentibus solvere recusavit et recusat, licet fuerit saepius requisitus, asserens se de iure teneri minime ad praemissa, cum prout asserit dictus dominus Gerardus tempore contracti debiti pronuntiatus esset et promotus in abbatem Cistercii, quamvis adhuc possessionem dicti monasterii non haberet. Tamen generale Capitulum, auditis hinc

inde rationibus et attentis attendendis, dictum abbatem Fonteneti declarat et decernit ad dictorum 16 francorum, 7 grossorum, 11 denariorum solutionem rationabiliter teneri, nisi de solutione seu alio iure possit aliter informare, ordinans et iniungens districtius idem Capitulum dicto abbati de Fonteneto, quatinus infra unum annum dictis exposcentibus satisfaciat integraliter et complete, vel alias concordet et conveniat cum eisdem, querela et actione, si quam dictus de Fonteneto contra dictum Cistercii voluerit super hoc intentare processum ipsis reservata.

17. Cum frater Guillelmus Alardi monachus de Pinu Pictaviensis dioecesis de bonis quibus largiflue satis abundabat in saeculo antequam nostrae religionis habitum assumeret centum francos dicto monasterio et in eiusdem utilitatem conversos devote contulerit proponatque bonorum in saeculo acquisitorum residuum in emptionem reddituum, possessionum et hereditagiorum convertere, concesso eidem usufructu quamdiu vixerit in humanis, prout in litteris abbatis et conventus sigillatis, quibus praesentem diffinitionem annecti volumus et adiungi, continetur plenius, ad petitionem abbatis et conventus dicti monasterii de Pinu, universa et singula in eorumdem litteris contenta, si et in quantum ipsis patitur et permittit nostrae religionis professio, et quantum potest generale Capitulum, confirmantur.

18. Si scientia, discretio, morum gravitas et alia virtutum merita in dignitate sacerdotali requisita necessario, in fratre Ioanne de Consaga converso expresse professo monasterii de Trizagio, nunc vel processu temporis reperiantur aut consistant, conceditur per generale Capitulum abbati et conventui dicti monasterii de Trizagio ad eorumdem supplicationem, quatinus eumdem fratrem Ioannem ad professionem et monachorum habitum suscipiant, ipsumque ad sacros ordines incluso sacerdotio faciant ordinari.

19. Cum prout abbas monasterii de Campis bonis sacrae theologiae professor generali Capitulo insinuari ac nuntiari mandavit, abbas monasterii Mansiadae parvipendens Ordinis sacras observantias, constitutiones et statuta, poenam suspensionis incurrens, dictum de Campis bonis irrequisito ordine evocari fecit et citari quantum in se fuit in curia officialis Vivariensis, ipiusque famam in hoc et aliis temere denigravit. Quod si ita sit, moleste ferens generale Capitulum, de Bonavalle Viennensis dioecesis et de

Bonacumba monasteriorum abbatibus, ac eorum cuilibet in solidum districtius praecipit et iniungit quatinus de praemissis et occurrentibus aliis se informent et inquirant seu eorumdem alter se informet et inquirat simpliciter in et de plano eosdem ad caritatis unionem reducere studeant seu studeat, aut processuros, ut rationis fuerit, citent seu alter eorum citet utrosque ad immediate sequens generale Capitulum.

20. Ad petitionem abbatis monasterii Bonaevallis Viennensis dioecesis conceditur fratri Ioanni Sambem monacho dicti loci per generale Capitulum licentia possidendi et tenendi quamdiu sub obedientia et professione dicti monasterii permanserit, vitamque convenientem et honestam duxerit, unam servam piscium seu stagnum parvulum, quod ipse frater Ioannes de licentia abbatis proprii titulo emptionis acquisivit, prout in instrumento inde confecto plenius continetur, percipiendi etiam et retinendi piscaturam, commodum et fructus de dicta serva processu temporis venientis, inhibendo abbati qui nunc est, seu pro tempore fuerit, ut dictam servam seu commodum iuste proveniens dicto monacho auferat, nisi in casibus superius expressis.

21. Traditionem, admodationem seu accensamentum grangiae de Landrinis ad monasterium Bonaevallis spectantis factum seu factas fratri Britoni Sambeni, monacho monasterii praedicti per abbatem et conventum dicti loci, Capitulum generale ratificat et confirmat, inhibendo dictis abbati et conventui, qui sunt, vel pro tempore fuerint, ne dictam grangiam dicto fratri Britoni auferant, seu aliquid de conventionibus detrahant vel immutent, quamdiu dictus frater Brito grangiam ipsam bene fideliter et utiliter rexerit, vitamque duxerit laudabilem et honestam.

22. Ut frater Richardus de Corberiis monachus Altae ripae ad omnes status, gradus, administrationes et honores, abbatiali secluso, meritis exigentibus, promoveri valeat et assumi, generale Capitulum cum eodem misericorditer dispensat, non obstante quod ex legitimo thoro non fuerit procreatus.

23. Cum fratre Ioanne de Bello visu, monacho Bellae vallis, qui fere per spatium decem annorum per saeculum evagando, habitu regulari reiecto, apostasiam commisit, irregularitatem, etiam cum celebraverit saepius in dicta apostasia perseverans quia poenitentiam sibi iniunctam laudabiliter peregit et ad profectus ampliores se disponit, ad cucullam seu regularem habi-

tum eumdem restituit generale Capitulum, sit in ultimis omnium dicti monasterii sacerdotum.

24. Pro parte liberorum Stephani Pignecii de Bellicio humiliter supplicato super eo quod dictus Stephanus dedit viginti libras viennenses annui redditus pro una missa quotidie celebranda in monasterio Altaecumbae. Item, unam domum apud Bellicium, et quindecim solidos viennenses annuales pro faciendo unum anniversarium in dicto monasterio annuatim. Item, sexaginta libras viennenses pro emendo sexaginta solidos viennenses annuales una pitantia in dicto monasterio annuatim fienda. Quae omnia divini cultus obsequia cessant et cessaverunt a magnae mortalitatis tempore in iuris iniuriam et scandalum plurimorum. Abbati Sancti Sulpitii committit generale Capitulum ut de praemissis se informet cum diligentia, et per censuram Ordinis et alia iuris remedia, prout animarum saluti et bonae conscientiae congruere et competere viderit, faciat brevis et efficacis iustitiae complementum.

25. Abbati et conventui monasterii Bonaevallis in Pictavia conceduntur iudices de Sancto Leonardo et de Valencia monasteriorum abbates, et eorum quilibet in solidum ad compellandum per censuram Ordinis et alia iuris remedia abbates de Gratia Dei et de Ré et quoscumque alios, super quibusdam debitis foenis et aliis rebus, in quibus dictis de Bonavalle reperti fuerint rationabiliter obligati.

26. Ut ad omnes actus legitimos Ordinis, voces, gradus, administrationes, officia, dignitates, abbatialem etiam, si contigerit, promoveri valeat et assumi frater Simon Vestit, monachus monasterii Populeti, dispensat generale Capitulum, et gratiam si indiguerit impertitur eidem, non obstante quod de romana Curia ad quam de proprii abbatis licentia accesserat, non redierit in constituo sibi termino vel praefixo.

27. Fratri Petro de Mansella, monacho de Saltu novali, licentia specialis per generale Capitulum conceditur quatinus, in studio Salamentico, vel alibi, studere et morari per quinquennium ad expensas proprias seu amicorum possit et valeat, licentia ab abbate proprio petita etiam non obtenta.

28. Conceditur abbati et conventui monasterii Bonaevallis in Pictavia licentia specialis tradendi quasdam silvas antiquatas non caeduas, modicum tamen propter nimiam et frequentem sectionem arborum fructuosas vel utiles minusque processu

temporis valituras, nisi scindantur penitus, ut novae plantulae valeant pullulare usque ad summam ducentarum librarum turonensium, in reparationem ecclesiae dicti monasterii per guerras miserabiliter destructae, nec in usus alios convertendum.

29. Conceditur per generale Capitulum abbati et conventui monasterii Bonaecumbae auctoritas specialis tradendi diversis colonis, ut melius pro monasterio sui commodo et utilitate poterunt, ad censum annuum et in emphiteosim perpetuam certas terras, domos et possessiones ad suum monasterium spectantes modicum eisdem utiles, ut asserunt, de patris abbatis eorumdem beneplacito et assensu.

30. Reformationem omnium et singulorum monasteriorum utriusque sexus omniumque et singularum personarum nostri cisterciensis Ordinis in regnis Castellae, Legionis et Portugalliae consistentium dictum generale Capitulum committit de Spina, de Carraceto, de Superado, monasteriorum abbatibus, ac fratri Ioanni de Vega, monacho Vallis Dei, ac eorumdem duobus ceteris nolentibus vel non vacare potentibus, per duos annos committit absque praeiudicio patrum abbatum, praecipiens eisdem dictum Capitulum et iniungens quatinus ad ipsa monasteria personaliter accedant, et ibidem cuiuscumque generationis existant, corrigant, statuant, instituant et destituant, visitent et reforment, tam in spiritualibus quam in temporalibus, tam in capitibus quam in membris, quaecumque in eisdem instituenda, destituenda, statuenda, corrigenda, visitanda et reformanda viderint secundum Deum, papalia ac nostri Ordinis instituta, dantes eisdem auctoritatem et plenariam potestatem requirendi, exigendi, levandi et recipiendi contributiones Ordinis, et abbati Cistercii mittant a quibuscumque personis debitas, compellendi non solventes easdem, dandi quittancias de receptis, et cetera citra remissionem faciendi quae in talibus rationabiliter requiruntur, invocato ad omnium et singulorum praemissorum executionem, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis. Et hoc faciant ad monasteriorum per ipsos visitandorum seu reformandorum expensas, quas dictis commissariis solvant integraliter sine mora, et ad hoc compelli valeant per dictos commissarios viriliter et districte. Universis igitur et singulis personis Ordinis nostri sub suae salutis incommodo et excommunicationis sententiae poena, huius commissionis tenore, dat idem Capitulum firmiter in mandatis quatinus in omnibus et singulis supradictis et ea tangenti-

bus praefatis commissariis Capituli devotae obedientiae complementum exhibeant, ipsisque praebeant auxilium, consilium et favorem.

31. Pensata condolenti animo monasterii Valliscrescentis excessiva nimium paupertate, ex eiusdem fundatione minima procedente, Capitulum generale monasterium monialium de Bonoloco Valentinae dioecesis in quo nullum monasterii vestigium remansit, iuxta formam qua unitum extitit monasterium de Insulis monasterio Pontigniaci, excepto solum de pensione fienda studio Sancti Bernardi, dicto monasterio Valliscrescentis unit, incorporat et annectit.

32. Suspensionem regiminis temporalis et impedimenta quaecumque apposita abbati Montispetrosi per dominum Cistercii seu Capitulum generale, pro certis causis permotum praesens Capitulum annulat et revocat, restituens eumdem in administrandi libertate priori, praecipiens nihilominus ipsum Capitulum et iniungens districtius abbati Montispetrosi praedicto quatinus sui monasterii terreria infra unum annum faciat renovari.

33. Exposita pro parte abbatis monasterii de Pratea excessiva sui iam dicti monasterii nimia paupertate et taxatione ad contributiones, abbati monasterii de Curia Dei committit generale Capitulum quatinus de praemissis omnibus et singulis se informet et referat sequenti Capitulo generali.

34. Promotionem factam per electionem canonicam seu postulationem de persona sororis Eglinae Veyera in monasterio monialium Bonaecumbae Sancti Pauli per cessionem spontaneam sororis Mariae Veyera tunc dicti monasterii abbatissae, tunc vacantis prout in instrumento seu dictae promotionis decreto inde confecto manuque notarii signato continetur plenius, si et in quantum rite processum est, et iuxta nostri Ordinis instituta; generale Capitulum de speciali gratia ordinat et vult praesentis confirmationis beneficio roborari.

35. Attendens generale Capitulum fratris Petri Bauduini nuper abbatis monasterii Lyoncelli fructuosos labores et diligentias, quos per 40 annorum spatium quibus dicto Lyoncelli monasterio non minus laudabiliter quam salubriter praefuit, recta regens et dirigens indirecta, pensionem sibi per abbatem et conventum loci assignatam seu rationabiliter tamquam benemerito assignandam iuxta nostri Ordinis instituta idem Capitulum ratificat et confirmat.

36. De Bonacumba et de Gymonte monasteriorum abbatibus committit et iniungit generale Capitulum quatinus, si monasterium Sancti Marcelli adeo sit in redditibus tenue, quod sex monachis cum abbate non possit bene sufficienter de consuetis victus et vestitus necessitatibus provideri de ipsius redditibus et proventibus, etiamsi unio eiusdem monasterii Sancti Marcelli monasterio de Caduno expediens esset, et consona rationi, cum diligentia se informent et referant sequenti Capitulo generali.

37. Generalis Capituli circumspecta discretio pro viribus tribuere cupiens digna dignis, talesque in praelatos assumere, qui de thesauris suis nova et vetera producere valeant et proferre, non minus monasteriis et locis quam personis providere intendens, statuit, ordinat et diffinit quod nullus pater abbas cuiuscumque monasterii in Normanniae et Britanniae ducatibus, Pictaviae partibusque vicinis et adiacentibus constituti, electionem quamcumque et quemcumque rite seu canonice teneat celebratam durante praesenti schismate confirmare audeat vel praesumat, sed omnes et singulae electionis huiusmodi generali Capitulo seu domino Cistercii in eiusdem absentia committuntur[c] confirmandae ; electionem autem per alium vel aliter confirmatam generale Capitulum declarat et decernit invalidam, quassam, vacuam, irritam et inanem.

38. Ut ad omnes actus Ordinis legitimos, abbatiali honore secluso, frater Ioannes Fangelli, monachus monasterii de Pinu, suis exigentibus meritis, non obstante apostasia et reiectione regularis habitus, promoveri valeat, secum misericorditer dispensat generale Capitulum, dum aliud canonicum non obsistat.

39. Reformationem monasteriorum de Vallelucenti et de Barbello Senonensis dioecesis, quae, prout ad Capituli generalis audientiam pervenit, reformatione plurimum asseruntur, pro dolor ! indigere, abbatibus monasteriorum de Curia Dei in iure canonico licentiato, et de Belloprato, sacrae theologiae professori, necnon et fratri Stephano de Charitate, provisori studii Sancti Bernardi parisiensis in sacra theologia baccalario formato, vel duobus ipsorum per praesentem et immediate secuturum annum dictum Capitulum generale committit tenore praesentis statuti in ipsius generalis Capituli et Ordinis qua potest plenaria potestate, dictis igitur abbatibus de Curia Dei et de Bello-

---

[c] remittuntur : *MP*².

prato, necnon et provisori studii Sancti Bernardi parisiensis, vel ipsorum duobus in virtute sanctae obedientiae dictum Capitulum generale firmiter et districte mandat, praecipit et iniungit quatinus ad dicta monasteria de Vallelucenti et de Barbello personaliter accedentes ibidem visitent, corrigant, reforment, statuant, instituant et destituant, tam in capitibus quam in membris, tam in spiritualibus quam in temporalibus quaecumque in eisdem visitanda, corrigendà, reformandà, statuenda, instituenda, et destituenda fuerint secundum Deum, papalia et nostri Ordinis instituta, et generaliter omnia et singula faciant quae ad visitationis et reformationis officium pertinere noscuntur, invocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis, et haec omnia et singula praemissa faciant ad expensas praedictorum monasteriorum, quas expensas abbates praedictorum monasteriorum dictis reformatoribus procurent, administrent et solvant integraliter et sine mora. Universis autem et singulis personis regularibus dictorum monasteriorum de Vallelucenti et de Barbello cuiuscumque conditionis aut status existant in virtute sanctae obedientiae et sub excommunicationis sententiae poena per praesens statutum dictum generale Capitulum mandat et praecipit quatinus dictis reformatoribus aut eorum duobus in omnibus praemissis et singulis ac ea tangentibus obediant humiliter et devote, ipsisque praestent auxilium, consilium et favorem.

40. A sententia excommunicationis quam frater Petrus de Mansella, monachus Saltus novalis Legionensis dioecesis, propter iniectionem manuum temerariam et violentam usque videlicet ad sanguinis effusionem per ipsum in quosdam religiosos de Fratrum Minorum ordine incurrit, generale Capitulum prout melius potest, praedictum fratrem Petrum absolvit et ab irregularitate forsitan propter hoc contracta cum ipso misericorditer dispensat.

41. Abbatibus de Curia Dei et de Fontibus albis committit Capitulum generale, informatione prius habita, licentiam tradendi ad perpetuum redditum seu firmam plures terras desertas apud Sodolrum et Glatigniacum et in aliis multis locis sitas, de quibus nullum a longis temporibus abbas et conventus de Eleemosina quibus pertinet, perceperunt emolumentum, nec non unam ruinosam domum sitam Carnoti, quam de suis facultatibus nequeunt sustentare, ad pensionem annuam usque ad 49 annos

cuidam ipsam volenti reparare et etiam sustentare pro utilitate dicti monasterii de Eleemosina auctoritate Capituli generalis.

42. Diffinitio pro abbate et conventu monasterii de Valentia in Pictavia dudum facta, cuius tenor sequitur in hac forma : Quia vir nobilis et inclitus dominus Guillelmus de Mailliaco miles quamdam bladi sarcinam equorum ferme sexaginta reddere tenetur anno quolibet super quamdam terram Brideriis nuncupatam abbati et conventui de Valentia in Pictavia longe a suo monasterio per viginti leucas et amplius distantem et in partibus Lemovicensibus situatam, quod est dicto monasterio minimae utilitatis ; verumtamen qui dictus miles bono ductus animo cupit terram praefatis de Valentia propinquis assignare ac magis propitiam, ad requestam praefatorum abbatis et conventus de Valentia domino Pontigniaci si partes illas brevi adire contigerit, non eunte, de Stella et de Misericordia Dei monasteriorum abbatibus committit generale Capitulum coniunctim, ut si dictam viderit assignationem dicto fore utilem monasterio, absque ulteriori relatione facienda Capitulo, eamdem confirment et ratificent in ipsius plenitudine potestatis, iterum ratificat et renovat de gratia speciali.

43. Tractatum habitum inter abbatem et conventum de Caladia et dominum Gerardum Le Gay canonicum Montis falconis Rhemis commorantem, in, de et super quatuor vinariis quae habent dicti Caladienses prope suam grangiam novam penitus a quadraginta annis ruinosa et per ipsos irreparabilis, ut dictus canonicus possideat quamdiu solummodo vitam duxerit in humanis, adiecta conditione, quod eadem suis sumptibus reparabit et sine ruinis dimittet peroptime reparatam, generale Capitulum ratificat, approbat et confirmat.

44. Ut cum suis monachis et conversis dispensandi potestatem habeat et eos absolvendi a casibus Capitulo reservatis, abbati de Eslancio tribuit potestatem dictum Capitulum generale.

45. Ad idem dominus Firmitatis.

46. Ad idem dominus Morimundi.

47. Quamvis immemor voti castitatis violati puerperio subsecuto soror Ysabella de Wunclo carnis illecebras insecuta fuerit, tamen quia post delictum quod luxit devotissime, honeste vixit et sancte, generale Capitulum dispensat misericorditer, ut hiis

non obstantibus ad omnes status, gradus et honores Ordinis legitimos admitti valeat, abbatiali dignitate seclusa.

48. Ut non obstante defectu natalium quem patitur soror Ioanna Scrobbers de Fremies monialis monasterii de Sancta Colomba in Blendeca in adulterio procreata, suis meritis exigentibus, ad omnes gradus, status et honores Ordinis legitimos, dignitates et officia promoveri valeat generale Capitulum annuit et concedit, citra nihilominus abbatiatum.

49. Ad idem pro sororibus Beatrice Lupi, Yguette Lupi et Yiolente Lupi, monialibus monasterii Olgarae Vallis Oliveti, quae de soluto et soluta [sunt genitae].

50. De Oratorio et de Chalocheiis monasteriorum abbatibus committitur per generale Capitulum ut lites et iurgia mota seu movenda inter abbatem Savigniaci et priorissam de Moritorio, veritate comperta, debito fine terminent, faciendo partibus iustitiae complementum.

51. Ad coercendum in plenariam Ordinis potestate abbatem de Silva Melonii, qui tenetur abbati de Bona requie, sicut asserit in multis pecuniis, committitur abbati de Begard, si et prout eidem constiterit per documenta legitima vice et auctoritate Capituli generalis.

52. Ne iurgium fiat inter abbatem et conventum de Bona requie super concessione in emphiteosim perpetuam cuiusdam domus quam habent, ruinosam tamen, ut dicitur, cum quinque arpentis vinearum prope Rupellam ad monasterii distantiam 60 leucarum et amplius, ipsis modici valoris, ut asserunt, et aliis esset ad commodum, ordinat generale Capitulum ut si praedicti abbas et conventus in hoc sunt concordes, quidquid super hoc actum fuerit, confirmationis obtineant fulcimentum.

53. Si repererit abbatem de Tyronello impotentem ad solvendum contributiones absque diminutione medietatis aut alias, misericorditer advertendo, abbas de Persenia faciat informationem et referat generali Capitulo immediate sequenti.

54. Abbati de Bona requie committitur per generale Capitulum ut si repererit per litteras aut alia documenta legitima teneri abbatem de Begard et conventum annuatim in triginta solidis abbati et conventui de Silva Melonii, quos solvere in suum praeiudicium renuerint, auditis partibus utrobique eas concordet, et partibus faciat iustitiae complementum.

55. Dispensatur gratiose per generale Capitulum cum fratre

Adam Malin, monacho Longipontis, ut non obstante apostasia quam incurrit quasi per annum, restituatur ad omnes status et Ordinis honores, citra nihilominus abbatiatum.

56. Ad idem conceditur fratri Philippo Piot, monacho dicti monasterii Longipontis qui per annum similiter apostatavit.

57. Diligenter attendens generale Capitulum sufficientiam fratris Honorii monachi Ygniaci praesertim in divino servitio, conceditur ei de speciali gratia ut non obstante quod quinquies apostataverit per aliqua temporis intervalla iuvenili tractus aetate, habitus ei restituatur regularis, et promoveatur ad sacros ordines.

58. Quia vagabundus per saeculum apostatavit per quadriennium frater Ioannes de Gereliaco, monachus Bonimontis, infamiam incurrit, post modum ad animum rediens poenitentis, veniam consequitur aliqualem. Eapropter generale Capitulum misericorditer cum ipso dispensat ut, hiis non obstantibus, abbatiatu secluso, ad omnes Ordinis gradus et honores legitimos restauretur.

59. Cum sorore Ioanna Warnic moniali de Blendeleria dispensatur per Capitulum ut non obstante quod sine licentia fuerit cum suis parentibus et amicis quasi per decem hebdomadas, citra dignitatem abbatialem, ad omnes status, gradus et honores Ordinis admittatur.

60. Domino Cistercii reverenter et abbati de Moris ac cuilibet eorumdem committitur per generale Capitulum, ut si quas et quoties Ordinis personas utriusque sexus monasterio Claraevallis aut eius personis repererint teneri et obligatas fore per litteras aut alia documenta legitima, per censuram Ordinis aut alia iuris remedia coerceant et compellant ipsi vel alter ipsorum ad satisfactionem plenariam vice et auctoritate dicti Capituli generalis.

61. Ut coerceat et compellat ad satisfactionem plenariam auctoritate Capituli per ipsius et Ordinis censuram et alia iuris remedia omnes et singulas personas sexus utriusque, quas per legitima documenta repererit obligatas fore monasterio de Moris aut ipsius personis, per generale Capitulum committitur domino Claraevallis.

62. Abbati de Curia Dei et eius loci conventui licentia permutandi conceditur per generale Capitulum quatuor libras et decem solidos parisienses, quos annuatim recipere consueverunt in, de

et super castro et pertinentiis de Rubeomonte in Belsia cum una domo ad Barterum Regnardi civem Aurelianensem pertinere contigua domui dictorum de Curia Dei sita Aurielanis incultum angustae quorum permutatio sit partibus utilis et fructuosa.

63. Per generale Capitulum declaratur ut quotiescumque per quoscumque aut pro quocumque quorum interest vel intererit in posterum communis imponetur decima super ecclesiam, monasterium de Caladia persolvet tunc et quoties casus similis evenerit 60 solidos turonenses monasterio de Cheminione ac si per Papam fuisset imposita, prout hoc in diffinitione anno praeterito edita latius continetur.

64. Ut viriliter compellat et rigide per censuram Ordinis et alia iuris remedia abbas de Salvanesio abbatem de Gimundo et suum conventum ad restitutionem plenarie faciendam abbati de Bonacumba super et de bonis quampluribus quae secum attulerat, ut asserit, et possidebat cum licentia sui tunc abbatis Grandissylvae, dum regimen de Gimundo primitus acceptasset dictus de Bonacumba, praefato de Silvanesio committitur per generale Capitulum, et similiter compellat eosdem ad solvenda stipendia Bernardo Fabregonis, si repererit consonum rationi, fratrem Guillelmum etiam de Sarrabeyrosa, si sibi constiterit, quod malitiose capsam dicti de Bonacumba retinuerit, coerceat ad reddendum. De quibus omnibus informatus faciat auctoritate dicti Capituli et exhibeat partibus iustitiae complementum.

65. Fratris Fernandi de Maiorica olim Fratrum Minorum ordinis et nunc per licentiam apostolicam monachi de Spina professi devotionem attendens generale Capitulum, quamdam ecclesiam quae vocatur Beata Maria de Mercede in dioecesi Legionensi [d] constructam per dominos terrae et patronos, ac ornatam sua industria mediante, vineis, terris, pascuis et aliis possessionibus quae sufficienter et abundanter quatuor vel quinque religiosos in omnibus enutrirent, regimini dicti fratris Fernandi committit idem Capitulum, prioratum faciens de dicta ecclesia subditum immediate dicto monasterio de Spina, et dictum fratrem Fernandum habilitat ad dictum prioratus officium obtinendum et alias dignitates Ordinis et honores.

66. Animadvertens generale Capitulum desolationem cultus divini, lamentabiles insolentias et derisiones, quae sunt et fiunt

---

[d] Lingonensi : *MP*².

assidue in monasteriis monialium de Parodio prope Andegavum, et de Bonoloco Cenomanensis dioecesis, prout ad ipsius Capituli devenit audientiam, informatione praehabita, statuit, ordinat et diffinit ut abbatissis quae nunc dictorum monasteriorum praesunt regimini, et suis commonialibus sublatis de medio, quibus praecipit idem Capitulum ne de cetero iuvenculas recipiant in novitias et moniales, in dictis monasteriis loco monialium subrogentur monachi, qui per priores et non abbates regantur; et sint in tanta et tali quantitate dumtaxat qui de bonis et reditibus dictorum monasteriorum seu prioratuum valeant sustentari. Subiiciantur etiam monasterio de Oratorio, sicut et antea fore soleant.

67. Dum frater Ioannes abbas de Curia Dei officio reformatoris in provincia Turonensis auctoritate generalis Capituli fungeretur, ad eius pervenit auditum fama publica referente, quod frater Guillelmus Grivon abbas monasterii de Boquien cisterciensis Ordinis Briocensis dioecesis incontinentiae vitium commiserit quamdam mulierem quae Ioanna Lapinsar nuncupatur, palam et publice pro concubina tenendo, et tam de ipsa quam aliis concubinis plures filios et filias susceperat, quodque bona sui monasterii praedicti consumebat et dissipabat in concubinarum et filiorum praedictorum educatione, quorum occasione monasterii praedicti aedificia sunt collapsa, dictique monasterii religiosi in victus et vestitus necessariis penuriam patiuntur. Et de istis ac aliis quamplurimis excessibus erat apud bonos et graves in tota Britanniae provincia graviter et multipliciter diffamatus, sic quod non poterant nec debeant sub dissimulationis pallio quomodolibet praeteriri. Quibus auditis dictus abbas de Curia Dei ad ipsum monasterium de Boquien personaliter accedens pro veritate dictorum evidentius perquirenda 12 die mensis ianuarii anno Domini 1399, convocata dicto abbate de Boquien in capitulo dicti monasterii crimina et excessus praedictos sigillatim exposuit, et cuilibet per ordinem fecit per ipsum responderi, et quibusdam ex ipsis confessatis et aliis denegatis per eumdem tribus diebus sequentibus testes produxit legitimos, contra quos nihil voluit obiicere, propter quod a testimonio repelli deberent, quorum dictis et depositionibus per dictum abbatem de Curia Dei receptis et in scriptis redactis, in memoratum abbatem de Boquien ad secundam diem praesentis Capituli generalis peremptorie et personaliter et sub poena convictionis criminum praedic-

torum citavit Capitulo generali super huiusmodi criminibus responsurum, seque visurum deponi aut aliter puniri secundum exigentiam criminum praedictorum, et ulterius processurum prout esset rationis, cum intimatione quod sive compareret sive non dicta die sibi assignata dictum Capitulum generale procederet contra ipsum prout iustitia suadebit. Ad quam diem secundam abbate minime comparente, quamvis sufficienter expectato, dictus abbas de Curia Dei informationem et processum contra dictum abbatem de Boquien iuridice factos dicto Capitulo exhibuit et praesentavit per quos a dicto visos et diligenter inspectos ipsi Capitulo apparuit luculenter dictum abbatem de Boquien legitime et esse convictum de criminibus supradictis, ipsaque commissise in animae suae periculum, Ordinis dedecus et scandalum plurimorum. Quapropter dictum attendens Capitulum, quod incontinentes et viles personae minime debent dignitatum apicem possidere, quinimo si habeant ipsis merito debent privari. Et quia constat supradictum abbatem de Boquien sententiam depositionis dictum Capitulum tulit et promulgavit, fert et promulgat generaliter in haec verba. In nomine Domini. Amen. Nos frater Iacobus abbas Cistercii, ceterique Diffinitores ipsius Capituli generalis fratrem Guillelmum Grivon abbatem monasterii de Boquien nostri Cisterciensis Ordinis, de contagio carnis, dissipatione bonorum dicti monasterii sui legitime et sufficienter convictum, Deum habentes prae oculis, ab administratione, officio et dignitate abbatiali monasterii de Boquien in hiis scriptis deponimus perpetuo et privamus, mandantes et committentes abbati monasterii de Begar quatinus adiuncto secum abbate de Melereyo praefato monasterio de Boquien tamquam vacanti provideat de abbate auctoritate Capituli generalis.

68. Fratrem Yvonem Alnulphi, monachum de Precibus, dudum per patrem abbatem de Curia Dei, abbatem reformatorem dicti monasterii per commissionem Capituli generalis, certis de causis ad aliud emissum monasterium, revocat ad proprium dictum Capitulum generale, conferens eidem de speciali gratia, quod si sua suffragentur in posterum merita valeat, citra nihilominus abbatiatum, ad omnes actus, gradus et honores Ordinis legitimos promoveri.

69. De Alpibus et de Bono monte monasteriorum abbatibus et conventibus eorumdem conceditur licentia per generale Capi-

tulum vendendi perpetuo in ordine locis et personis Ordinis dumtaxat ubi repererint terras et bona monasteriorum suorum obligandi consensu habito patris abbatis, ut de receptis exinde valeant a sarcinis debitorum usurariorum aliqualiter respirare.

70. Alias per dominum Cistercii factam gratiam fratri Ioanni de Bureyo, monacho Rigniaci, ut seclusa dignitate abbatiali, possit ad omnes Ordinis legitimos honores et gradus admitti, non obstante apostasia quam incurrit, iam diu est, illam amplians generale Capitulum dictum fratrem Ioannem etiam ad abbatiatum, si meruerit, in posterum vult admitti.

71. Cum abbas de Claritate Turonensis dioecesis ad causam ipsius monasterii ex iusto et legitimo habeant ius accipiendi et percipiendi annuatim perpetuo super thesaurum serenissimi principis domini nostri regis Franciae Parisius centum libras turonenses annui et perpetui redditus admortizatas, de et pro quibus multa arreragia pro temporibus transactis annis quae arreragia debentur ipsis religiosis, et de ipsis arreragiis propter multa alia onera eidem thesauro incumbentia, et de quibus est oneratus, dicti abbas et conventus dicti monasterii de Claritate nihil potuerunt habere vel percipere nec habituros pro futuro se multum sperant. Quapropter habuerunt colloquia per procuratores et amicos suos cum dominis thesaurariis dicti domini nostri regis, et sperant, Deo concedente, quod finaliter cum ipsis tractabunt et concordabunt, si placet domino nostro regi in modum qui sequitur. Quod mediantibus et pro mille libris turonensibus, vel alia rationabili summa, quae tradentur et solventur realiter et sine dilatione per ipsum dominum nostrum regem pro valore dictarum centum librarum turonensium annui et perpetui redditus, de quibus mille libris vel de maiori summa, si habeant simul vel per partes dicti religiosi abbas et conventus de Claritate poterunt acquirere redditus annuos vel haereditagia quaecumque usque ad dictam summam centum librarum turonensium annui et perpetui redditus citra tamen foeda et altam iustitiam. Et dictus dominus noster rex tenebitur concedere et permittere ac inde suas litteras authenticas dare, quod dicti religiosi abbas et conventus dicti monasterii de Claritate tenebunt et possidebunt perpetuo et pacifice dictas centum libras turonenses annui et perpetui redditus seu haereditagia usque ad eorumdem valorem admortizatas et tamquam rem admortizatam, absque eo quod dicti religiosi aut eorum successores cogi valeant

per ipsum dominum regem vel suos officiales aut alios quoscumque dimittere vel ponere extra potestatem et manus ipsorum religiosorum et ipsius monasterii Claritatis, et etiam absque eo quod hoc dicti religiosi vel ipsorum successores debeant vel teneantur seu cogi possint solvere vel tradere aliquam financiam dicto domino nostro regi vel suis gentibus. Ex contemplatione dicti domini nostri regis affectantis dictum suum thesaurum de talibus redditibus deonerare, ac propter utilitatem maximam sui thesauri, praedicti abbas et conventus dicti monasterii de Claritate pro se et suis successoribus ac monasterio cedent, tradent, concedent et transportabunt dicto domino regi dictas autem libras turonenses annui et perpetui redditus, et accipiunt et percipiunt super dictum thesaurum cum omnibus et singulis arreragiis ipsarum eisdem debitis de et pro toto tempore retroacto usque ad diem datae praesentium litterarum. Capitulum igitur generale praemissa omnia et singula diligenter considerans et attendens concedit quantum potest dictis abbati et conventui dicti monasterii de Claritate licentiam et auctoritatem omnia supradicta concordandi, concedendi et faciendi prout superius sunt expressa, vel alio modo prout discretioribus ipsorum videbitur faciendum et poterunt concordare.

INDEX

Introductio		
Anni 1262.	Statuta	1
» 1263.	Statuta	9
» 1264.	Statuta	17
» 1265.	Bulla *Parvus fons*	21
	Statuta	31
» 1266.	Statuta	36
» 1267.	Statuta	47
» 1268.	Statuta	58
» 1269.	Statuta	68
» 1270.	Statuta	79
» 1271.	Statuta	92
» 1272.	Statuta	103
» 1273.	Statuta	114
» 1274.	Statuta	126
» 1275.	Statuta	139
» 1276.	Statuta	151
» 1277.	Statuta	162
» 1278.	Statuta	175
» 1279.	Statuta	184
» 1280.	Statuta	195
» 1281.	Statuta	205
» 1282.	Statuta	217
» 1283.	Statuta	229
» 1284.	Statuta	230
» 1285.	Statuta	232
» 1286.	Statuta	234
» 1287.	Statuta	237
» 1288.	Statuta	240
» 1289.	Statuta	242
» 1290.	Statuta	245
» 1291.	Statuta	249
» 1292.	Statuta	258
» 1293.	Statuta	261
» 1294.	Statuta	267

Anni 1295. Statuta 277
» 1296. Statuta 282
» 1297. Statuta 287
» 1298. Statuta 293
» 1299. Statuta 298
» 1300. Statuta 299
» 1301. Statuta 303
» 1302. Statuta 305
» 1303. Statuta 309
» 1304. Statuta 311
» 1305. Statuta 313
» 1306. Statuta 314
» 1307. Statuta 317
» 1308. Statuta 318
» 1309. Statuta 320
» 1310. Statuta 321
» 1311. Statuta 323
» 1312. Statuta 324
» 1313. Statuta 327
» 1314. Statuta 328
» 1315. Statuta 330
» 1316. Statuta 331
» 1317. Statuta 332
» 1318. Statuta 338
» 1319. Statuta 344
» 1320. Statuta 347
» 1321. Statuta 351
» 1322. Statuta 357
» 1323. Statuta 362
» 1324. Statuta 366
» 1325. Statuta 369
» 1326. Statuta 372
» 1327. Statuta 375
» 1328. Statuta 378
» 1329. Statuta 384
» 1330. Statuta 388
» 1331. Statuta 392
» 1332. Statuta 397
» 1333. Statuta 401
» 1334. Statuta 405
» 1335. Bulla *Fulgens sicut stella* 410
Statuta 436
» 1336. Statuta 440

Anni 1337. Statuta 444
» 1338. Statuta 449
» 1339. Statuta 454
» 1340. Statuta 460
» 1341. Statuta 465
» 1342. Statuta 469
» 1343. Statuta 472
» 1344. Statuta 475
» 1345. Clementis VI litterae ad Capitulum generale 501
Statuta 502
» 1346. Statuta 504
» 1347. Statuta 505
» 1348. Statuta 508
» 1349. Statuta 513
» 1350. Statuta 516
» 1351. Statuta 519
» 1352. Statuta 520
» 1353. Statuta 527
» 1354. Statuta 528
» 1355. Statuta 528
» 1356. Statuta 531
» 1357. Statuta 532
» 1358. Statuta 534
» 1360. Statuta 535
» 1361. Statuta 537
» 1362. Statuta 538
» 1363. Statuta 539
» 1365. Statuta 542
» 1366. Statuta 543
» 1367. Statuta 546
» 1368. Statuta 546
» 1369. Statuta 548
» 1370. Urbani V epistola ad Capitulum generale 549
Statuta 550
» 1371. Statuta 551
» 1372. Statuta 553
» 1373. Statuta 553
» 1374. Statuta 553
» 1375. Statuta 554
» 1377. Statuta 554
» 1387. Statuta 555
» 1388. Statuta 557
» 1389. Statuta 558

Anni 1390. Statuta 572
» 1391. Statuta 602
» 1392. Statuta 614
» 1393. Statuta 632
» 1394. Statuta 638
» 1395. Statuta 652
» 1396. Statuta 666
» 1397. Statuta 680
» 1398. Statuta 700
» 1399. Statuta 716
» 1400. Statuta 733

INDICES NOMINUM ET RERUM IN FINE TOTIUS OPERIS PRODIBUNT

IMPRIMERIE J. DUCULOT, GEMBLOUX (BELGIQUE)